
V
B
J
C
35631
I

FAX ASCETICA

Peregrino terrestri,

PER EXERCITIA SPIRITUALIA

Æternis intento,

IN VIA TRIPLICI,

Purgatiua, Illuminatiua, & Vnitiua

Ad Diuina, & Felicem viæ terminũ

PRÆLUCENS.

Editio secunda auctior,

Authore IOANNE KWIATKIEWICZ

Societatis IESV *Sacerdote.*

Anno Domini M. DC. LXXXIX.



CALISSII

Typis Collegij Societatis IESV.



Perillustri ac Reuerendissimo D.

D. LVDOVICO
in Tholibow
THOLIBOWSKI
Canonico Płocensi &c. &c.

D. D. ac Mecænati Dignissimo

Perillustris, Reuerendissime Domine.

ITerum *FAX ASCETICA terris accenditur, auctior non tam suâ nonnihil mole, quâm Tuâ tanti Mecænatis luce.* Nempe semel à mentibus propulsæ, facilè recurrunt tenebræ, nisi sæpius vel idem lumen ingeras, vel augeas *vetus.* Egent nouo in dies Phosphoro etiam noctes illæ, quæ animos premunt. *alioquin* prona in vmbras omnia, quæ Cimmerium

quiddam virtuti offundant. *Prodit ergo FAX eadem* tum *aliquâ suî parte locupletior;* (*nam* iuuat addere & ignibus ignes, quibus animi ſuauiùs adurantur, & in terris Empyreum quoddam, *quod ab igne deducitur*, efficiant) tum *etiam tantò iam illuſtrior, quantò plus luminum colligit, altero iam afflata Sidere, alio Premislienſibus, alio Plocenſibus Aris affulgente. Nec enim ſufficit vnius Nominis Serenum, quando nouos depoſcit radios aucta lucubratio, & nouæ Aſceſeos vmbræ. Imò* nec Faces, ſui ſunt ſemper nominis: ſæpe tenebras fundunt Pharijs maiores, fumigantes hi lychnuli potiùs, quàm lucernæ: *Si aliis allucent nonnihil, in ſe tamen lucis indigæ, non aliter ac* Luna, quæ Sol quidam noctis vide-

 tur,

tur, & tamen Sole diurno eget in nocturnæ pompæ ſpectacula. *Adeò* nec FAX illa noctium ſatis offulget ſuo, niſi lumine coruſcet alieno. *At Faci Aſceticæ ſatis prouiſum, dum tu illi Sidus beneficum obtigiſti. Nulla lucis timenda illi deliquia, vbi effulſerit de tuo; etſi aliàs* lucem amittant in Sole minores faculæ. *Sed nihil in te tam maligni ſideris, quod extinguat aſtra etiam minora. Plus in te gratuiti fulgoris, quàm vt obruas Facem, dum ipſe accenderis in Solem. Et verò manifeſta ſunt apud te Solis indicia, qui Zodiacum domi geris: idem enim Tua Tibi Faſcia, quod Cælo Zodiacus; & vtrobique* Solem reperit, qui lucis eget. *Quid enim in Te non illuſtre, ac, vt canit ille*, ad effigiem inuidiam-

què

qué Solis? *Si* Genus & virtus Heroas inter maiora ſidera accenſet; *vtroque tu affatim ſerenaris; nec vtriuſque Domûs, Paternæ ſcilicet ac Maternæ fortuna negat, quam cælum is neget, qui eius Sidera tot non nôrit.* *Quod ſi it* meritis fortuna comes, *& virtutis* veſtigator Honos *radios natales intendit; neque Te is præterit, & adhuc ſacri Honoris ardua vel augem ſperare iubet.* Adeo Tibi *ſumma omnium innexuit Paterna Faſcia; nec Rota TVCZYNIORVM MaternaTe minùs in ſuſublime euehit!* Neque tantùm *intra Patriæ fines tua ſe arctat gloria; it vtiquè in exteros vltra Alpes ac terrarum longinqua. Romæ antiqua ſi defuêre ſpectacula; tu illi grandius fuiſti, ſeu roſtra, ſeu Romanæ Stoæ porticus te ſtuperent.* Extinxiſti ibidem

dem Tullij gloriam, *dum accenderes Tuam ; illuc facundiâ linguæ progressus, vt raro* meminerit sese *sic* Maiestas Romana locutam; *adeoquè per Portam triumphalem, quâ in Capitolium veteres ibant laureæ, iuerit & Tuæ* laurea linguæ. *At nec seuerior literatura Tibi minùs exercuit ibidem extulitquè ingenium : euolârat illud altiùs, patuitquè ex hoc præcelsæ mentis volatu Te oriundum è Regno Aquilarum. Hinc post Quirinales plausus pronior in Te statim Patria; vbi Sacro Ecclesiæ Plocensis Senatui Te adlegit, adoratura in principe Clero Nomen, quod Posnanienses Infulæ in Auo coronârant. Ibi deducta in Te ab illo præsagia,* posse tantum Nepotem beato passu subsequi, quò Aui merita præiuêre. *Quin &* Themis Polona *è*

Perillu-

Perilluſtri Plociæ Clero Te Arbitrum requiſiuit, dum regni forum ageres; quo ſcilicet maiorem nec Diuæ Paridem deligerent, ſi forum poſcerent rurſus melioris Cauſæ litigia. Quare cùm tam conſpicuum Te reddant faſtigia poſt ſepticollem Romam; in metam Te ſibi noſter deſtinat cultus. Pronum eſt tam præcelso Nomini & dignis Infulâ etiam grandiore dotibus non Facem duntaxat, ſed & colla ſubmittere. Quod ſi illuſtribus coluntur perquàm illuſtres Animæ; nec Te iam præterit par veneratio, dum Face coleris, cui quòd pro argumento ſiderum Patria Cælum ſit, hoc ipſo illuſtre quidpiam præfert offertque. Eat ergo rurſum in lucem publicam Fax noſtra, eò iam dignior luce, quia Tuo, ſub cuius auſpicatiſſimo Nomine ſolem iterum aſpicit,

cit,

cit, cultui vectigalis. Eadem si oculis animisqué probabitur, è salubri animorum incendio Tibi rogos excitet triumphales. Vouet id, & continuam felicium seriem

PERILLVSTRI ac REVERENDISSIMÆ D. V.

Deuotissimum

Calissiense Collegium

Societatis IESV.

FUNDAMENTUM
S B U
FAX PRÆAMBULA VIÆ TRIPLICI.

J.

Primum & Ultimum

Seu

Finis Hominis, propter quem conditus.

Ego sum Principium & Finis. Apoc: 1.

1. IN plerisque idem est finis operis, & finis operantis. At DEUS omnia operatur propter seipsum; quidni & tu, qui opus manuum illius es, opereris omnia propter illum ipsum? Pulchrum est, si idem tibi sit primus in intentione Finis, qui & DEO: sic enim assimilaris DEO, nec errori obiaces, qui Primum & Summum Agens imitaris. Ad hæc ut nihil melius DEO, sic nec illo melior tibi finis præfigi potest; nec excellentior, quàm qui ipsi DEO.

2. Finem, Propter quem agunt, aliqui bene eligunt; secus alij. Bene illi, quibus motivum agendi est vel DEUS, vel Propter DEUM; qui modus loquendi desumitur ex Augustino dicente: Solus amandus ac timendus est DEUS, vel propter DEUM. Malè illi, quibus Creatura mouet ac terminat affectum; vel DEUS, sed non propter DEUM. at-

qui amare DEVM, ſed non propter DEVM, at propter aliquid DEI, tanquam ob finem ultimum, eſt deordinare DEVM ad Creaturam, quod eſt peccaminoſum, ut ait *S.* Thomas.

3. Vbi notæ ſummi Boni & ſummè appetibilis propter ſe; ibi etiam nota eſt Finis ultimi. Porró extra DEVM huiuſmodi notas ne quære, in quo ſolo bonum eſt ſine defectu ullius boni, increati formaliter, creati eminenter, ac modo perfectiori; eſt bonum ibidem ſine admiſtione ullius mali, bonum illimitatum, bonum independens; bonum in quo omne bonum ſimpliciter ſimplex, ſeu quod melius ſit in DEO eſſe, quám non eſſe: bonum indeficiens ac æternum. Erit ergo ſolus DEVS ſummè appetibilis propter ſe, adeoq; ſolus hominis Finis ultimus. Alia extra DEVM bona (*Vt eos vocat Clemens Alexandrinus*) bona ſunt abuſive tantùm, bona apparentia, bona limitata & dependentia, bona pluribus nævis permixta, & cognata nihilo. Quid ergo per hæc diffluas ac evageris? Potiùs & tibi, ut Bernardo, hæc aſſidua ſit exercitatio animæ, totis viribus, & ſemper tendere in DEVM ſummè bonum, bonum defæcatum.

4. DEVS ergo *Finis* tuus, cuius gratiâ es, id eſt, ad quem laudandum, venerandum, diligendū ac æternùm poſſidendum conditus es. Tanti es, ut DEVS tua hæc æſtimet ac deſideret, nec in aliqua re vili tuos inſumi affectus velit, tum laudis, tum reverentiæ, vel amoris, niſi in ſeipſo! At in DEO ſummum habes laudis obiectū, qui eſt major omni laude: Summum in eodem objectum amoris; quia Nemo bonus, niſi ſolus DEVS: Summum item cultûs obiectum; ubi tanta eſt dignitas, ut nullum ſic colere liceat ſicut DEVM, niſi ſis idololatra. Idem DEVS vult eſſe poſſeſſio tua, de qua cum æ-

terno

terno tripudio dicas : Hæreditas mea præclara est mihi. At si DEVS est, cuius gratiâ es; quid te illuc abjicias, vt sis gratiâ vilis Creaturæ? Quod est propter DEVM; an idem sit propter Nihilum?

5. Semper in DEVM tendere & in omnibus, id demum hominis est memoris, in quem finem á DEO sit conditus. Nil terrenum sapit, qui sic agit: Omnia ei sunt propter DEVM; non aliqua tantum: sursũ omnia, nil deorsum, nil ad se vel ad Creaturã purè reflexum. Ergo apud te etiam nullus deinceps actus indifferens esto, aut non ad Finem illum VItimum actu aut virtualiter directus.

II.

Vniversalis intentio totius vitæ, ex mente DEI, GLORIFICATIO DEI.

Faciet te Dominus excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit, in laudem & nomen, & gloriam suam. Deut. 26.

In gloriam meam creaui eam. Isa. 43.

1. IN Evangelio laudatur oculus simplex, qui in unum intendit. Porrò Vnum necessarium est DEVS & DEI gloria: Vnum DEVM in universis respicere ac intendere, sani & simplicis illius oculi signum est, quo qui caret, videt simul & non videt: videt, quæ non sunt, vel quæ sunt pænè nihil; non videt id quod est & permanet. Item aliud huius oculi obiectum est, quàm esse debeat. Lux & color objectum oculi; huius verò obiectum sunt tenebræ; quia in DEVM, qui lux est, non intendit, iuxtâ illud: Et dilexerunt magis homines tenebras,

quàm lucem. DEVM ergo in omnibus respicere, pars dictæ intentionis & simplicis oculi esto.

2. Nulla iustior intentio, quàm si tantùm intendas in omnibus glorificare DEVM. Deus tam operosè gloriam tuam quærit; quidni tu vicem rependas in quærenda sollicitè illius gloria? Tuam gloriam & salutem quærit, tot media salutis providendo, Angelos addicendo in custodiam; huc spectat Incarnatio, huc CHRISTI acerba Passio, huc Sacramenta, huc exempla Sanctorum, huc mira rerum series & providentia. quid te par est facere in gloriam DEI, qui sic tuî non indigus, studet gloriæ tuæ? Ad hæc si nil sunt omnia in conspectu DEI, nonnè vanè & iniquo ages, si omnia propter nihil agas, & non potiùs ob DEVM, qui est omnia, & à te id exigit iure Dominij altj & creationis ad se glorificandum?

3. DEVS hominem fecit, ceu instrumentum gloriæ suæ. At si omnia artium instrumenta deservire suo fini nolentia ceu inutilia reiiciuntur; ut si securis non secet, sed secanda connectat; acus si non suat, sed res magis laceret; certè & homo si in gloriam DEI non dirigat omnia, ad quem finem á DEo est conditus, inutilis est in mundo, nec instrumentum DEI menti consonum at reiiciendū.

4. Philosophi definiunt vniversale, quòd sit unum in multis, unum in omnibus eiusdem speciei: hæc verò unitas universalis semper est in illis omnibus, ubique est in iisdem, ita ut nec unū aliudque alicubi vel aliquando discrepet: Etiam universalis intentio Gloriæ Divinæ debet esse Philosophicè universalis: debet esse hæc intentio una in multis, hæc una in omnibus, hæc una ubique, hæc una semper: ubique enim & semper, in omnibus actionibus vitæ humanæ una intendi, una spe-

ctari

ctari, ūna quæri debet gloria & glorificatio Divina: adeoque tota omnino vita hominis, & omnis ejus actio deberet esse continuus (quoad fieri possit) amor *D*EI saltem imperatus, continua laus DEI, continua adoratio & cultus DEI; ita ut non tam vivere vel aliquid agere videatur, quàm diligere, laudare, glorificare *D*Eum, & re ipsa dicere: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo: In omni loco Dominationis eius benedic anima mea Domino: Vivo, ut glorificem DEum: ago, scribo lego, respiro, patior, ut exaltetur DEvs salutis meæ, vel (ut dicit S. Petrus) ut in omnibus honorificetur DEvs, ut cor Divinum exhilaretur augmento extrinsecæ gloriæ suæ.

5. Quoad modum & praxim glorificandi DEum, debes illam vocem cælitus dictam ad Christū re ipsâ exprimere: Et clarificavi, & clarificabo agam omnia, ut per illa clarificem DEum. *D*ebes item ad encomium *S.* Ignatij aspirare, de quo Ecclesia: DEI gloriam semper in ore habuerat, semper in omnibus quæsierat. *D*ebes etiam esse meliori modo, ut Alexander Rex, cui unus non suffecerat orbis, ideoque illacrymatus, dum audiret plures esse mundos, cùm necdum unum plenè subegisset. sic enim sanctiùs tua vota extendi proferriquè debent, ut velis mundum & infinitos alios gloriâ Nominis Divini per te aliosque impleri, ut eam quám latissimè propages, adeoquè quoad id etiam tibi non sufficiat orbis. Quoad te verò, debes toto studio conniti glorificare DEum ut dictum est, in omnibus, ubique, semper, super omnia, omnimodè quoad potes, semper magis ac magis, etiam pro aliis & nomine aliorum, qui eum non glorificant; etiam per alios, quos ad

id impellas; etiam per alias creaturas, quas ad id invites, Magnificate Dominum mecum, Benedicite omnia opera Dni Domino: Debes DEum glorificare totis viribus & potentiis, totâ capacitate, entitate & possibilitate tuâ, toto universo, DEO, totâ vitâ, omnibus momentis, exercitio virtutum solidarum & heroicarum, victoriâ tentationum, fugâ vitiorum etiam minimorum, exercitio mortificationum, & victoriæ tui, sensuum ac linguæ sancto usu, sanctâ conversatione, omni intentione sanctâ, intensione & extensione bonorum actuum, inter adversa & prospera, per infamiam & bonam famam. &c. Atque hæc praxis esto universalis intentionis glorificandi DEum, qui glorificantes se glorificat: alia Praxis Intentionis longior est infra.

III.

Dedicatio suî Gloriæ Divinæ, & gustus ac suaviatio eiusdem.

Omnia in gloriam DEI facite. 1. Cor. 10.
Laude meâ infrenabo te, ne intereas. Isa. 48.

NOn est potior dedicatio, quàm quæ fit Deo Quæ huic dedicantur, Divina sunt, nec profanis miscenda. At verò te DEVS templum gloriæ suæ esse voluit. Seu illi te ultro iterum dedices, seu subtrahas, ei per creationem addictus es. Dedica tamen te & desponde in æternum Divinæ gloriæ & honori; cùm id á te requirat DEVS. Non potes DEO te negare in usum, in quem te fecit. Alia templa ex dedicatione titulum desumunt; tu esto Templum Gloriæ Divinæ; omnia tua, sacra cul-

tui

tui honoriq; DEI sunto: quidquid es, quidquid agis, sit Sanctum Domino, Dominique tui gloriæ.

2. Promptiùs te Gloriæ DEI dedicabis, si ejus gustum tibi injecero per lumina sequentia. 1. Honor DEI, est simul honor tuus: vt reverentia Capitis in aliqua communitate, redundat ad singulos. imo magis honoraris, quàm honoras: nam plus est, quod pro hoc præstat DEvs. Item majus quiddã est actus acceptantis á te aliquid DEI, quám tuî aliquid in honorẽ DEI operantis. Honora ergo DEVM, & eris honoratus: glorifica, & eris gloriosus. 2. Sat honorificum est tibi, quòd DEVS velit á te honorari. DEVS nullo indiget: contemnere potest, quæ illi dantur, quia his non eget: gratia summa est, si dives hic á te aliquid acceptet, & in thesauros ac divitias gloriæ suæ reponat tuum assem gloriæ, quam illi procuras. 3. Gloriosum id tibi, quòd possis dicere: DEVS me condidit in suam gloriam: DEvs suæ gloriæ incrementa à me expectat: Etiam tibi DEVS dicit: Tu es gloria mea: vita tua & quævis actio, portio est gloriæ meæ: Servus meus es tu, in te gloriabor. 4. Qui studet gloriæ DEI, dat DEO, quod est maximum illius bonum extrinsecum: unde si DEVM amas, desidera & procura id bonum amato, ut amor benevolentiæ iubet. Item si, quantò bonum maius, tanto iactura illius graviùs afficit; quomodo par erit affici, si iactura boni Divini extrinseci per te contingat? 5. Deniq; habe gustum in gloria DEI, in qua DEO concilias odorem svavitatis. Sic enim de sacrificijs veterum dicitur; sic orationes iustorum & iustificationes vocantur in Apocalypsi odoramenta, & alibi thymiana gratum Domino. Quare & tibi deinceps suave sit augumentum quodlibet gloriæ DEI: Zela honorẽ DEI, ut Christus monuit

Teressā Virginem: *Velut sponsa zelabis honorem meum.*

3. In quatuor illis sacris animalibus repositum dicitur *Solium gloriæ DEI* apud Ezechielem. Hinc patet qualem esse deceat, qui ex gustu gloriæ Divinæ, eidem se dedicavit, ac velut succollandæ humeros subiecit: talis nempe & leonem, & aquilam se exhibebit, aliaq́, eorum animalium descripta ibi encomia in se transumet; maximè illud, quòd in Apocalypsi dicantur plena oculis ante & retro; nec requiem habeant die ac nocte à trisagio illo Cælesti, Sanctus, Sanctus, &c Sic enim in omnem occasionem intentum ac oculatum esse decet promovendæ gloriæ Divinæ, qui se illi dedicavit: nec cessare debet unquam ab hoc studio. Quidam ex veteribus ob ardens studium laudis humanæ dictus Animal gloriæ; tu ob laudis & gloriæ Divinæ ardentius studium, Animal Gloriæ esto quadruplex illud Ezechielis: sis & tu, ut illa Animalia Thronus Gloriæ Divinæ.

IV.

Illusio circa Finem Creationis.

Seu

Intentio Gloriæ Divinæ putatitia.

Arbitrantur se obsequium præstare DEO. Ioan. 15.

1. GRavis error circa Finem proprium homini & media. hinc enim actionum laus decorq́; dependet, hinc omnis deordinatio & jactura. Sed quibusdam error hic suaviter imponit, qui sub alio indebito Fine sibi blandiuntur; ac si verum & genuinum sectentur, cùm nec in DEO DEUM quærant, sed se suaq́;, & sic illud, quod de Christo

Lucas

Lucas dicit: Erat IEsvs incipiens annorum triginta, *vt putabatur*, filius Ioseph; de talium obſequiis ceu DEO præſtitis, de merito & ſanctitate, de Zelo Divinæ gloriæ dici poteſt: *Vt putabatur*. Non ſis tu inter hos errones, nec putatitios ſervos DEI, qui arbitrantur ſe obſequium præſtare Deo, cùm ei nullum præſtent, ſed ſibi; Finiſq; ultimus illis ſua cupiditas vel utilitas.

2. Finis hominis, ad quem conditus eſt, eſt duplex gloria: Gloria Dei hîc procuranda; & gloria æterna hominis, ſeu ſalus illius. Sed deceptio ſæpe latet: putas gloriam Dei te quærere, cùm quæris tuam, vel guſtum & ſolatium tuum aut aliquam tuam commoditatem. hinc turbaris, ſi non eveniat, quod non intendebas; quia te quærebas, non Deum. Amor gloriæ Divinæ lætus & pacatus eſt: quia iuſto eam intendenti, licet non eveniat, vt ſperabat, evenit tamen ut volebat; nempe voluntate ſe cum Divina conformante.

3. De quodam in ſacro textu dicitur: Maledixi pulchritudini eius ſtatim, Eſt pulchritudo, quæ maledicto ſubjacet: omitto puchritudinem ſuperbam, cui obijcitur: Elevatum eſt cor tuum in decore tuo: omitto & pulchritudinem corporum, quæ partem inferni magnā occupat, eò quòd iuxta Poetam, *rara eſt concordia formæ atque pudicitiæ*. Eſt alia, quæ ſub ſpecie pulchri illudit, ſed in re mera eſt fæditas. Quippe pulchritudinem indit ſuavitas coloris; at color nativus eſt, vel fucatus; verus vel apparens, qualis in iride vel vitro triangulari lævigato oculis applicito cernitur, cui nonnemo lemma illud meritò adiecit: *Delectat, & decepit*: aut qualis Bel (Idolum Babylonium) *forinſecus aureus, intus luteus* in libro Danielis: aut quale ſepulchrum dealbatum cadaveribus plenum putidumq;.

Tale aliqui ſectantur pulchrum putatitium, nec Fini debito intenti, nec modo debito in eum tendentes. Imponit illis rerum color fucatus, amorq́; proprius excæcat; cæcus autem de coloribus malè iudicat. Hæc eſt pulchritudo ejus, ſeu ab eo ſic erroneè iudicata, quæ aliàs turpitudo eſt horrorem pariens cælo, cuius maledicto feritur, parſq́; eius cum hypocritis terræ. Vera pulchritudo actionum humanarum pendet á congrua in Finem conſentaneum tendentia; at hîc multa oculis palpum obtrudunt; hinc pulchritudo tantum putatitia & maledicta.

4. Intentio gloriæ Divinæ fit ſæpe per media falſa & periculoſa. Inter hæc eſt putatitia virtus, & quà ſeipſum aliquis quærit, autumans quæri Deum. Hinc inter alia, quæ Paulus obijcit ſibi, ceu apta ſeparare ab ultimo Fine, & à charitate Chriſti, poſuit Virtutes; ubi Tertullianus poſuit: Neq́; virtus poterit nos ſeparare &c. Nempe (ut ait Celada noſter) uſq́; adeò vitium ſpecie virtutis illudit, ut Paulus timeat á virtute non vera, ſed fucata; quaſi perſonata virtus plus nocere poſſit, quam merũ vitium. Qui intendit gloriam Divinam per tale medium, ſibi potius periculum creat, quàm Deo gloriam. Quodnam periculum? non eſt majus, quàm quod poſſit ſeparare ab ultimo Fine, & à Charitate Chriſti. Deniq́; non una alia eſt via, quæ videtur homini recta; ſed noviſſima eius ducunt ad mortem, & á fine beato ſeparant. Cave, cave hæc media, non ſic intenditur Finis vltimus & gloria tum Divina, tum æternùm tua.

5. *Appenſus es in ſtarera, & inventus es minus habens.* Omnia noſtra facta & modi agendi ponderantur: Ponderatur Amor, ex quo agimus, iuxta illud: *Pondera mihi pondus ignis.* Ponderantur Spiri-

Spiritus a Ponderatore Spirituum, quibus agimur, & agimus: non ubiq; estSpiritus veritatis, sæpespiritus mændax Sæpe aliquis invenitur minus habens; quia illusus à seipso, putat se agere Deo, cúm agat sibi: quæri à se *Deum*, cúm quærat seipsum.

6. Macedonius Eremicola á Principe venatione exercente repertus in vasta solitudinē rogatusque, quid ibi ageret, respondit: *Vt tu feras; sic ego hic venor Deum.* ô pulchra venatio, & ocupatio cordis! At pleriq; alia omnia venantur, non Deum: venantur gratiam hominum fallacem, sua solatia evanida, & alia æternitati bonæ & Fini Creationis haud proficua: aut plané, quod de Domitiano proditum, venantur *muscas*, seu res nullius momenti, propter quas non sunt conditi. Tu vide, ne in te deinceps hæc citra finem tuum reget illusio.

V.

Olympia Salutis

Seu

Via ad terminum vel Finem Creationis, ubi de medijs ad prædictum Finem.

Via ejus, via pulchra. Prou. 3.

1. MEta hominis, Deus est ut glorificandus, & ut glorificator. Cæcus est sagittarius, qui ad hanc metam in vita non collimat. Malè currit, qui in eandem oculum non intendit. Quædam Olympia decurrimus, dum vitam agimus: currentibus illud occinitur: Sic currire, ut comprehendatis. Vnicuiq; item dicitur illud, quod Christus: *Quò vadis?* Qui sapit, respondebit: Cursûs mei meta, *Deus* est, ad quem curro per debitum ei servitium

vitium & amorem, ut ad illum pertingam per visionem beatam. *Scopus Vitæ meæ Christus*, quod dicebat Iovinianus Imperator.

2. Vt linea recta, sic via recta est via brevissima & optima ad Finem nostrum consequendum; est què Rectus usus mediorum, & uti fruendis, non frui vtendis; seu (vt loquitur Augustinus) fruitio Dei propter se, & usus Creaturarum propter Deum. Hinc verus Dei amator Creaturis utitur tanquam viâ & vehiculo, non tanquam termino; imitaturq; *Deum qui amat se, & alia extra se: se, ut Finem; alia, ut ad Finem*, ut inquit S. Thomas. At plerisq; creaturæ sunt in abusu, non in usu: sunt pro Fine, non medijs: Erras, qui hàc ad Finem pergis: via tua, tenebræ & lubricum; talibusque objicit Augustinus Enarrat. *in Psal.* 4. *Tanquam prima, extrema sectamini!*

3. Si idem est motus medij & Finis, ut ait Doctor Angelicus; qui vult ardenter Finem ultimum, etiam media ad Finem velle debet. Quare is constanter horreat, *quæ vel separant à Fine ac fruitione Dei, ut peccatum mortale: vel quæ elongant ad tempus, ut veniale*, quod monet meritò Albertus Magnus. Nam fuga horum, primum est medium ad Finem hominis simpliciter, vel citiùs consequendum.

4. Inutilia & vana sunt, quæ non sunt ad Finem seu gloriam Dei. Inutile arbori, si folia eius inaurentur, sericis involatur truncus, è ramis gemmæ appendantur: pretiosius illi erit circumpositum aliquid, de fimo. Sic inutilia tibi erunt quæ á Deo habes nisi te faciant glorificareDeū. Quare sic utere potentijs animæ, sic sanitate, & omnibus talentis illuc media naturalia & supernaturalia dirige, vt glorifices DEum, & glorificeris seu salveris.

5. Viator es? vive vt peregrinus terræ, Cæli futurus

futurus Civis: hîc esse viam noveris, alibi Patriam. *Qui gemit hîc peregrinus; illic gaudebit Civis;* ait Hipponensis Præsul. Malè tamen plurimi iter hoc ineunt. *Alij erraverunt ab utero*, citó & præmaturé viam iniquitatis currere exorsi. Alijs cursum intercipit lapis offensionis & petra scandali occurrens in via. Aliquos ut remora Navem, sic detinet ignavia, & iter in extrema differunt ac procrastinant. Alijs species vana in cursu illudit; ac vt Hippomenes objectis ab Atalanta pomis aureis, sic illi vanis inter currendum vincuntur; dicendumque illis: *Currebatis benè; quis vos fascinavit?* Nempe species boni fucati, vel mali opinio aut difficultatis horor. Non sic curruntur Olympia salutis; potius sic erratur á via Verritatis.

6. Progreditor viâ Regiâ, seu ducente ad regnũ, non ad barathrum. Hanc inde dignosces, quòd sit arcta: nam via latior reproborum. Via inprimis Regia est, quam Rex præivit Christus, Via Crucis. Legem item de charitate vocat legem Regalem Apostolus. ergo & hæc via Regia. Item Pænitentiam agite; appropinquat regnum Cælorum. Adhæc Gratia Sanctificans est Purpura Regalis, de qua *Luc. 15.* Citò proferte illi stolam primam; Insuper via mandatorum & consiliorum Christi, viæ sunt regales, & regnum illis appromittitur. Ergo sic curre: cursus hic per viam Regiam, cursus Olympicus est Currite (vt Anselmus urget) *credendo, sperando, diligendo; corpus affligendo, benè operando.* Certè, teste Divo Ephræm *abstinentiæ, lacbrymæ, preces, vigiliæ, ipsæ sunt viæ, quæ in cælum ducunt,* ô viæ! viæ pulchræ: Ergo ô *ire! ô amare! ô sibi perire! ô ad Deum pervenire!*

VI.

Debita Hominis.

Ex Sanctis IGNATIO & BERNARDO

Redde quod debes. Matth. 18.

Reddtie quæ ſunt DEI DEO Matth. 22.

1. VBi creditor intervenit, ibi & debitor. Deus multa tibi credidit, multa illi debes, imò omnia, quia à Deo habes omnia : quidquid illi de te ſubtrahis, rapina eſt : nam totus es *Dei*. Poſtquam à Deo ob illum ipſum creatus es, obæratus illi eſſe graviſſimè cæpiſti; hoc ipſo totus iuris alieni, quia non es propter te vel creaturas, ſed propter Deum conditus. Ergo redde quod debes. debet factura illi, à quo facta eſt, ad eum finem ſervire, ad quem facta.

2. Qui debita contraxit; aut reddat, quod debet, uſq; ad noviſſimum quadrantem; aut quantum poteſt. A debiti reſtitutione illum quandoq; excuſat condonatio creditoris, vel impoſibilitas reſtituendi; ſed Deus nec relaxat tibi debita mox proponenda; nec in te eſt impoſſibillitas illa reſtituendi. Omnino igitur redde quod debes *Deo*.

3. Sicut opus artificis eum uſum præſtare debet artifici, ad quem efficitur; ſic homo debet id Deo, ad quod eſt ab illo creatus. Porrò ex doctrina S. IGNATII Patriarchæ noſtri *homo creatus eſt, ut Deum laudet, revereatur, eiq; ſerviat, ac tandem ſalvus fiat*. Quare homo creatus contraxit Debitum laudis & glorificationis Divinæ, Debitum cultûs, & reverentiæ, Debitum ſervitutis, Debitum procurandæ ſalutis æternæ & poſſeſſionis Divinæ per Viſionem & fruitionem Dei beatam. Pulchra ſanè

debita

debita, & quæ felicem reddunt debitorem. Redde igitur, quoad hæc potes; etsi debeatur Deo plus quàm possis.

4. *Alia tibi debita Bernardus inculcat, cùm ait:* Debemus Deo amorem & subiectionem: amorem quia fecit nos, & benefecit nobis: subiectionem, quia est super nos. Angelis cæterisque Sanctis non solùm debemus venerationem & imitationem; sed ardenter desiderare eorum conspectum & suffragium: Animabus Purgatorij tum compassionem & orationem, tum congratulationem, quòd propè est, vt abstergat Deus omnem lacrymam ab oculis earum. Animabus nostris debemus puritatem cordis, ac ut intentione, cogitatione, & opere glorificemus Deum, qui in cælis est. Proximis debemus pacem, & cum his, qui oderunt pacem, esse pacifici: portare omnes, & à nemine velle portari. Corpori proprio sanitatem debemus, & non voluptatem sed servitutem, sed afflictionem, sed laborem juxta Apostolum dicentem: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo. *Hactenus Bernardus.* Redde, iterum moneo, quod debes.

5. Sed quia comes amoris Divini est timor, oriturq; ex amore, ideoq; Augustinus ait: *Qui amat DEum, timet, si desinis amare, desinis & timere:* hinc *Deo*, cui debemus amorem, debemus *& timorem non tantùm servilem*, ne cruciemur in gehenna, ne excludamur à gloria: *nec tantum initialem*, qui timet offensam Dei, sed simul pænam; *sed filialem*, qui excludit timorem pænæ, & timet tantùm offensam Dei vt separantem à *Deo*. *Time item pro accepta gratia, ampliùs pro amissa, longè plus pro recuperata* (quod monet Bernardus) pro accepta, ne in vacuum gratiam *Dei* recipias: pro recuperata; ne per recidivum ingratus, odium majus incurras.

VII.

VII.

Æquilibrium Animæ
Seu
Indifferentia ad usum mediorum in Fine Creationis consequendo.

Non declines ad dextram, nec ad sinistram Prou. 4.

1. Bilanci bene libratæ quidam inscripsit: *Consistam in æquo*; id est, ad neutram partem deflectam. Animæ id rectæ symbolum est, quæ dextram & sinistram declinans, tenet medium, quo ad Deum rectà dirigitur. Reducenda enim anima est ad quoddam æquilibrium, ita vt ad nihil propendeat, nisi quatenus gloriæ Dei, & saluti ac perfectioni suæ deservit. Frui, vel carere in tantum eligere quâcumq;, quatenus duplici illi Fini deservit; frui vel carere nolet, si utrumq; impediat. Si hæc mentis æquanimitas habeatur; nullâ suî parte ad terram verget anima, nullâ recedet à cælo; *Constet ut lanx in æquo.*

2. Vtendum ergo rebus est, prout conferunt gloriæ Divinæ. Sive iucundæ sint sive molestæ non attende; sed an sint Deo honorificæ tibiq; salutares. Ægro potio amara, poculum aquæ frigidæ delectabile; tamen in utroque tantùm attendit, an sit salubre; ideo sumit amarum, rejicit delectabile. Viator nil ad se pertinere putat, seu via dextrorsum dirigat, seu sinistrorsum, dum illuc dirigat, quò pergit. Qui ludit in tabula, non proponit hunc vel illum calculum movere; sed illum quo pro opportunitate vincat: Ita debemus in vita agere, nec ad opes, aut honorem, vel sanitatem

potius, quàm ad his-opposita inclinari; sed prout alterutrum oppositorum fini conducit.

3. In quarundam virtutum exercitio peccatur per excessum & defectum. Sic per excessum prodigus contra liberalitatem peccat, parcus per defectum. Sed in cultu Dei potius per defectum peccatur, quám per excessum. nemo enim nimis ac ultra æquitatem ita Deo servit, aut eundem laudat ac diligit, vt non plus debeat, aut non plùs Deus mereatur, qui major omni laude, & mandata sua vult *custodiri nimis*. Ideo æquilibrij ratio exigitur in ordine ad id, ne aliquid hîc desit, non autem, ne quid perfectiùs vel plùs obsequij Deo impendatur. nam in hoc non valet illud: *Ne quid nimis*. Quare dum gloria Dei salusq; animæ est in tuto, si hoc vel illud facias, aut omittas; si tamen horum alterum sit perfectius vel Christo Passo ac illuso conformius; in illa ferri non obstat nostro æquilibrio. Hinc enim illud votum S. Teresiæ. ex duobus bonis agendi id quod perfectiꝰ: ex duobus æquè perfectis, id quod sensui vel appetitui molestius.

VIII.

Breve Præexercitamentum ante Ascetica.

Ante aggressum rerum Asceticarum juvat quadam præmittere.

1. COr emundandum ad excipiendum Deum, & Divina lumina: nam quædam est hîc Visio Dei, ubi specialis cognitio Divinorum; at mundi corde Deum videbunt. Emundet ergo cor contritio; & mysticum Purgatoriũ cælo præmittatur

2. Contra tædia armandus animus. quem tædet

conſortij Divini tantillo tempore; viderit,ne Creatura ſit felicior,cum qua agere & confabulari dies integros circa tædium poſſit.

3. Deſideria accendenda Divini ſaluberrimi cõgreſſûs. Gaudio etiam indulgendum, quòd ad intimum conclave Divinum admittar.

4. Accerſenda auxilia ad bene rem peragendam, accerſitis novis è cælo Divis Tutelaribus, potiſſimùm Sacræ ſolitudini aſſvetis.

5. Aſceſim hanc tum velut raptum Pauli in tertium cælum interpretare; tum velut Moyſis ingreſſum in nubem ad colloquium Divinum; tum velut Eliæ aſcenſum in montem Dei Horeb, vel Chriſti in montem Thabor, ubi Petrus dixerat, Bonum eſt nos hîc eſſe: tum velut Ioannis deſertum, aut illud animæ ſanctæ, de qua in Canticis: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?

6. Aſſume ſpeciem *Diſcipuli* Divini, cui Doctor & Magiſter futurus ſit ipſe Deus. Docebit nos vias ſuas.

7. Exhibe *Deo* cor velut tabulam raſam, cui ipſe inſcribat, quod illi placitum ſit & à te exigat.

8. Mens animoſior ac reſignatior Deo ſe plenè offerat ad ea quæ ipſe velit; dicatq; cum Paulo: Domine quid me vis facere? quomodo deinceps ſanctitatem ſectari?

9. Intentio operis Aſceſi præfigenda, modusque exactior.

FAX ASCETICA
Ad Viam Purgativam.

Quæ animam à pravis revocant, & eadem abolere docent, ac æternum memoriam ingerendo, ac metu ſalu-

bri

bri percellendo ; hæc ad viam Purgativam animæ refero. Atque huc spectant, quæ sub hoc titulo proponentur.

§ I.

Querimonia Cæli & rectæ Rationis contra Hominem.

Vide in quantis te accusant. Marci. 15.
Peccavi in Cœlum, & coram te. Luc. 15.

1. DE villico iniquitatis dicit sacer textus : *Et hic diffamatus est* Nempe clamabant contra sontem damna *Domini*, injustæ syngraphæ, tota domus, tota vicinia. *Satis* malorum est, si contra hominem cælum & Ratio agat. Conqueri nemo graviùs potest, quàm si duo hæc conquerantur. Sat eorum querimoniæ infamant, si ad aures Domini Sabaoth pertingunt. At perpetua fit ab utroque contra hominem querela. Seu justus sit ; sæpiùs tepet, & nævos simul patitur, quos ratio vetat : seu injustus, peccat in cælum, quia in Dominũ cæli. Eia obstrue os utriusq; , *& incede in omnibus iustificationibus Domini absq; querela.*

2. Est sua lingua cælo tum in laudem, tum in vituperia & querelas. Stellæ & Luna, nocturna est cæli lingua : quot stellæ, tot linguæ consciæ ac testes operum, quæcunq; agis. Sol diurna est cælorum lingua. Credo, quòd non desint in te, quæ lingua hæc utraq; cæli prædicet, sed de duobus in te conqueri potest : De Ingratitudine, & suî neglectu. Quot donis locupletaris ? tot hæc in te desursum descendunt à Patre luminum; sed ingratum te loquuntur mala, quæ retribuis pro bonis. Solem tibi cælum accendit : tu fundis tenebras, & diem

vertis in noctem per opera tenebrarum. Item conqueritur cælum de sui neglectu, ne dicam, apud quosdam contemptu: avidiùs curritur in stadio ad corruptibilem coronam, quàm ad incorruptam! at quæ ista insania est, ferè pro nihilo habere terram tam desiderabilem? vix quidquam agere Cælo dignum! Heus, cæli lingua, obmutesce, nec de me conquerere: nil amplius geram Cælo teste ac præmiante indignum.

3. Vereor, ne de te iustùs sic conqueratur Cælum, vt de Sancta Mechtilde. Hanc in visu raptam accusârunt Seraphini ob teporem in amando, Cherubini ob ruditatē scientiæ Sanctorum, Throni ob defectum pacis, Apostoli ob exiguam doctrinæ suæ curam, Martyres ob pusillam fortitudinem in tolerando, Confessores ob virtutum segne exercitium, Virgines maiorem requirebant puritatem, & sic de alijs. De te potiùs sic Cælites conqueri crede, & querimonijs maturiùs occurre: inter quos adhuc audi B. Iacoponum expostulare! Amor non amatur! amor non redamatur! ô iusta conquerendi ratio?

4. Bonum Rationis maximè attendit virtus, & ab illo virtutis laus sumitur. Rationis lex est: Illicitis abstine, Honesta & laudabilia sectare: omnia mala moralia huic bono inimica. at quantò quis magis rationi se opponit, etiam ex fide Divina illuminatæ: tantò iustior contra hunc querimonia. Hinc de homine passim queritur ratio, quòd ille mendax bonum quærat, refugiat á vero: quærit mendacium & insanias falsas. An enim non insaniæ species, momentum eligere potius, quàm æternum? breve horrere, non item perenne? An non insania, eijcere ex corde aurum, & recipere fimū? expellere DEum & recipere ambitum, aliaque vitia

quovis

quovis ſterquilinio ex ſe fædiora? ſequi ſtulteſcentem mundum, non ſapientiam Sanctorum? An non inſania præferre bono Gratiæ, bonum naturæ? bono rationis, bonum pecoris, ut voluptatem vocat Seneca? ſervire inimico, ut eſt caro? hoſtem fovere, ut eſt appetitus ſenſitivus? ancillam dominari, dominam ancillari? Sic Ratio conqueritur: vide ne in his & pluribus te accuſet. Tolles querimonias, ſi ſuſtuleris earum cauſas. Tolle, & eſto abſque querela.

5. His cæli & Rationis querelis adde Querelas de te ſtatûs tui, cui non ſatis facis, Querelam Temporis, quod tibi malè effluit: Querelam Beneficiorum DEI, quibus ingratus viuis: Querelam talentorum, quibus vel non uteris, vel malè uteris; Querelam bonorum operum omiſſorum vel perperam actorum Audi, in quantis te accuſent hæc omnia, & os illis obſtrue, ne merito de te conquerantur.

§ II.

Anni pro nihilo

Quæ pro nihilo habentur, corum anni erunt. Pſ. 89.

1. OMnia noſtra in bilancem Diuinam eunt: appendimur in ſtatera, in qua aliqui min⁹ aliqui nihil ponunt. Anni etiam hîc librantur. Prout ſunt in vita actiones, tale eſt pondus anni cuiuſque Si actio nullius momenti, etiam vitæ portio illi actui reſpondens nulla eſt & pro nihilo habetur. Si vita ſic effluxit; omnes anni pro nihilo & in ſtatera cæleſti inveniuntur nullũ habere pondus. At ſi contra Baltaſarem illum manus cæleſtis ſcripſit fatale edictum, eò quod appenſus in ſtatera, inventus ſit minus habens; quid illi timendũ, qui inventus eſt nihil habens, cuius anni pro nihilo? Adde

lo? Adde ergo tu pondus aureum: nam inter metalla pondus maximum est auri; sit tua aurea ætas; aureum sæculum ab actibus pretiosis.

2, Iustus in scripturis assimilatur Palmæ, & de quadam persona dicitur in Canticis: *Coma tua sicut elatæ palmarum:* etiam minimus capillus in iusto palma triumphalis: minimæ Sanctorum cogitationes, minimæ victoriæ suî, triumphale caput efficiunt. Sed illud hîc expende, quòd Palma sit fructifera, singulis mensibus singulos ramos proferat; tot eius effectus salubres recensentur, quot sunt dies in anno. Sic nempe iustus palma est, arbor semper fœcunda: non annus illi, non mensis non dies absque fructu salutis: alioqui pro nihilo est sterile bonorum tempus.

3. Menses vacuos Iob mem orat, & tales tui etiam, quos meritis non imples. Horret natura Vacuum horret & Gratia. Vacuũ naturæ corpore caret, quo non impletur; vacuum Gratiæ caret spiritu, & merito trahente Deum. Et tamen ô quot menses anniquè vacui transeunt, nec angunt animum! ô quantum est in rebus inane! Quin potiùs te illis aggreges, de quibus dicitur: *Dies pleni invenientur in eis,* pleni gratiæ, pleni Spiritu Sancto?

4. *Amici diem perdidi:* utinã non annos omnes! Diem se amisisse Titus putârat, quo bene alicui non fecisset. Planiùs dixeris: Diem vel annum amisi, quo nil DEO dignum, nil proximo proficuum gessi, aut mihi salutare: Dies hic & annus pro nihilo. Tripliciter autem amittitur dies & ætas. Primò iuxta Augustinum: *Perdit, quod vivit, qui te, ô Deus, non diligit: Væ tempori illi, quo non amavi te!* Sic, quod tempus Deo, eiusquè amori non impenditur, amittitur: amor enim continuandus in æternitate, exigitur in tempore, quod nõ aliud esse dicitur

à Pro-

à Propheta, nisi *Tempus amantium*. Secundò iuxta Cassiodorum: *Quocunque tempore Deum non cogitaveris, puta illud tempus te amisisse*. Tertiò, qui omnia facit tempori, nil æternitati beatæ congruum, huic anni transeunt cum tempore, in quo nil est permanens, sed una pars temporis post aliam perit.

5. Est etiam sua macies annis, uti & pinguedo. Macies Annorum in Ægypto sub Ioseph fuit sterilitas, sub quam nec seri poterat, nec meti. E contra frugum ubertas, & ager plenus, cui benedixit Dominus, pinguedo est anni. Macilenti sunt anni, quibus exprobrat Deus: *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ.* vel illud: *seminavimus multum, & intulimus parum.* Tu vel unum annum discute. Horæ in Anno sunt 8760. minuta prima in eodem sunt 525600. quàm pleraque horum sine illa pinguedine animæ! quot transiêre sine merito! quot cum demerito! ô anni macilenti! dies pænè pro nihilo?

6. Psaltes Regius annos nostros araneæ confert. Nempe aranea sese eviscerat pro tela levissima, muscis tantum capiendis apta. Vide, quæ sit plurium annorum inter homines occupatio, quàm circa vana! quā circa noxia, circa apparentia bona & quæ vix telæ araneæ compares! In Vrbe Roma sub Heliogabalo collecta sunt decem millia pondo aranearum. vereor, ne plurium anni in unum collecti simile & æquè pondus inutile præstent Deo. Ergo tu statue deinceps vivere annos, qui sint alicuius momenti apud DEum; annos, quorū dies singuli pleni meritis, imo singulæ horæ & momenta operibus meritorijs vitæ æternæ impensa, annos quorum quisque dies sit perfectior, gloriæ Divinæ augmentis insignior, proximorum saluti fructuosior, Cælo DEoque dignior. Sit tibi

quilibet Annus Sanctus, Annus Iubilæi & remissionis: vive annos placabiles, & de quibus non dicas in æternitate: *Non mihi placent.*

§ III.

Reditus ad Cor.

Redite prævaricatores ad Cor. Isa. 46.

1. QVi redit, abijt ante hinc, quò redit, aut aberravit. Etiam à corde datur recessus, error à corde. Cor est primum vivens: si quis non vivit, ut primò vixit, dum secundùm Deum & cor Dei viveret; cor reliquit, non habet primum vivens, qui spiritu primævo vel Patrum, vel concepti olim sacri fervoris non animatur; sed iam terrena sapit, quæ antè nesciit: in terrena diffluit, nec in æterna intentus, aut æternis rationibus se regi sinens. Huic reditum ad cor inculco: frustra aliò redit, si adhuc à corde abest. Talis vivit simul & non vivit: vivit sibi, non vivit *Deo:* vivit in carne, non item spiritu. Redi ad cor, quisquis es hujusmodi.

2. Filius ille prodigus, qui à Patre peregrè abierat, tandem dicitur *reversus in se.* Redijt ad se, tum deinde redijt ad patrem. Id unicum illi profuit, ne fame periret; & gratiam Patris inveniret; quia reversus in se. Tanti est redire ad cor! vide quibus gradibus ad se redierit. Primus illi gradus fuit, suæ inopiæ conscientia, & fames intolerabilis. Secundus; assumpta de Patre suo cogitatio, eiusquè opulentia. Tertius, illa reflexio: *quanti mercenarij apud Parentem meum abundant panibus; ego autem hic fame pereo!* Quartus: Inductio in animum de reditu ad Patrem & relinquenda regione longinqua. Quintus, Præmeditatio de modo de precandi

precandi Parentem & veniæ postulandæ: *Pater, peccavi in cælum & coram te, non sum dignus vocari filius tuus: fac me unum de mercenarijs.* Sic ille reversus in se, reversus deinde ad Parentem, & beneficum ultra vota expertus. Quisquis peregrè à Patre luminum recessisti, sic redi. Quisquis à corde longè es; disce reverti in te, & scies ad cor redire. Breviorem viam ad reditum innuo; & illa est Resipiscentia & digni fructus pænitentiæ, post præmissā reflexionem ad æterna, ad tuam inopiam extra cor & extra Deum, ad divitias & abundantiam omnis boni apud Deum.

3. Ephraim *columba seducta non habens cor.* Arguitur cor non habere, quia seducta. non sat enim sapit, qui facilè se seduci patitur. Facilè cor amittit, quem frivola deliniunt ac seducunt, Parvo illicio tali homini cor capitur, & eripitur; fitq; velut Ephraim columba seducta sine corde. Decipit hunc vel amor libertatis, vel horror disciplinæ, vel nimia & incauta conversatio, vel evanida mundi species, vel deflexio in molliora; decipit caro & sangvis, cui dum acquiescitur, cor aufertur. Sed quidquid cor abstulit, te à corde longè removit: ad cor redibis, si quæ seduxerant cor, longè removeris.

§ IV.

Ævum momento inclusum.

Seu

Brevis reparatio iacturæ temporis perditi in operibus infructuosis.

Multiplicata sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Ps. 15.

1. DAmna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum. Non tamen sat est flere; opus est sarcire damna, si potes. & potes: nam tua damnificans voluntas est *sicut hasta Achillis, quæ & vulnerat, & sanat*: vulnerat per peccatum; sanat motu pio & iustificante in Deum cum auxilio cælesti. Hæc ergo reparet damnum, quod intulit Deo, tibi, proximo: Deo per imminutionem laudis & offensam: tibi per omissionem bonorum & intensiorum actum, ac demerita: proximo per scandalum &c.

2. De quodam dicitur: *consummatus in brevi explevit tempora multa*. Alijs hora v. g. est tantùm hora, quam implent meritis tantùm unius horæ spatio respondentibus. Sed aliis hora est instar sæculi vel plurium annorum; id est unâ horâ agunt, quantum alius per plures annos, vel sæculum. Hi ergo in brevi explent tempora multa. Et tu fac similiter post tot temporum damna: imple momenta sæculis: tempus quod superest vitæ, toto æuo. Poterant id illi, de quibus dictum: Hi novissimi *unâ horâ fecerunt*, antea totâ die otiosi, *& pares illos nobis fecisti*, qui portavimus pondus totius diei & æstûs. En ut horæ uni, incluserunt diem! horæ illis tribuit quod alijs dies integra. Nempe unus actus intensus pluris est, vel æquivalet pluribus remissis.

3. Damnum passus ab alio malæ fidei damnificatore, potest ab illo exigere tum rem ablatam, eiusq; fructus; tum pro damno emergente, & lucro cessante. Vide, quid laudis & gloriæ tu Deo abstuleris, quæ tibi & proximo damna per te illata. hoc ipso malæ fidei damnificator es, quia sciens volensq; læsisti, & conscientiâ reclamante. Ergo modum tibi offero. Aliqua opera eminenter continent alia minora, ut actus intensus multos remissos, perinde ac moneta maior minorem. Item sunt aliquæ

aliquæ viæ compendiosæ, quibus citiùs ad terminum pervenitur. Sectare & tu hæc compendia. Lucra æris omissa, auri lucris compensa; id est, nobiliorum virtutum actibus omissos actus minores. Lucra auri omissa compensent lapides pretiosi: id est, intensiorum & heroicorum actuum exercitium, minùs intensos, etsi insignes suppleat. Item compendiosa hîc via est per arctam semitam pœnitentiæ & humilitatis, crucis & mansvetudinis. Certè vel sola humilitas publicani compensat & antecellit grandia Pharisæi apud se iusti merita.

4. Modus ergo reparandi prædicti damni situs erit in actuum intensione, multiplicatione, substitutione unius pro pluribus, vel pro omnibus similibus, vel diversis simul: item in approbatione vel appropriatione sibi alienorum actuum bonorum quandocunq; elicitorum, vel eliciendorum, eorumq; ratihabitione, oblatione, & pro illis gratiarum actione: item sæpe quasi coadunando omnes actus & merita omnium justorum à primo ad ultimum in uno actu, & in quolibet affectivè, ac ijs implendo omnia momenta, etiam actionis pravæ alienæ, & olim suæ, cum proportione certa Geometrica intensionis actuum singulis momentis vel minutis per voluntatis determinationem designata, & agenda. Huc spectat Sacramentorum & contritionis vsus frequens. nempe & contritio jacturam gratiæ reparat, ac restitutam gratiam auget iterata, & Sacramentis reviviscentibus, si antè cum obice sunt suscepta, gratia revivisicit: Insuper actus heroici compensant plurimos alios omissos: Quin & unus actus insignior adæquat alienos plurium annorum; ut actus humilitatis in Coriario Alexandrino merita cuiusdam Anachoretæ, & vita fidicinis cuiusdam adæquavit merita Antonij Magni.

Annu-

§ V.

Annulus in meta:

Seu

Æternorum intentio.

Non contemplantibus, quæ videntur: quæ autem non videntur, æterna sunt. 2. Cor: 4.

1. ANnulus seu circulus æternitatis symbolum est, quòd principio & fine careat, quæ etiam interminabilitas æternitati propria. Hic tibi annulus sit in meta: ad illum, hastiludium exerce. Collimandum quippe ad æterna, nec perituris inhiandum. Clarius inprimis dixerim: *Præfer brevi æternum.* quid enim malis guttam, quàm undam? stillam luti, quàm pelagus nectaris? malis pomum, quàm silvam, vel interminabilem Paradisum? Ergo in æterna intentum gere oculum.

2. Altera sit cautio: *Vive & operare non tempori, sed æternitati* Non sit melior pictor Zeuxes, aut illius pictura terræ plausum relatura, quàm tua. Sic operari decet conditum ad æterna: Cor humanum (*monet Augustinus*) in desiderio æternitatis non fixum, haud potest esse stabile. Tempori vivit, qui in illud tantùm animo fertur, quod cum tempore perit. Vivit æternitati agitq;, qui agit, quæ laudem æternam ferant. Et tunc laus erit tali unicuiq; à Deo

3. *Temporalia sint in usu, æterna in desiderio ac pretio.* Viatori terminus viæ in desiderio; via ipsa ducens ad terminum cursu præteritur & conculcatur. In medijs ad finem nemo quiescit: in ægro medicina non satiat desiderium vel excitat, sed sanitas. Deinde animum immortalem geris; frustra omne desiderium confers in peritura! quære quod

perren-

perenitet animum duraturum, perenniter satiet ac oblectet. nam temporanea obtineri nequeunt, quin effluant. Ad hæc, sint fluctus aurei vel mellei; si tamen inducant naufragium, simulac illo contigeris, illos desiderio non dignaris: sint sanè dulces, sint pretiosi; sed perbrevi morâ vilescunt, sæpe naufragio æterno involvunt Denique bonum transiens non semper, nec ubique habes ad manum: at verò bonum æternum simul immensum est, vbique & semper illo potiri & frui potes. *Non est amandum, quod perit, sed quod potest nobiscum manere in æternum.*

4. *Æternum Bonum promereare æternis quodammodo*, ut sit aliqua proportio dati & accipiendi. Quare cùm diligis Deum, sit ille amor affectivè æternus, quasi diceres: *Amo te & æternitatem huic actui volo, quo in te feror, Deus æterne, bonum indeficiens ac æternum.* Idem de aliis actibus cogita. Item ut æternitas nunquam interrũpitur; sic neque tu continuo labore frangare, sed in te effinge, quod horologio inscriptum: *Nec mora, nec requies; imo ipsa quies, vitium est horologij*, vt vitium capiunt, ni moveantur aquæ. sit ergo in te *Motus perpetuus in Deum vel propter Deum.* Pro æternis ad huc dabis æternum, quoties in sacrificio altaris *offers Deo Deum pro Deo beatifice possidendo.* Denique infinitis Christi meritis tua conjunge: *nam ut quidam cifram iungens unitati adiecit hanc epigraphen: Ex coniunctione perfectio & valor*; sic infinito additum finitum meritum, habebit jam aliquid, quo infinitati æternitatis promerendæ par ex parte exhibeat.

5. Potest quidem meritò æternitas & beata & infelix terminare affectus voluntatis, alia desiderij & prosecutionis, hæc timoris & fugæ; tamen nihil age magis ob timorem pœnæ tantùm, vel spem

præmij

præmij æterni, quàm gratis & ex puro amore non mercenario, & sine timore servili. Ambrosius id inculcat, cùm ait: *Angustæ mentes invitantur promissis, eriguntur mercedibus: propositum piæ mentis mercedem non expetit, sed pro mercede habet iusti operis effectum.* Non tamen sine præmio diligitur, qui sine intuitu præmij diligendus est, vt addit Bernardus. Per hoc tamen non reprehendo timorem horroremque infelicis æternitatis; amorem & curam beatæ; imò svadeo hos actus saluberimos; ac ut felix æternitas pro meta votorum eligatur: insanit enim qui eligit infelicem, insistendo viæ vitæque reproborum.

6. *Annos æternos in mente habeto.* Nunquam tibi excidant duo illa verba, *Breve & Æternum.* Breve voluptatis & culpæ, æternum cruciatûs & pænæ: Breve laboris, Æternum præmii: breve visibilium & terrenorum, æternum invisibilium & cælestium. Æternitatem tibi explicabunt illa duo vocabula: Semper & Nunquam: Semper esse, & Nunquam finiri æternitatis natura est. Cogita numeros superficiei cæli supremi vel toti soliditati mundi inscriptos, eosq; & alios totidem, vel per omnes guttas marium & pluviarum, per folia arborum, per atomos terræ & äeris, imò totius universi multiplica; nihil hæc ad æternitatem omnia; quia etsi pænè innumera, tamen finita, quorum ad æternitatem infinitam proportio nulla. *Æternitas sit Doctor vitæ* melioris, & calcar ad eandem. Hîc etiam supplebis actus Divinæ laudis, amoris & adorationis, quos poterant per totam æternitatem exercere apostatæ Angeli & Animæ damnatorum, aliæque creaturæ rationales possibiles, ita ut tibi in mente sit duplex æternitas, tua, & aliena: aliena tum modo proximè dicto, tum per animarum conversio-

nem

nem & directionem ad æterna: tua, per documenta hæc in praxim deducta.

§ VI.

Admiſſio Animæ pænitentis in conclave Dei.

Peccatores recipit, & manducat cum eis. Luc. 15.

1. Acceſſus ad *Divinum* conclave cuique facilior eſt, quàm ad Principes terræ. Quamdiu vivis, patent oſtia miſerationis, nec niſi morte clauduntur; nunc nondum clauſa eſt ianua: ſit verò clauſa: aperit hanc pænitentia, aperit amor, aperit recurſus ad B. Matrem Dei MARIAM. Clavem gerunt ad DEI conclave Sacramenta; *& Sanguis IESU*, in quo quis abluit ſtolam ſuam, eſt Clavis juxta Bonaventuram. Quin & Deus promiſcuè vocat ad ſe omnes, qui onerati: Non eſt onus gravius peccato, quod præcipitat in profundum laci. Ergo accede: ſi clauſum, pulſa, aut dic Ancillæ Domini oſtiariæ, & aperiet tibi aditum ad thronum miſerationis.

2. Aliter reus accedat ad Deum, aliter inſons & jam amicus: aliter prodigus; aliter is cui dicitur: Fili tu ſemper mecum es. Accede non ſine duce, ducat te ſpes veniæ, & conſideratio benignitatis dignantis ad ſe vocare peſſimè de ſe meritum. *Intra Saulus, exi Paulus*: imò intra ſic, ut non exeas: adhære deinceps Deo; nam & ipſe dicit: Qui non eſt mecum, contra me eſt, & extra hoc conclave, ut extra Arcam ubique diluvium. Comitatu eſt inſuper opus, qui te à ſanctioribus diſcernat in hoc Divino conclavi. Sanctorum comitatus ex meritis conſtat: Pænitentia ante Regiam Dei relinquit demerita;

merita; tantùm assumit secum ea, quæ Deo reconcilient. In hoc ergo comitatu est Pudor & confusio faciem pænitentis operiens: admiratio longanimitatis & patientiæ Divinæ: admiratio Creaturarum, quæ pro offenso Deo contra reum non egerint: admiratio dignationis cor Divinum in eundē inclinantis: Accedat ad comites dolor & lacrymæ, Amor par Magdalenæ, quæ *dilexit multùm*; vel Augustino exclamanti: *serò te amavi, pulchritudo nova & antiqua!* Comes sit Zelus pænitentiæ, odium vitæ veteris, dissolutio pacti cum hostibus virtutis & sanctimoniæ: oblatio suî in exequendam voluntatem Dei: Postulatio veniæ, & gratiarum: adhibitio patrocinantium pro reo supplicum, ut est sangvis & Passio Christi, B. Virgo cum Cuia cælesti universa, alijq́ conformes pænitenti & resipiscenti actus.

3. Adhuc tibi quatuor inculco in conclavi Divino peragenda. *Primum* illud Psalmi: Aperite mihi portas iustitiæ ingressus in eas *confitebor Domino*. Sit confessio laudis & gratiarum actionis; sed ante hanc confessio criminis illi similis: Peccavi in cælum & coram te: *Peccavi, & non sum dignus videre altitudinem cæli*. Peccavi Domino. *Secundum* illud: Accedite ad eum, & illuminamini. Cor tuum abyssus; hucusque erant tenebræ super faciem abyssi; sed à Dei benefico obtutu novam hauri lucem, ut videas, quanta sit amabilitas & dignitas Deî offensi, quanta malitia peccati, quanta virtutis & gratiæ Divinæ præstantia: vel, ut videas, quanta fecisti in DEum, quanta fecit animæ tuæ Deus. *Tertium*: compensa, quidquid reverentiæ debitæ amorisq; DEO non impendisti iuxta dicta proximè 4. *Quartum* qui secutus es delinquentes, imitare pænitentes. Exemplum tibi sit pænitentiæ Publi-

Publicanus, David, mulier illa peccatrix Evangelij, Petrus, Auguſtinus, aliiqué complures: hi te docebunt, quid te oporteat agere admiſſum in conclave miſerentis DEI.

§ VII:

Digni Fructus Pænitentiæ

Facite fructus dignos Pænitentiæ. Luc. 3.

Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Matt. 7.

1. PÆnitens bis obligatur DEO: tum pro injuria DEo per peccatum illata, tum ob *donum pænitentiæ, quod majus eſt beneficium, quám innocentia* (etſi hæc ſit quid magis bonum & magis continuatum) *quia confertur perſonæ DEO inimicæ*, ut docet S. Thomas. quid ergo talem non præſtat facere? quales fructus?

2. Fructus Pœnitentiæ aliqui non ſunt digni; non tantùm illi, qui non ſunt dignificati á Gratia, fiuntqué in ſtatu peccati; ſed etiam illi, qui non ſunt tales, quales requirit gravitas peccati, & ratio jacturæ gratiæ, iacturæ temporis in operib9 infructuoſis tranſacti: item ratio auxilij Divini, cui non es adæquatè cooperatus, ſed gratiam *DEI* actualē in vacuum accepiſti. Hinc jam per oppoſitum ſcies, qui ſint fructus digni Pœnitentiæ.

3. Si ſine fructu terram occupas, ô arbor ſterilis; time, ne dicatur: *ſuccide eam.* Sangvis te Chriſti irrigavit, qui & emundavit, & poſt pluviam tā ſalubrem ac pretioſam ſterileſcas? Quod ſi fructum facis; vide, ne ſis Domino vitis amara, cui uvam acerbam, uvam fellis proferas. Potiùs de te dicat Deus: *Fructus eius dulcis gutturi meo.* Dulcis erit, ſi aletur lacrymis, amore temperabitur: dul-

eis, si omnem amaritiem excoquet idem æstuans amor, & trahet ad se zelum pœnitentiæ: dulcis, si fiat, qualem sancti illi pænitentes Deo dederunt, de quibus illud: *Et alligat contritiones eorum*; dum Sacrificium Deo, spiritus contribulatus & cor contritum præstat. Eorum pœnitentia fructum sexagesimum protulit vel centesimum; vtinam tua vel trigesimum!

4. De exploratoribus terræ Chanaan dicit sacer textus: Pergentesqué ad torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri. Quantò melior terra, tantò meliùs fructificat. Et tu terra promissionis es; promisisti Deo: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* redde ergo & profer fructus optimos & promissis pares. Vuam dulcem dat lacrima: *Botrus Cypri dilectus tuus* in cruce velut in vecte appensus: hunc offer, teque, eiusdem Cruci confixum; & sat fructuum dedisti.

5. Pænitentia digna est veluti Lignum vitæ, quod fructus vitales parit, & folia eius in sanitatem gentium. hinc enim dicitur: *Si peccator conversus fuerit à viis suis pessimis*, si pænitentiam egerit ab omnibus peccatis suis, &c. *vitâ vivet.*

Decerpam ex hac Arbore fructus vitæ, & fructus dignos pænitentiæ: quos iam subiicio *Primus* fructus esto, præter Sacramentalem confessionem & satisfactionem; insuper arbitraria satisfactio frequens, & per vitæ spatium ultrò continuata ad proportionem delictorum. 2. Contritio creberrima, & dolor tum formalis, tum virtualis; quò etiam refer, si agas omnia ex motivo contritionis & satisfactionis pro delictis. 3. Exercitium actuum bonorum præteritis noxis oppositorum. 4. Sensuum & aliarum potentiarum, quarum fuit abusus,

nunc usus rectior; ut sicut has exhibuisti servire iniustitiæ, ita è contra nunc facias; quod etiam monet Augustinus: *Quales impetus habebas* (inquit) *ad mundum; tales habeas ad Artificem mundi.* 5. Compensatio temporis malè exacti, per multiplicatos actus intensos virtutum, & momentis singulis malè traductis attributos. 6. Purgatorium amoris & desiderij continuum subire, & damnare se ad gehennam salutarem de quibus infra 31. 35. 36. 37. &c. agitur. 7. Operibus misericordiæ spiritualis redimere negligentias, & operire charitatis actibus præterita delicta. Inter huiusmodi eleëmosynas spirituales est auxilium animabus in Purgatorio existentibus, agonizantibus, constitutis in mortali peccato, atquè tribulatis præstitum. 8. Omissos actus amoris & laudis Divinæ compensare per continuum pænè amoris Divini exercitium tum elicitis actibus, tum imperatis. 9. Trahere plurimos ad amorem Dei, ut per alios etiam, non per te solùm Deo compenses amorem, quem subtraxisti. Item reducere ad Deum plurimas animas, ut Pastor ille pluribus ovibus inventis gaudeat. 10. Assumptis omnium pænitentium & Seraphicorum hominum personis & affectibus, cum omnibus & pro omnibus conteri, diligere, in lacrymas solvi: aliorum omnes contritiones à prima in mundo ad ultimam in fine mundi, imò & omnes peccati amorosissimas detestationes, quæ sunt eruntque in Beatis, approbare, in iis complacere, eas desiderare, & velut appropriatas offerre Deo. 11. Offerre Sacrificia pro peccatis: certè per sacrificium altaris, in quo Christus immolatur, exhibetur quid gratius DEo, quàm ut peccatum illius infinitatem attingat. 12. Ratificare sæpius initum statum Religiosū, qui etiam est status pænitentiæ.

tiæ. 13. Mortificationis internæ & externæ usum ex intentione satisfaciendi Deo offenso adhibere. 14. Actus heroicos, qui se offerent, in compensationem iniuriæ Divinæ & amoris DEo non impensi arripere. 15. Si exerceamur à DEo, varijs tribulationibus ac molestijs divexemur, dicemus cum Augustino: *Verberasti me, Domine, gravibus pœnis sed nihil ad culpam.* 16. Conari inter homines offensas Divinas imminui tum verbo, tum exemplo tum oratione pro peccatorum conversione. 17. Deinceps nec in minimis velle deliberatè delinquere. 18. Belneatio tuî seu dealbatio stolæ tuæ in sangvine Agni; in lacrymis, sudore, & meritis Christi in miserationibus Divinis: in marj Lacteo B. Virginis MATRIS Misericordiæ. 19. Balneatio tui in thermis mysticis, Baptismo morali & martyrio incruento, de quibus infra 5. 38. 39. tractatur. 20. Deprecatio notiorum DEI Attributorum specialiter iniuriâ per peccata affectorum, ut Bonitatis, Charitatis, Beneficentiæ, Dignitatis & excellentiæ Immensitatis, Omnipotentiæ & Concursûs &c. Item deprecatio notiorum titulorũ Christi ut Regis, Domini, Iudicis, Pastoris, Sponsi, Patris &c. Item deprecatio Christi Passi, cruentati, in Cruce trucidati à te Deicida. 21. Imitatio pænitentium ut Petri, qui flevit amarè: Magdalenæ, quæ inter contriti cordis lachrymas dilexit multum: Manassis, qui pænitens dicebat: *Peccavi super numerum arenæ maris, & non sum dignus videre altitudinem Cæli præ multitudine iniquitatis meæ:* Publicani non audentis oculos in cælum attollere, & pectore percusso illud ingeminantis; DEus propitius esto mihi peccatori: Davidis dicentis contritè: peccavi Domino, tibi soli peccavi, & malum coram te feci & peccatum meum contra me est semper: servi

rei decem millium talentorum, procidentis & rogantis, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Zachæi satisfacere plus quadruplo volente læsis: Thaidis, cuius illa oratio, *Qui me plasmâsti, miserere mei.* 22. Afflictationum seu Disciplinarum spiritualium usus descriptarum à R. P. Gaspare Druzbicki in triplici via, Purgat. Illumin. vnitiva, nempe *in via Purgativa* pro spirituali castigatione erit tum agnitio & confessio peccatorum suorum coram curia cælesti; tum luctus universalis & deploratio eorum per omnes vires & potentias totamque substantiam tuam, & totius universi: tum confusio tuî coram omnibus Creaturis de tua malitia & inclinatione ad deterrima. *In via illuminativa*, humiliatio tuî ex miserijs corporis, ex tua vilitate, fragilitate, cæcitate, mutabilitate, ruinis spiritualibus, ex habitibus vitiosis, ex paucitate virtutum & exilitate, ex miserabili conditione. *In via unitiva*, abstractio animæ ab omni creatura; accensio animæ ardenti & inextinguibili charitate; resignatio tuî totalis in omnem voluntatem *DEI*, beneplacentem & perfectam, traditio tuî totius DEO &c. 23. Huc spectat usus Indulgentiarum, & usus illius exercitij, quod est in Face Viæ Unitivæ XIX sub titulo, *Consolatio quædam DEI & compensatio iniuriarum, quas in momenta per orbem patitur DEUS.* Denique imitare S. Mechtildem quæ à Cælestibus in raptu accusata de varijs defectibus, Christo sibi animos addente, eum ceu advocatū in brachijs sumpsit offerens eius vulnera, Sangvinem & merita Passionis pro suis defectibus: humilitatem illius pro sua superbia, charitatem pro suo tepore; omnes ætatis Christi partes sanctissimas pro suis peccaminosis. quâ oblatione satisfecit Iudici.

§ VIII.

Negotium Salutis.

Cum timore operamini salutem vestram. Phil. 2.

1. HOc negotium tanti constitit DEo in carne; quid tibi? Est negotium super omnia negotia, quia agitur de æternis: negotium, quod si bene cedat, minor est iactura cæterorum: si malè; cogis Christum conqueri: *Quæ utilitas in Sangvine meo?* Idem negotium implevit eremos & claustra Religiosorum: hoc persuasit fugam sæculi & contemptum blandientium voluptatum. Toto vitæ decursu hoc negotium trahitur, & quovis momento potest æternùm feliciter vel infeliciter evenire. Nihil tamen in eo periculosius, quàm vitæ melioris *Procrastinatio*, estquè hæc *Promontorium malæ spei.* Cras est impænitentium & sæpe damnandorum: *Nunc*, est salvandorum, quorum unus dicit: Dixi, nunc cæpi. Alter monuit: Ecce *nunc tempus acceptabile*, Ecce *nunc tempus salutis.*

2. In veterum Sacrificijs inculcabatur: *Hoc age.* quo monebantur victimarij, ut uni rei & sacrificiæ actioni intenderent. Idem tibi in negotio animæ dictum puta: Hoc age: ea sit unica intentio cordis, labor præcipuus. alioquin si hoc non agis, frustra alia omnia agis, & de illorum quolibet dices cum Paulo: *Nihil mihi prodest.* Credo, quòd tibi pergratum accideret, si ad DEum converteres parem Augustino vel Magdalenæ, imò & omnes mundi peccatores; & tamen Christo etiam attestante nil prodest, si universum mundum lucreris, animæ verò tuæ detrimentum patiaris. Par ergo sit in te studium, ac in Bernardo, qui dicebat: *Non quiescam, donec de negotio salutis sim securus.*

3. Ne-

3. *Negotium omnium sæculorum*, vocat Chrysologus, *Incarnationem*: nempe de salute universi agebatur, quod exegit tot tamquè graves Verbi impensas; & continuum à iuventute laborem, doloremq; Christo indixit. Tota enim vita Christi Crux fuit & Martyrium, proinde dolor continuus pro salute mundi ab illo toleratus, Salus tua, ô homo etiam negotium sit tuum. Verbum propter illam incarnatur; & tu Divinus existe, ac velut DEvs Homo. par enim est illius ac tuum negotium; & insuper cum tuâ, in proximorum salutem te par est incumbere, ac esse veluti Salvatorem mundi. Sed primò salva temetipsum; ut Christus priùs ipse in utero comprehensor Beatus, & primus prædestinatorum, salutem aliorum procuravit. Dici ergo tibi à Creaturis rationalibus in vita credas: *Salva temetipsum, & nos;* prius temetipsū. hoc autem negotium age exprimendo Verbum Incarnatum per assimilationem.

4. Pulchra illa quæstio: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Responderi ad illam potest. Fac quod ille negotiator quærens bonas margaritas, qui unam inventam toto patrimonio ac ærario emit. Nam si dederit homo omnem substantiam pro anima sua, quasi nihil despiciet eam. Fac quod terrigenæ, qui minora bona tam sollicitè quærunt, tam anxiè concupiscunt: nam pro Rebecca Iacob: *Æstu*, inquit *& gelu urebar, fugiebatquè somnus ab oculis meis*: & ob caducas merces ac lucrum, *Impiger extremos currit mercator ad Indos*, per tot maris pericula: & ij, qui in stadio currunt, sudore manant, ut vile bravium percipiant. Ad hæc negotium hoc salutis requirit statum gratiæ, viam mandatorum & consiliorum, horrorem peccati amor talis, tempestivam pænitentiam, perseverntiam -

in bono, timorem DEI, cum quo Apoſtolus ſalutem operari ſuadet. Item vivendum, ut pauci; nam Pauci electi; at via lata ducit ad interitum, & multi ſunt, qui intrant per eam. Iuvat idem ſecuri ſtatûs vitæ electio. Salva te in monte hoc: Iuvat patrocinium DEIParæ captatum & aliorum Cælitum, quos tibi obſequijs, quibus poſſis, obſtringas. Paucis concludam cum Auguſtino: *Placeat tibi, quod ducit ad Patriam; diſpliceat, quod ab eadem reducit ac ſeparat.*

5. Etſi, quinam ſint prædeſtinati, citra revelationem Divinam ſciri certò nequeat, & DEO ſoli cognitus eſt numerus electorum; tamen ſunt aliqua ſigna Prædeſtinationis, quæ affert Drexelius in Zodiaco: ut eſt obſervatio conſtans mandatorũ DEI; nam ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata: 2. Uſus ſanctior SS. Euchariſtiæ, quæ eſt Frumentum electorum. 3. Devotio ad B. V. iuxta Anſelmum 4. ſtatus religioſus, & fuga ſæculi: 5. Amor inimicorum, 6. Status violentorum; qui cælum rapiunt. 7. Imitatio Chriſti. &c.

§ IX.

Status Gratiæ:

Vbi

De Pretio, ſtudio, augmento, conſervatione Gratiæ Divinæ agitur,

Gratia eius ſemper in me manet, de S. Paulo Ec. An. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant:* Ioan. 10.

1. NIl infelicius, quàm carere Gratiâ; quia nil infelicius, quàm iactura ſummi boni, quod eſt DEus. hic verò ut per inhabitantem Gra-

tiam inhabitat in homine, estquè possessio quædam hominis; sic statu gratiæ remoto expellitur, amittitur. Non est maior ac infelicior, quàm in damnatis pœna damni: atqui huic obnoxius est, quisquis & quamdiu non est in statu Gratiæ. Malè ergo negotium salutis curat, qui non curat esse in Gratia DEI. Hostis est Dei, qui Gratiâ Sanctificante exuitur ac destituitur: at salus æterna non datur hosti DEI, qui avertitur á summo & incommutabili Bono per peccatum, quod tollit statum Gratiæ, imò Gratiâ destitutus sine lethali noxa diu nequit agere, ut docet S. Thomas *1. 2. qu. 109. art. 8. & 9.* Ad hæc, qui scit, quanta sit dignitas pretium & excellentia Gratiæ Divinæ; is novit, quám miserum sit tanto bono exui & carere. Quantum verò id bonum sit, mox indicabo. ideò enim passim neglectum, quia non satis cognitum. Insuper status animæ sine Gratia eandem deijcit intra bruta, intra nihilum, dæmonibus æquiparat; nam & Scriptura sceleratis, qui utique gratia hâc exuti, ferarum nomina imponit; & Paulus dixit: *sine charitate nihil sum*; & de Iuda dictum: *unus ex vobis diabolus est* Porrò sufficit ad horrorem vel momento unico hostem Dei fuisse & obiectum odij Divini. Vsque adeò miserum est, non esse continuo in statu Gratiæ, sed illum peccato interrumpere vel ad modicum tempus!

2. Gratiæ Divinæ tibi jam pretium & excellentiam propono, ut æstimes, magnoqué studio procures eandem & conserves. I. Gratiæ status te attollit supra naturam Angelicam, etiam Seraphinorum: ac ut vilis vermiculus superatur ab Angelo, sic existens in gratia superat naturam Angeli, atque adeò si magnum quid putares, si vermiculus mutaretur in Seraphinum; longè majus est, dum per sta-

per ſtatum Gratiæ eveheris ad Divinum ſtatum, eſquè in gradu Divino & Deifico ordine, factus per gratiam conſors naturæ *Divinæ*. Hinc omnis naturalis perfectio, excellentia, pulchritudo nihil eſt ad ſtatum gratiæ dantis animæ excellentiam & pulchritudinem ſuper omnem naturæ pulchritudinem; eò quod ſit in Divino gradu, & participatio Naturæ Divinæ. Hinc ſi magnum eſt, ſi poſſis te-ipſum vel lapidem mutare miraculosè in ſupremum Angelum; plus eſt, quòd te in ſtatu gratiæ vel alios piâ operâ collocando, reducas ad ſtatum Divinum. Præſtat alijs miraculis tantæ rei effectrix Gratia, & toti naturæ antecellit. II. Gratia facit Filium DEI adoptivum: reſpectu huius filiationis quid eſt eſſe filium terreni Regis? Maius omni natalium claritate eſt, quòd ſis natus ex Deo, quòd ſis è familia DEI. Filij à parentibus tantùm accipiunt particulam vilis materiæ & carnis putidæ; at ſtatus Gratiæ te Filium DEI conſtituens dat tibi integrum Divinum ſpiritum & naturam, cuius conſors efficeris. Quæ verò alimenta dat huic filio Deus? nulla ſic mater alit: Carne Filij Dei nutriris, aleris DEO Incarnato. III. Amicum *DEI* adhuc te reddit Gratia, at amari à Deo quantum eſt! Neſcit à tali ſeparari DEvs, & beneficijs replet locupletiùs amicum, qui inimicis etiam ſe tam beneficum præſtitit. Cognati aliquando odio habentur; at ſemper diliguntur amici. Creſcit verò hæc amicitia *DEI* erga animam gratiâ præditam, quòd illam excellenti & iucundo fædere ſponſam *DEI* efficiat IV. Trahit divinum ſpiritum imò totam Beatam Trinitatem ad animam Gratia ô quantum bonum! quàm amabile contubernium Dei! quàm iucunda poſſeſſio? *Ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus* De tali quolibet etiam

illud

illud dicitur: *Et Spiritus Sanctus erat in eo.* Nempe facit gratia illum esse ex illis filijs hominum, cum quibus esse Deo deliciæ sunt singulares. V. Eadem Gratia est semen gloriæ æternæ! ô pulchra sementis! iucunda messis! Est vestis nuptialis, est stola prima. est nota discernens inter filios DEI & filios diaboli, est clavis ad Cælum. o Gratia sanctifica me! posside me, possideam te! ô quàm insanit, qui te non æstimat?

3. Vnicus homini necessarius & svavis sit labor Curare, ut sit continuó in statu gratiæ, ac ut omnia in gratia operetur. Proximus huic labor incumbat eidem, nempe, Augmentum Gratiæ, & in eadem mori. Felix, cui hæc tria contingunt. Porrò Gratiam comparat & infundit amor Dei & contritio perfecta, & confessio Sacramentalis: augent eandem Sacramenta, & bona opera in statu gratiæ facta: conservat eandem fuga & horror constans peccati mortalis, imò & venialis, quod sæpe ad mortalia disponit: fuga periculorum, in quibus possit amitti Gratia; item amolitio impedimentorum salutis, postulatio Divini auxilij & perseverantiæ in gratia.

4. Felices, qui confirmati in Gratia, confirmati in tam excellenti bono. Specialis hic Dei favor, quo confirmat iustos Dominus. Sic Beatam Virginem præmaturè, sic postea Apostolos confirmavit: *Ego confirmavi columnas eius Ps. 74.* Hi inde felices, quòd è statu filiationis & amicitiæ Divinæ non excident, nec peccare mortaliter, per quod á statu gratiæ exciderent, possunt. *Omnis quidem, qui natus est ex Deo non potest peccare,* ut habetur *1. Ioan. 3.* sed multò magis qui in hac filiatione Divina, ob quam dicitur nasci ex Deo, est confirmatus. Est id summè desiderabile, sed paucorum. Aude tamen

gratiam

gratiam hanc postulare, quam aliqui postulârunt: omnia dirige ad id obtinendum: & ad Sanctos tantæ gratiæ conscios & participes ora, continuum statum Gratiæ eorum suffragijs requirendo, ac ut nunquam à Deo per peccatum separeris. Quæ item ad hunc tam felicem statum conductura noveris, non omitte.

§ X.

Opus Misericordiæ siingulare, Studium placendi semper Deo.

Miserere animæ tuæ, Placens DEO. Eccli. 30.

1. INdigentia proximi & miseria est motivum misericordiæ. Nam tolle famem, cui frangis panem? tolle nuditatem, cui præstas vestem? non sit captivitas, quem redimis? non sit ægritudo, quem visitas? Tantò autem misericordia urget, quantò maior miseria. Porrò miseriarum maxima est displicere Deo. adeoquè qui eruit ab hoc malo animam, opus misericordiæ præstat excellens & singulare. Sic ergo miserere animæ tuæ, Placens Deo.

2. Quantò majus bonum est, cujus iacturam quis adiret, nisi illi subvenires; tantò insignior misericordiæ actus esse potest. Quid verò grandius meliusquè, quàm placere *Deo*? cum nec deterius quidquam sit, quàm sit eidem displicere? Hinc enim anxius animo revolvebat David: *Quod si mihi dixerit Dominus, Non places.* 2. *Reg.* 15. Exaggerat bonum Chrysostomus, cúm ait, *Omni regno desiderabilius esse placere Deo*; qui aliud quid requirit, nescire hunc, quantum sit bonum, placere Deo. Exaggerat & Bonaventura: Qui tibi, inquit, *pla-*

cuerit, longè fiet à perditione. Et sanè si desideras placere homini; majus est, Deo posse placere: ut magis æstimas, si lauderis ab uno docto, quàm à mille stultis. Quare ex magnitudine tanti boni colliges, quàm sit excellens actus misericordiæ, non permittere aliquem acte inprimis huius boni subire jacturam.

3. Primus qui placuit, Christus est, de quo illud: In quo mihi benè complacui. At quo modo? *Quæ placita sunt ei, facio semper.* Age Placita semper, qui placere desideras. Secunda post Christum, Beata illius Mater placuit. Quomodo autem? *Cùm essem parvula, placui Altissimo.* Humiliare & tu, & age exemplo Matris viventium; & placebis. De alijs Sanctis dicitur: Complacuisti in eis: quare? quia erant *homines magni virtute, pulchritudinis studium habentes,* viri gloriosi, viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt. Quidni tu eódem enitaris? Denique Hieronymus de Ioseph Patriarcha inquit: *Vnum propositum habebat, placere Deo.* At modus, quem hic secutus est, constat ex scripturis, cui insiste.

4. Placent, quæ pulchra. Pulchritudo iuxta Philosophum consistit in proportione partium & svavitate coloris. seu consistit in integritate, proportione, amænitate. Talis sit pulchritudo animæ, quæ studeat placere Deo adsit integritas vitæ, cui nihil desit ad debitam perfectionem operum & intentionum: adsit proportio ad lumen internum & gratiam: adsit amænitas conscientiæ, quæ gaudium reponat in Domino & in læta sufferentia Crucis. Iuvat hîc addere, quod in illud Canticorum: Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es; annotat Bernardus: Quæramus inquit, *geminam animæ pulchritudinem. Decor animæ,*

humili-

humilitas est. verum in eo, qui pecaavit, etsi amanda, non tamen admiranda humilitas: at si quis innocentiam retinet, & humilitatem iungit; nonne is geminum videatur animæ possidere decorem! En genuina pulchritudo, quiâ placeas Deo. Denique age omnia, ut Placeas Deo, quia tibi placet Deus, quia id placet Deo, & ad illud encomium Divo Bernardo datum aspira: *Cui pulchro sermone pulchrior sit vita;* hæc unica vitæ pulchritudo placebit DEO.

5. De quadam anima dicitur: Macula non est in te: Ornatam monilibus Dominus concupivit. Sanè ut placeant homines alijs sui spectatoribus, maculas omnes abstergunt, & ornatum inprimis cultumquè corporis adhibent. Etiam DEO placere qui cupit, minimas cordis maculas emundet ac evitet: ut sunt etiam subreptitia venialia, imperfectiones nec veniales, passiones nondum edomita desideria immoderata, intentio non defæcata & quæsitio sui, studium placendi hominibus & metus displicendi, amor proprius & cuticulæ, effusio in externa & sensibilia, & sensuum oblectamenta, vanæ delectationes & complacentiæ ac sosolatiola, adhæsio ad res etiam minutas, personas, locum, metus Creaturarum, cogitationes importunæ & superfluorum cura, præcipitantia in agendo &c, Deinde ornare animum per contraria dictis maculis curet, & per cogitationes sanctas, internos affectus sublimes, dominium sui in agendo, desideria Sancta & intentionē defæcatam, actus heroicos & victorias sui, fervorem in operando &c.

§ XI.

§ XI.

Viator Immaculatus:

Seu

Quintuplex Puritas.

Et macula non eſt in te. Cant. 4.

Beati Immaculati in via. Pſal: 118.

1. DEVS *totus oculus*, ait nonnemo veterum, imò & Auguſtinus. Oculus non fert etiam pulviſculum, quin eum eluat & expellat: quid *Dei oculus*, qui *mundus eſt, ne videat malum, & ad iniquitatem reſpicere non poterit?* Maculas victimarum ei Piſcina Pròbatica eluit: animarum labes Purgatorium aufert ante cæli ingreſſum: ante uſum SS. Euchariſtiæ jubet probari quemlibet à ſeipſo, & dealbari ſtolam in ſangvine Agni. ita nil oculis ſuis objici vult Deus inquinatum! Quò nempe quis melior, eò magis odit peccatum, ſeu verum ac purum putum malum: DEO autem nil melius, quidni ſic horreat illud?

2 Impurum, ut ait S. Thomas, *fit ex admiſtione vilioris vel deterioris: ut argentum per admiſtionem plumbi fit impurum; non tamen per auri, per quod fit melius.* Sic cùm ſe anima temporalibus ſubijcit per amorem, fit impura; & purificatur per contrarium motum in Deum. ô aurum, eſto aurum ſine ſcoria, argentum ſine plumbo.

3. Nec ſola iniquitas vel deordinatio affectûs ad res infimas inquinat. Sed ſunt & in Sole maculæ, & bona non ſine aliquibus nævis perſæpe; adeòq; iuxta ſcripturæ phraſim, *& iuſtitiæ menſtruantur.* Sol eſt bona actio; ſed ſit radijs vel ab atomo depurati

puratis ; nec tantum liber à macula sit animus quæ illius nitorem habitualem & permanentem tollat; ut mortale; vel quæ actualem ac dispositivè etiam habitualem impugnet, ut veniale peccatum; sed etiam bona sint absque mistura mali: *Esto Sol sine maculis.*

4. Quinque ergo puritatis gradus attingendi: *Primus* æternum odium gerit peccati mortalis. *Secundus* etiam á venialibus noxis deliberatis cor purum servare statuit. *Tertius* ab affectibus minùs ordinatis ac inquietis ad res, personas, locum & officia, item à passionibus ac perturbationibus animi; adeòquè ab omni affectione terrena ac imperfectione non attingente culpam venialem abstinet. *Quartus* procurat puritatem maximam intentionis impermistæ vanis finibus & quæsitioni sui ipsius; ne fortè id sit arbitrarium obsequium DEO præstitum, in se nullum; eò quòd arbitretur se quis obsequium præstare Deo, cùm tamen sui potiùs commodis & commoditatibus, suæ voluntati & solatijs obsecundet. *Quintus* curat etiam puritatem à reatu pænæ purgatorij, quæ obtineri potest potest per usum Indulgentiarum, Sacramentorum & Sacrificiorum, mortificationum, operum charitatis & amorem inimicorum, per actus heroicos, & alia pia opera, ut ex Tridentino colligitur. His posset addi puritas corporis seu castimonia; sed ad primos tres gradus referri potest. Sic ergo puritati stude, & macula non erit in te, quæ impediat, quominus Deum videas, quem videbunt mundi corde maximè, si vitare etiam præterito § indicatas cordis maculas sedulò evites.

§ XII.

§ XII.

Impecabilitas moralis.

Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, & non potest peccare. 1. Ioan. 3.
Quomodo possum peccare in Dominum meum? Gen: 39

1. IN Patria cælesti erit non posse peccare: in vita hac mortali est posse non pecare, Id alterum sufficit quidem: nam hæc potentia non peccandi pars libertatis est & excludit necessitatem pecandi, adeoquè dicit potentiam implendi legem obligantem: Primum tamen optabilius est, idest, non posse peccare. Sed id tantùm est eorum, quibus datum est à natura; ut Deo; vel à gratia ac Privilegio, ut quibusdam. Alterum tamen nemo est, qui non habeat ex nobis in hac vita degentibus, nempe posse non transgredi: & pulchrum est prima sectantem in secundis consistere.

2. Impeccabilitas alia est Physica, qualis est in Deo ratione naturæ, in Christo ob unionem Hypostaticam, in Beatis ob visionem Dei: Alia moralis, cùm ita voluntas in bono firmatur, ut nunquam vel raro & difficulter, etiam leviter, præsertim deliberatè peccet. Primam à te non requiro; quia nec Deus, nec Christus es, nec adhuc Beatus, at nec confirmatus in gratia: etsi tum ad similitudinem ac sanctitatem Dei eniti debeas, ipso urgente; *Sancti estote, quia Sanctus sum*; tum ad similitudinem Christi, cùm Deus nos velit conformes fieri imagini Filij sui; denique visioni Beatæ respondet fides & continua præsentis Dei memoria, quæ quam non svadet puritatem ac impecabilitatem? sed tamen Moralis est impecabilitas, ad quam te urgeo.

3. Hanc ut procures, excitabit te tum eius possibilitas, tum utilitas, tũ quidquid ad tranquillitatem & puritatem conſcientiæ incitare poteſt. Expende, quæ ſubijcio. I. Pulchrum eſt in loco exilij Patriæ ſtatum ac felicitatem imitari, ubi eſt impotentia ad peccandum: at talis impeccabilitas, ſtatûs illius imitatio eſt. II. Si gaudes, dum ex vulnere convaleſcis; majoris ſolatij cauſa eſt, eſſe pænè invulnerabilem. III. Amicum Dei eſſe ac Filium, eſt amabile & beatum: quàm ergo beatum erit, non poſſe moraliter ex ſtatu tam beatæ amicitiæ ac filiationis excidere? IV. Non eſt tam felix (ut ſic loquar) Divina Bonitas & amabilitas, quin apud pleroſque odium formale aut virtuale incurrat; quin ab omnibus ferè, ſaltem leviter offendatur; quàm ergo illi pergratum feceris, ſi tu in eam nec grave, nec leve quidquam audeas, ſed neque moraliter poſſis committere? V. Qui ſcit, quanta ſit peccati in ſe odibilitas, quanta malitia & in animum ſibi conſcium tyrannis; ſciet, quám deſiderabile ſit, non poſſe moraliter peccare, VI. Certè hoc idem eſt etiam moraliter non poſſe damnari, & è cælo vel excludi penitus, vel tantisper arceri. nam à ſolo peccato eſt obex ac peſſulum æternum vel temporaneum ad cælos. VII. Si per mare naviges, in quo nulli æſtus, nulli ſcopuli & fluctus, ſed mare ſemper pacificum; quàm optabilis hæc foret navigatio! ſimilis, imò ſvavior malacia in eius animo, qui non peccat, nec moraliter poteſt peccare.

4. Moralem hanc impeccabilitatem tibi poſſibilem reddet Gratia, quam poſtula; & media præſcribenda, quæ adhibe. *Primum* ſumetur ex amore in Chriſtum in dies ardentiori, quo ſic in bono ſtabiliare, ut dicas: *Certus pænè ſum, quia nequè*

mors,

mors, neque vita, neque ulla creatura poterit me separare à Charitate Christi. Certè charitas est opposita peccato mortali, & maior charitas odit etiam veniale. Si ergo velis, ut omnia quæ agis, sint velut continuus actus amoris Divini perfectioris, nempe excludentis etiam affectum ad venialia; ille actus pugnabit cum omni peccato, eritquè cum illo incompossibilis, proinde quandam inducet impeccabilitatem. *Secundum* medium est, usus frequens detestationis omnis peccati, actuum amoris Divini, aliorumquè excludentium affectum ad quævis peccata deliberata. alioquin si facilè delinquis, inter prædictos actus difficiliùs delinques, si cordati & sinceri sint, non tales, qui illam Christi vocem ad te extorqueant, quâ Samsoni Dalila dicebat: *dicis, quia diligis me, & mendax es. Tertium*: Passionum præcipuarum, quæ multorum criminum sunt fontes, refrenatio, earumque sensim domandarum studium; uti & aliarum occasionum delinquendi studiosa declinatio; quò & custodiam sensuum ac cogitationum primò oborientium victoriam refero. *Quartum* est usus frequens reflexionis, & armatus antè proposito cordato animus contra prævisos defectus: item actus protestativus ex motivo aliquo supernaturali, quòd nolis vel levissimè advertenter delinquere, cum postulatione Divini auxilij: quem actum quâlibet horâ sæpiusquè, quâlibet communione & visitatione Venerabilis Sacramenti, item urgente tentatione renovare assvesce. *Quintum* est: Habitus virtutum oppositarum inolitis vitijs, exercitio inductus. *Sextum*: Meditatio horrorem cujusvis peccati incutiens. *Septimum*: Memoria Immensitatis & omnipræsentiæ Divinæ, uti & Passionis Dominicæ, quæ ut licentiam peccandi refrenat, sic ad di-

ad dictam impeccabilitatem plurimùm conduce
Vltimum medium offert Dionysius Areopagi
cùm ait: Oportet nos in Diviniſſimam Chriſ
vitam reſpicere, & ad eam ſimilitudinem mirabil
impecabilitate in Deiformem ac immaculatum
hominem recurrere.

§ XIII.

Argumenta,

Contra peccatum mortale.

Et emundabor à delicto maximo Pſal: 50.

1. PEccatum mortale eſt velut infernus; quem ſecum rea conſcientia circumfert. Nam ut in inferno eſt ſervitus diaboli: eſt pæna damni ſeu iactura Dei: eſt pæna ſenſûs, ac vermis conſcientiæ: ita peccans lethaliter ſervus & mancipium fit dæmonis, à quo victus eſt: & amittendo Gratiam Sanctificantem, amittit etiam Deum aliâs in anima ſvaviter inhabitantem, atque ſic quandam patitur pænam damni: & incurrit reatum gehennæ ac pænæ ſenſûs æternæ: denique habet parem inferno torturam conſcientiæ. Quare vivens ſe in infernum præcipitat, qui lethiferè peccat; iamquè eſt pænè unus è damnatis, aut dignus damnari, & ad quem infernus habet jus ad rem. Hinc Ambroſius inquit: *Impij etiam dum vivunt, in inferno ſunt.* quod confirmat Bernardus: *Infernus animæ eſt, rea conſcientia.* ô peccatum! quid in te malitia vecors amet! Eſcam devorat, qui hamum non videt ſic perimentem.

2. Imò peccatum lethale, deterius eſt inferno: Tum quia peccatum eſt culpa, infernus eſt pæna: omnis autem culpa eſt præ tali pæna deteſtabilior;

unde etiam Deus non odit pænam æternam ignis, odit culpam; est Creator inferni, non est auctor peccati: Tum quia pæna inferni est malum creaturæ, estquè contra illam: at peccatum est contra Deum, estquè malum extrinsecum Dei. Hine Augustinus & Anselmns eligebant sine peccato infernum, quàm cùm peccato cælum. Et certè magis est odibile malum aliquid Deo quàm malum creaturæ, quæ Deum debet appretiare supra omnia sua bona & carentiam mali sui ac supra seipsam, & detestari peccatum super omnia detestabilia Vnde & Eleazarus senex *Malebat se præmitti in infernum*, quàm legem Dei transgredi. 2. *Math*: 6.

3. Etsi de hoc scholæ disceptent; tamen noxam lethalem esse pænè infinitæ malitiæ svadet tum ratio injuriæ, quia est gravis offensa Dei infiniti, pro qua etiam non potuit satisfieri ad æqualitatem nisi à Persona Divina infinitè utique digna: Tum ratio damni, quia hominem privat Deo, bono utique infinito: Tum ratio reatûs pænæ, quia hominem addicit pænæ infinitæ quoad durationem, seu æternæ. Certè Augustinus dicit: *Sicut Deus est infinitus in ratione boni; sic & peccatum infinitum in ratione mali.* ô anima, horres malum in terris finitum, & non exhorrescas infinitum? Imò par esset habere odium peccati infinitum & satisfactionem pro illo infinitam.

4. Peccatum mortiferum est pugnatquè omnimodè contra Deum, ut Deus est: quia eius Divina attributa impugnat, velletquè Deum non esse: vellet enim aut nescire illum de peccato; & sic tollit eius scientiam: aut nollet puniri à Deo peccata, & sic tollit ejus justitiam: item omnipotentiæ concursu abutitur, immensitatem non reveretur, non redamat charitatem, Bonitatem virtualiter

odit; & ultimum finem statuit in Creatura bonoquè commutabili.

Idem peccatum est contra Deum ut Dominum, cujus iugum & dominium hîc excutitur, nec illi obeditur; Est contra Deum ut remuneratorem, quia peccator præmium cæleste non curat, & pænam non timet: Est contra Benefactorem, cuius beneficia tantâ ingratitudine & contemptu rependuntur: Est contra Redemptorem, cujus sangvinem conculcat peccator, & super dolorem vulnerum eius addit: rursusque contra illum clamat, Tolle, Crucifige: Quare novis infernis dignus, qui post Christi mortem peccata repetit, idcirco obitam, ne repeterentur; quo ipso illam repetit. Denique per idem peccatum Auctor naturæ ac conservator Deus spernitur, & supremum eius ius affectivè tollitur, nec recognoscitur, consequenter ipse Deus quasi tollitur de mundo, cùm sine suo supremo iure non constet Divinitas. ô quanta rabies in Deum peccatoris! Quis cum sancta illa anima non exclamet: *ô amor non ampliùs peccatum*, quod utique est gravis contemptus DEI, gravis irreverentia & odium DEI tunc virtuale, gravis rebellio in DEUM, gravis ingratitudo & inobedientia summo Legislatori, gravis iniuria, conculcatio legum Divinarum, Deicidium seu Christicidium toties repetitum.

5. At verò idem peccatum ut contra teipsum est, in quem armat creaturas in ultionem pro suo Creatore: Non est tibi nocentior hostis, quàm vel unum lethale crimen, quod te & bono infinito privat, & malo æterno implicat. Delet in te imaginem Dei, & in dæmonem te transformat. unde Catharinæ Senensis dialogi peccatorem vocitant dæmonem incarnatum; & Chrysostomus dicit hominem

minem

minem peccando fieri dæmonem, imò ipſum peccatum appellat dæmonem voluntarium. Item peccatum animam tuam in *Dei* templum thronumq; *Divinæ* Triadis conſecratam, efficit dæmonum ſpelæum. Item omni fructu te privat bonorum operum, quæ in ſtatu peccati facis, cùm ſine charitate nihil hæc proſint iuxta Paulum, nempe ad meritum gratiæ & gloriæ. Mitto indurationem, impænitentiam finalem, pænam peccati per plura alia peccata à Deo permiſſa quæ pæna eſt omnino graviſſima. En quid eligis, dum eligis peccare! Reſpice tandem, & tanti tui Divinique hoſtis ipſe æternus hoſtis eſto, ſi Deus, ſi ſalus animæ, ſi beata cordi æternitas. Plura habes motiva ad repugnandum, quàm peccandum: voluptas trahit, Deus vetat: ſi moleſta via virtutis; moleſtior gehenna.

§ XIV.

Atomus oneroſiſſima
Seu
Peccati venialîs levitas gravis & horror.

Qui ſpernit modica, paulatim decidet Eccl. 19,

1. SI levia hæc ſunt, tantò turpiùs, te ab hoſte leviſſimo proſterni. Sic te pluma debellet, quem graviora tela non attingunt? Gigantæum ſcelus te non ſuperat & pumilio de te triumphum canat? Quid, quód hæc levia quidem ſunt; ſed in *Deo* nihil eſt, quod vel levi irreverentiâ mereatur affici; nec illa res, ob quam delinquitur, habet quidquam inſignius, quo trahat ad noxam, quàm bonitas & dignitas *Dei* habeat, quo retrahat?

2. Quid ceu leve reputes, quod ſolum poſt

mortalem culpam Deo displicet? Ingens malum est, quod maximo tantùm malo (quod peccatum mortale est) minus est, & simul idem maius omni alio malo, quod non est culpa. *Non* leve malum, quod debes malle vitare potiùs, quàm omnes morbos necesquè: & infernum. Non leve malum, quod nec oblatâ salute mundi totius & liberatione omnium ex inferno, & cessatione omnium Dei offensarum facere liceret: nam non sunt facienda vel minima mala, ut eveniant bona. *Non* leve malum, quod suspendit gratiarum influxum & munificentiam Dei, impeditque magna dona cælitus manatura, adeoque rem pretiosissimam, id est charitatis fervorem imminuit. Ad hæc non exile malum est, quod etiam in dilectis animabus graviter torquet Divina justitia; sicut non leve duceres, si Mater dilectissimum filium in rogum aut rotam agi, vel in partes concidi juberet. ô leve gravissimum! ô gravis Deo cæloquè levitas, quod nil leviter iniquinatum admittit, antequam plenè eluatur!

3. At illud quomodo non percellet animum, quòd veniale disponat ad mortale? Id verò triplici ex causa contingit: Tum quia diminuuntur & attenuantur Divina auxilia sita in protectione, excitatione, & directione, idque in pænam delicti: Tum quia per illud accrescunt tentationes: Tum quia habituatus homo in parvis disponitur ad magna, vt patet inassueto furari res parvas, qui paulatim oblatâ occasione furabitur res maioris pretij. Nempe peccatum est velut cancer, vel sacer ignis, qui sensim serpit per corpus, donec cor enecet. si ergo sacro igne affectam partem resecas metu mortis corporalis; quid non facies contra veniale, ne intereas per mortale, ad quod sensim

ducit?

ducit? Ducere autem ad mortale præter Theologos censuêre Patres. Hinc Nazianzenus venialia comparat scintillæ, ex qua fit sæpe incendium: Augustinus tum pluviæ guttis, unde fit inundatio & diluvium, tum arenæ, monetque: *Projecisti molem, vide ne arenâ obruaris:* Cassianus comparat stillicidio sensim lapidem cavanti: Divus Thomas infirmitati, quæ sæpe disponit ad mortem. S. Franciscus dicebat, *sufficere dæmoni, habere de nobis tenuissimum capillum; faciet ille fortissimum funem.* Denique *per ungvem detinetur avis, & tamen totum corpus detinetur*, ait Ephræm.

4. Etiam venialia delet sanguis Christi. ô certe non contemnendæ maculæ, quæ sangvinem è Christi venis eliciunt in suî emundationem! non spernenda vulnera, quæ pretioso medicamine sanantur! sed neque peccantem levior pæna manet tum positiva, eaque vel temporalis; vel si iungatur veniale mortalibus peccatis, cum quibus quis ex hac vita decedit, æterna juxta quosdam Theologos, eò quòd ut culpa venialis nunquam damnato dimittitur; ita neque pæna, quam illa trahit, ut radix pænæ! Tum pæna privativa, ut dictum proximè de imminutione cælestium auxiliorum. Quare fuge hæc levia, elue, imminue: dele contritione & attritione etiam virtuali, usu SS. Eucharistiæ sine affectu ad venialia, usu Confessionis & Sacramentalium, operibus charitatis. *Non dicas* (ut monuit Bernardus) *levia hæc sunt, non curo corrigere, hæc enim impænitentia est irremissibilis.*

§ XV.
Fædus.
Contra rebellionem Voluntatis.

Et à voluntate tua avertere. Eccli: 18.

1. IN *potentiis ordinatis secundum movens non movetur, nisi virtute primi moventis*, ut ait S. Thomas. Sic voluntas mota à *Deo*, appetitus sensitivus à voluntate, cui prælucet ratio directrix, ordinatè agit: alioquin rebellio est non ferenda: sub te enim debet esse appetitus tuus, & tu dominari illius: similiter si voluntas nolit se subdere legi directivæ, quæ est ratio indita à Deo & lex æterna Dei; rebellis est, & ut contra rebellem est agendũ.

2 Accendo te contra Voluntatem rebellem. Non est hostis *Deo* tibique infensior: hic enim te damnat & perimit: hic Deum in Crucem agit. Nullus eodem deterior. nam quidquid malorum moralium vidit horruitquè orbis, hic fecit hostis: hic cædes, lites, furta, fæda flagitia induxit & exercet. Nihil peccatis fædius pejusvè; at voluntatis hic partus est: absit voluntatis liber in peccatum assensus, peccatum non erit. Quod sint tot damnati, voluntas fecit: quòd sint tot scelerati & in sceleribus obstinati; eadem facit. Idem hostis subdolus est, quem dum foves, te præcipitat: dum faves, obtruncat. Idem amens est, quia mavult peritura, quàm æterna: mavult turpe & delectabile, quàm honestum, Deumquè ac æterna bona venundat pro nihilò: non quid deceat liceatvè, sed quid libeat, attendit. Ergo arma in hunc hostem, non satis est frenare & vincere voluptatem, frena & voluntatem, uterque complex eat in vincula.

Volun-

Voluntas principalis est rea, quam nec tot beneficia cæli leniunt & compescunt.

3. Fædus contra rebellem voluntatem multiplex ineatur. Fædus cum virtute, per amorem virtuosæ nec inordinatæ actionis: Fædus cum abnegatione, quæ voluntatem frenet tum ex alijs, tum illo motivo, quód abnegatio voluntatis propriæ gaudio illam privet humano, sed *Divino* imbuat ac cælesti. nemo enim magis abnegavit propriam voluntatem, quàm Beati in cælo cum voluntate Divina tantùm conformes; tamen felices ac lætissimi sunt in hac ligatione voluntatis. Si velit ergo voluntas esse in cælo, ubi summa est abnegatio voluntatum; hîc incipiat esse, qualis non desinet esse in æternum. Item Fædus ineatur cum cælo, unde auxilia in cor rebelle deducenda, & sæpius imploranda. Potissimùm tamen Fædus feriatur cum voluntate Divina; cui cor & voluntas propria desponsanda, ut nesciat nolitque velle ac nolle, nisi quod nolit aut velit Deus, sequè ad eius nutum & arbitrium totam componat.

4. Fædus hoc quotidie innova, & in rebellem voluntatem vincula præpara: imo vincula illi inijce, ut gemat in illis captiva. Præter obedientiæ votum fatale propriæ voluntati, ac præter continuum te vincendi studium, vinculi ad instar erit consideratio eorum, quibus te paulò antè contra rebellem hunc animaui: item impressa animo virtutis pulchritudo, & fæditas mancipij voluntatum propriarum. vinculum item sit obligatio status: vinculum cælestis conformitatis ad Divinum velle imitatio: vinculum, pericula talis mancipij: item minæ & promissa Divina: vinculum sit Incarnatio & mors Salvatoris, ne tantus labor sit cassus, si voluntas pessum eat: vinculum sint beneficia Dei, de quibus

quibus etiam illud apud Prophetam dicitur: *Traham eos in vinculis charitatis.* Quare voluntas tua sit semper apud te in vinculis, sit ut mancipium. Hæc sit quotidiana contra illam tessera, quâ te incites: *A voluntate tua avertere. Gemma est Cælestis Patriæ, & nummo propriæ voluntatis* (sic devinctæ) *emitur*, ut docuit Bernardus.

§ XVI.

Odium amoris plenum,

Seu

Odium sui ipsius

Amoris proprij æternus hostis.

Perfecto odio oderam. Ps. 138.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ioan: 12.

1. A*Mor sui malus usque ad contemptum Dei facit civitatem terrenam, scilicet* Babylonem, quam sibi & habitatoribus diabolus inchoavit. Fimor Babylonis misera, si fortasse is in te regnat amor ô quando dicetur: *cecidit, cecidit Babylon illa* caput, cum ejus fabricator corruet, noxius sui Amor; & aliâ *civitatem fabricabit amor Dei usq; ad contemptum sui, nempe Ierusalem*; quæ cogitatio fuit Augustini.

2. Duplex odium sui est malum iuxta Divum Thomam. *Primumnd*, dum quis corporis vel aliud bonum prosequitur, per quod perniciem animæ suæ creat *Secuum*, dum quis advertenter ad malitiam actûs peccat, iuxta illud: *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Neque hæc odia hîc svadentur, ubi odium laudatur saluans, non perimens:

mens: odium, quod sit verus amor, non merè odium, vel falsus amor, qui obtruncat: deniq; suadetur hîc non amor, ut quis pereat; sed odium, ne pereat.

3. *Datur* odium suî ipsius perfectum & sanctum. *Qui odit animam suam, in vitam æternam custodit eam*: ait Veritas incarnata. Elucidat Bernardus: *perdet eam, vel ponendo, ut martyr; vel affligendo, ut pænitens*: & tale odium abnegationi voluntatis & cupiditatum coniunctum, *est sublimioris Philosophiæ genus*, teste Chrysostomo. Sic & tu philosophare.

4. Objectum huius odij est totus homo secundùm corpus & animam. Quia anima est principium & causa peccati: Corpus verò incentivum peccati, estquè inquinatum tot concupiscentijs sensuum, & complex peccati; proinde anima sit in corpus administra iustitiæ; sicut aliquando in complicem fungitur socius sceleris munere carnificis. Ad hæc si quis ignorantiam & cæcitatem, si proclivitatem animæ ad malum, si eiusdem vitijs inquinatæ fæditatē, si sentinam saniemq; corporis attenderit, vel quòd ipse causa fuerit illusi & excarnificati Dei Hominis; quid in se odio dignum non advertet?

5. Adhuc motiva sancti in teipsum odij prosequar. I. Nimiùm te amâsti; opus est nunc te odisse: nam te amando pænè perîsti; at vergente navi in unum latus, in contrarium latus nautæ inclinant. II Eò vicinior Deo fies, quò à te remotior, adeòq; à te exire debes, ut ad omnium finem Deum venias. Nimirum inter Deum & inordinatum tui amorem chaos magnum interiacet. II Præstat ut te Deus ardentissimè amet, quàm ut tu teipsum: satis lucri est in odio tuî, amor apud *Deum*. hic verò sat luculentus erga te elucet, dum te pro odio hu-

jusmodi salvare promittit; dicit enim: qui odit animam suam, in vitam æternam custodit eam IV. Nullus hostis maior tuus, quàm tu, quàm voluntas tua, quàm corpus tuum. debes ergo capitales inimicitias tecum agere. Quippe ab amico & domestico lædi acerbius est quàm ab extraneo. Infernus, mundus etsi contra te sint: tamen omnes inermes, nisi tu arma ministres; nec nocebunt, nisi tu tibi noceas: in tuo est arbitio damnum: voluntas tua est, quæ te perdit, & hostes ad te conficiendum juvat assensu: denique tu resistis beneficentiæ DEI ac inspirationibus. quare vix est odium sufficiens iniurijs illatis tibi à teipso. V. Si te iustè oderis, quia scelestus in teipsum fuisti; ô quàm iustiùs in te odio exardesces, quòd scelestus in Deum eiquè perfidus fuisti? Indignaris Iudæ & Caiphæ, & tibi blandus eris? at illis peiorem te ducere debes; proinde ut in peiorem excandesce. Dæmone peior es unius superbiæ reo, & cum illo amicitiam non contrahis; quomodo ergo tecum sis pacificus? VI. Insuper utile id sanctum tuî odium. Nam amor tuî facit, ne ames Deum & proximum, sed in te solo amando occuperis: odium vero tuî facit, ut ames etiam inimicum, non tantùm alium proximum Deumq́;. Item peccata tollit idem odium. nam irasci nolet, qui gaudet læsus: non superbit, qui gaudet contemni: nec impatiens erit, qui se omnibus supplicijs dignum putat: nec voluptates sectabitur, qui carnem suam crucifigit cum vitijs & concupiscentijs suis, ut hoc odium facit. Ad extremum gaudij continui hîc vena latet. Nam sæpius eveniunt incommoda, raró commoda: quare qui de adversis suo amori gaudet, semper aut sæpius gaudebit VII. Si teipsum amas, debes te odisse. nam odium tui ipsius, est verus tui amor:

nec te diligis, si te diligis; sed diligis, si odisti. Paradoxum id te docuit Christus, cum dixit: *qui odit animam suam, custodit eam: qui amat animam suam, perdet eam.* Vides ergo, ut non ames teipsum, si non odisti; si odisti, diligis.

6. Odij huius sancti qui actus & indicia sint, hinc colliges. Qui alium abnegavit & odit, si illum arctari vinculis patique quid viderit, nil movetur, nec occurrit: sic qui odit seipsum, non parcit corpori suo, non parcit sibi, etsi sic se odisse, est sibi parcere: Item resistit pravis cupiditatibus. imó sicut fratres Ioseph non poterant illi pacificè loqui, sic nec ille pacificè vivere secum potest, quin corpus & voluntates suas crucifigat, novoq; sacrificij genere *Deum* colat, exhibendo corpus proprium hostiam Deo viventem, & quoddam sacrificium Crucis, carnem crucifigendo. Idem sacrificium facit de immolato suo honore & æstimatione, de contemptu suî: item per abnegationem omnis amoris sensualis, neglectum commoditatum, exemptionum, per continuam mortificationem interiorem & exteriorem.

§ XVII.

Parænesis Ad continuam mortificationem.

Propter te mortificamur totâ die. Ps: 43.

Die ac nocte non habuit requiem caro nostra. 2. Cor: 7.

1. NOn svadeo, nisi quod æquitas & ratio multiplex svadet. I. miles sit semper accinctus armis, si est inter hostes semper. at tu es: foris enim pugnæ, intus timores: habes continuum hostem domi, carnem & rebellionem volun-

tatis,

tatis, repugnantiam legi mentis. arma igitur corripe, arma tua sunt vigiliæ & austeritas, mortificatio loricam præstat: ut spinæ hortos sepiunt & armant. II. Mortificatio est tum æmulatrix Christi, tum vindex Divinæ offensæ. Verùm Christo te conformem continuò esse expedit, cuius tota vita Crux fuit; unde *Marci 10.* dicit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibo:* ponens in præsenti quòd, semper calicem Passionis biberit etiam ante Passionem. Quod si vindex es iniuriæ Divinæ, continuò à te pænas exigere debes, qui & toties delinquis, & auderes continuum culpæ, nisi manu Divinâ tenereris. at malè est, si urbs flagitiosa sit sine gladio vel usu suplicij in facinorosos. III. Qui continuum pænæ æternæ meruit; quid magnum, si continuum pænæ tenporaneæ ultro ferat? Qui continuum gloriæ æternæ sperat, ad quam non sunt condignæ passiones huius temporis; quid magnum reputet, si continuò exhibeat, quod non est condignum, sed leve tribulationis? IV. Punias in te ipse; ne puniat Deus. Nam in quantum non peperceris tibi, Deus parcet. Idipsum monuit Christus Dominus Sanctam Birgittam: *Etsi te diligam,* inquit, *tamen nil possum permittere impunitum: idcirco punias te, aut puniam ego.* At horrendum est incidere in manus Dei viventis. Non est ergo severitas nimia in mortificatione continua, sed potius est indulgentia, parcisq; tibi, dum non parcis: nempe, quia facis, ut parcatur. V. Idonea dispositio ad gratiam maiorem, est sui afflictatio; & exaltatio mentis est crucifixio carnis ac vitiorum, proinde si sit continua mortificatio, maior erit dispositio ad gratiam & exaltatio. Item semper est crucis materia; semper ergo adsit mortificatio, quâ illā feras.

2. Continuam mortificationem suadet adhuc

aut ho-

authoritas & exemplum. Nam & Paulus monet: *Semper mortificationem in corpore nostro circumferentes:* & de seipso alijsq; ait: *Propter te mortificamur totâ die: non habuit requiem caro nostra: Quotidie morior* per vestram gloriam. Item S. Ignatius Societatis nostræ Parens admonet: *maius ac impensius studium cuiusque sit, quærere continuam in rebus omnibus, quoad fieri poterit, mortificationem.* Idem virum magnæ orationis, si vir simul magnæ sit mortificationis, censebat æstimandum. Præterea ut cumulat merita, sic & coronas mortificatio. hinc S. Teressa post obitum cuidam apparens dixit: *Si qua ex causa vellem carere beatitudine tantisper, certè, ut ampliùs pati possem, cuius nunc tantam in cælis mercedem video.* Quod si discreta & discontinua coronatur mortificatio, quid Continua? continuæ adhuc exemplum accipe in B. Virgine, de qua Gregorius Turonensis scribit, quòd ex quo templum ingressa est, semper sit usa cilicio; somnus illi super nuda humo vel duris tabulis fuerit. Denique ut alia virtutum exercitia, sic mortificationem continuam & perseverantem illud Tertulliani dictum suadet: *In Christianis non quæruntur initia, sed finis.* cum ergo continuò finem spectare debeas, semper ut incæpta alia virtute, sic mortificatione persistas.

3. Hæc verò continua sui afflictatio & persecutio sit totalis. nam S. Hermannus omnes corporis cupiditates proculcans, illud pro causa austeritatis attulit: *Quia Christus id suasit verbo, aliud non permittit exemplo.* Hanc verò totalitatem in eo sitam volo, ut in omnibus, quoad possis, hanc virtutem exerceas. Actiones ergo totius diei & variæ occasiones exeutiendæ, quid in illis mortificationis contingat, vel ultro assumi queat: quid item in sensibus externis & interno in potentijs tri-

bus animæ: quid in linguæ usu, quid in officio, quod geris: quid in conversatione cum alijs: quid in passionibus animi, quid in intentionibus, in pravis consvetudinibus: quid in votis & regulis: quid in mortificatione honoris, amoris proprij & mundani: quid in provenientibus ab extrinseco, à *Deo*, ab hominibus: quid quoad quinque fontes patiendi ex Balthasare Alvarez, nempe quoad tempus secundùm vicissitudines: quoad mundum, per contradictiones: quoad corpus, per morbos, famem vel sitim, lectum, vestitum, victum: quoad proximum per morum adversitatem: quoad spiritum, per desolationem, ariditates &c. Ergo hæc omnia vide, prævide, adinveni: dispone & exequere.

§ XVIII.

Heros,

Seu victoria sui ipsius.

Certamen forte dedit illi, ut vinceret. Sap: 10.

1. SVas alij ex hoste externo laureas recenseant, pulchrius est à seipso & ab interno hoste palmam exigere! Tum quia hic hostis idem est, qui intimè amicus, id est, tu ipse; proinde ut rariùs hic prælij, sic insignius victoriæ genus: Tum quia victoria tui ipsius est conjuncta cum victoria alicuius vitij vel inordinatæ affectionis aut passionis, quæ nobilior est triumphis muralibus & in campo cruentis: Tum quia hostis in hoc conflictu fortis armatus est; puta, voluptas, amor proprius: voluntas & iudicium proprium; contra quæ pauci prævalent & plures vincuntur. Quare hæc demum insignior sit victoria, seipsum vicisse. Hinc & Gregorius

gorius magnus inquit: *Plus saltantem, quàm pugnantem stupeo Davidem:* pugnando enim hostes superavit, saltando coram Arca seipsum vicit. Hinc & Romani Duces triumphantes Vestali Virgini cedebant de via: nam nobiliorem iudicabant victoriam Vestalium, quam illæ de ipsis, de voluptate, de hoste domestico referebant, ut advertit Hieronymus.

2. In te ipso habes quem vincas. Non unus tibi hostis, nec unum cum omnibus certamen & pugna diuturna, quæ cum vita desinit. Habes hostem domi, rebellem spiritum: habes corpus, quod spiritum oppugnat, sed tibi tantùm Deus fidit, ut non unum tibi hostem opponat, sed spiritum simul & corpus, ut illud vincas, & in cælum cum spiritu inferas. Angelis solum spiritum conservandum dedit Deus, plus tibi; ergo vince, & Heroem te proba. Sensus expugna, sic bene senties: visum, sic meliùs videbis: jeiunes; bene gustabis: surdus melius audies. Habes insuper judicium proprium, quod non facilè in pugna alteri cedit: habes sensitivum appetitum, sensum communem: hostis intra, hostis extrà. Duo potissimùm vincendi sunt affectus, Amor & Timor. nam ut religiosissimus ille Scriptor ait: *ex inordinato amore & vano timore omnis inquietudo cordis & distractio sensuum oritur.*

3. I ergo per triumphos de te ipso ad coronam justitiæ, quæ illi datur, qui de se dicit: Bonum certamen certavi, & gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Christum. Inter Cælites coronatos ferè quilibet victor. nam non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit. Hinc victoribus cælum promittit multa præclara: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ: vincenti dabo manna absconditum & nomen novum: Qui vicerit, faciam illum columnam in templo*

DEI mei: Qui vicerit, dabo ei ſedere in throno mei. Qui vicerit, non lædetur á morte ſecunda. Sic quos ad vitam illam non deſituram, & ad thronum cæleſtem, cæleſteſq; epulas adlegit, cælum victores eſſe cupit. Hi ſunt violenti illi, qui cælum rapiunt, nempe violenti ſuis inclinationibus, violenti cupiditatibus, violenti habitibus vitioſis & naturæ. Hæ victoriæ, hæ violentiæ victores efficiunt illos & coronant. Quot victoriæ, tot ſtellæ, quæ coronam illis gloriæ contexunt. Vnde cùm ſe tibi aliquid generosè vincendum obtulerit, tibi cogita dici: *Veni, coronaberis.* Quod ſi de ſtellis cæleſtibus dictum: numera ſtellas, ſi potes; etiam tu quotidie tecum ini calculum, & numera, in quibus te viceris, quot laureas hodie in cælum intuleris Heros, quot ſtellas in coronam gloriæ accenderis iuxta illud: Et iuſtitias quaſi lumen accendent, ut ſit etiam tua corona ſtellarum duodecem, imò plurium. Sic ergo quotidie Heros eſto: per victoriam tuî id nomen mereberis, quam tantopere cæleſtes illi Heroes IGNATIVS & FRANCISCVS XAVERIVS inculcabant; imò & Senecæ dictum ad illam urget: *Et nos*, in quit, *vincamus aliquando, ſimuſq; inter exempla & Heroas.* Nec difficultas obſtet: *pleraque enim ideò ſunt difficilia, quia non audemus.* ut rectè idem dixit.

§ XIX.

Heros ſecundò
Seu
Heroicæ Actiones.

Homines magni Virtute, Eccli: 44.
Sanctimonia & magnificentia in conſpectu eius. P.ſ.9.5.

1. VSque adeò non unus Heros eſt! Et quamvis victor ſuiipſius Heroicum quiddam ſpiret;

spiret, tamen latius adhuc patet Heroïca actio, quàm victoria sui. Nempe Heróica actio etiam illa est, quæ ex obiecto ardua: etsi jam ex subiecto non sit vel beneficio virtutis & piæ assvetudinis, vel gratiæ specialis; ita ut se ibi homo non vincat tantopere, & sine ulla repugnantia rem ex se difficilem aggrediatur. Quare ad victoriam suî concurrit difficultas ex parte subiecti vel etiam simul obiecti: hîc verò sufficit difficultas ex parte obiecti. Sic plerique Sanctorum in plurimis subiectivâ difficultate caruerunt, & spiritus in illis promptus, carne etiam desuper firmatâ. unde aliqui prunas calcando, per rosas se incedere putabant dîcebantque, etsi ex parte obiecti heròicum quid argueret difficultas subeunda.

2. Adhuc aliter explicari possunt actiones heroicæ distinctæ à primi Herois sese vincentis actibus; nempe penes intensionem actûs, qui remissis pluribus antecellit, ut Heros vel Gigas pumilioni vel infirmiori; cùm tamen victoria sui possit consistere in actu remisso. Item ad victoriam sui maximè spectat tum fortitudinis virtus, quæ est moderativa timoris, audaciæ & tristitiæ, firmatque voluntatem in bono rationis contra mala imminentia; inclinans ad eadem præsentia toleranda vel aggredienda: tum virtus Patientiæ spectat ad victoriã hanc, seu virtus æquanimis tolerantiæ malorum sine perturbatione tristitiæ: At verò heròica actio latiùs sumpta, & fortitudinem includit; & virtutem magnanimitatis, quæ inclinat ad magna in omni genere virtutum, ac, ut ait Aristoteles, quærit excellentiam in omnibus. Vnde victoria sui potest esse in magna re vel exili, magnanimitas in re magna tantùm: sicut & fortitudo simpliciter firmat voluntatem contra maximum malum,

 quod

quod est mors: fortitudo secundum quid firmat voluntatem contra minora mala. Hinc objectum huius Heròis secundi seu magnanimi potest dici esse opus ut magnum, actio virtuosa & difficilis, ut magna & sublimis. Proinde idem magnanimus Heros iuxta Philosophum *Ethic.* 4. magis curat veritatem, quàm opiniones, non timet contemptus, non demiratur pompam & gloriam humanam, quia nec æstimat: injurias tradit oblivioni: pluris æstimat bonum rationis, quám quodcunque corporale bonum: denique aggreditur magna, quæ etsi excedunt vires naturæ, non tamen gratiæ à Deo communicatæ; & ideò debet esse magnanimus in Deo, non in seipso, Atque hinc patet, quid velit idem Philosophus 1. *Ethic*: c. 7. dicens, quòd homo non debeat operari ut homo & mortalis, sed ut immortalis & Divinus, ob Divinorum contemplacionem continuam, quam debet habere. Hoc illud item est, quod ait Tacitus: *Optimi mortalium altissima petunt.*

3. Grande illicium est ad Heròicas actiones, complatentia Dei in ijsdem; & excellentia Divina grandioribus quibusvis obsequijs dignissima. Gaudet, si ut de Pauli miraculis *Act*: 9. dicitur, non quascunque virtutes per manus nostras operetur: gaudet, si quis post magna, & maiora horum faciat. Certè huiusmodi Heros audiet, quod Abraham. Quia fecisti rem hanc, benedicam tibi. Præterea compendium viæ cælestis est per Heròica: citiùs per hæc summum attingitur; & quod alij diuturno tempore, heros hic aliquot momentis assequitur; eò quòd alij sectentur lucra ex re velut ferrea, ille velut aurea: alij ut pigmæi gradiantur, ille exultet ut gigas ad decurrendam viam. Actio heròica insuper est velut gemma illa

centum

centum elegantiarum, quæ una plurimis præcellit: est quid unum præ cunctis, unum præ multis ac pro multis. De Debora dicebatur: Cum Debora facta est contentio magnanimorum. quod verò opus est huius Heròinæ? Sisaræ caput clavo perforavit: Esto & tu magnanimus, contende ad gloriam magnanimorum, ad caput & summa applica manum.

4. Vide iam singula, in quibus Heros esse possis, & pro norma vide heròica Sanctorum facinora. Heroicum illud S. IGNATII Societatis nostræ Fundatoris, ad salutem animarum procurandam etiam cum incertitudine salutis suæ sese offerentis. Heròicum S. Teresiæ exemplum voventis sectari è duobus aliud perfectius. Profero & ex Annalibus MARIANIS P. Ioannis Nadasi, qui de *P. Iacobo de Saura Soc: nostræ* hæc scribit: *vovit se voluntatem DEI impleturum quàm perfectissimè: nunquam se suam facturum; sed quoad posset, quidquid in quovis opere maioris perfectionis, magisque eximium agnosceret.* Item sangvine suo scripsit: *Ex amore SS. Trinitatis, IESV, MARIÆ, & Sanctorum omnium voveo procurare maiorem perfectionem: voveo non habere affectum ad rem ullam, præter Deum solum; & procurare, ut habeam continuum actum amoris Divini.* Hæc de illo prædictus Author. Omitto aliorum exempla: tu etiam ex his ad magis ardua & magnifica eniti disce, teque inter Heròes inscribe.

§ XX.

Præmori ante mortem.

Seu

Mors Mystica & vitalis.

Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in DEO. Coloss. 3.

1. VIta tua sit mors; id est, vive ut mortuus; morere, ne moriare, seu, antequam moriare. Augustini dictum est: *Moriar ne moriar.* Nempe amori huius sæculi moriendum est, ut jam tibi crux sit omne, cui mundus inhæret. nam *mori voluptati, mori mundo & sibi ipsi vita est*; atque hæc est mors Evangelica, ut eam vocat Augustinus.

2. Modum huius mysticæ mortis expressum habes tum in Apostolo Paulo, qui de se dicit: vivo ego, iam non ego, vivit verò in me Christus; nam qui sic moritur, vitâ propriâ caret, & vivit vitâ Christi: vivit sic, ut dicere possit: *ego, non ego*; Tum in S. IGNATIO Societatis nostræ Auctore, qui (ut in eius processu Canonisationis habetur) à seipso amorem rerum creatarum prorsus abiecit & in Deum transtulit, etiam amore suî ipsius amandato. Addebat, *se vivere non posse, si quid in animo suo humanum vigeret, & non ex omni parte Divinum.* Ita ergo morere, & vitâ vives.

3. Doctor mellifluus, *optabat dupliciter mori, nempe morte Iustorum, & morte Angelorum.* Prior mors fit moriendo cupiditatibus, quantùm ad voluntatem: Altera fit, moriendo terrenis imaginibus, quantum ad intellectum. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Qui sic vivit, potest cum Psalte Regio dici mortuus à corde, nihil enim cordis in eo vivit cupiditati & voluntati propriæ ac terrenæ; nil intellectui proprio & cogitationi terrenæ seu abiectæ ad infima.

4. Adverte differentiam huius mortis à Physica & corporali. Hæc enim in instanti perficitur, illa Mystica mors durat per totam vitam: Hæc omni sensu & actione hominem privat; illa non sen-

sum tollit, sed in malis consensum: Hæc hominem reddit ineptum ad omne bonum, ac omnem cum hominibus consvetudinem: illa alacriorem facit ad bonum morale, & expeditum ad commoda hominum procuranda. Tali ergo præmorere morte: sic semper esto in agone. Illud tamen fixum tibi hæreat, quod P. Petrus Manricius Societ: nostræ sub effigie Crucifixi in suo conclavi inscripsit: *Quoniam mortuus es, sepelire; alioquin malè olebis:* Sepelire, inquam, in Deo iuxta illud Pauli: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in DEO.

§ XXI.

Experimentum mortis,

Seu aliter

Præmorere, antequam moriare.

Quotidie morior, 1. Cor: 15.

1. EXperientia malis sensum aliquatenus imminuit. Quod quis assvevit pati, faciliùs tolerat, quàm qui nunquam. Vt de Hercule dixit Poeta, quòd *cælum ferre didicit ferendo*; sic de quovis onere ac malo dixeris, quòd ferre illud possit quis discere, ferendo. Ergo & mortem Physicam experimentalis quædam illius notitia ac exercitium leniet, deinceps subeundam Semel quidem moriendum est, sed experimentaliter, ut hîc dicetur, sæpius licet. Hæc verò mors experimentalis in eo sita erit, si te sæpiùs quasi in agone colloces, eaque agas, quæ tunc salubriter geri queant debeantve.

2. *Vivit Dominus, quia Filius mortis est*, dicebat Dauid. Hinc patet, quod etiam mors parit, adeoq; plerisq-

plerisque est Mater vitæ melioris, qui dicantur potiùs Filij vitæ, quàm mortis. Sic Isabellæ Augustæ mors vitam Francisco Borgiæ dedit. Sed ut mors fæcunda bonorum Parens est; sic & experimentum mortis. Iuvat recensere fructus, quos profert. *Primus* est; quòd ab assuetis non erit passio. Non pavet mortem, qui eam toties prægustavit. *Secundus* est, præparatio continua: sic enim mori paratior eris, & liber ab improvisa morte. *Tertius*: scies mori, qui toties discebas bene mori. *Quartus*: scies alienæ morti benè consulere. *Quintus*: sic faciliùs imitaberis mortuum, ad quod Ascetici incitant, si te geras persæpe ut mortuum: permittes facilè tecum geri omnia velut cum mortuo, quoad locum, vestitum, aliaque sensui gravia vel oblectantia; quia quoad hæc mortuus non repugnat, ut ijs careat, vel illis oneretur. En ut mors experimentalis est pænè Arbor vitæ, quæ tam vitales fructus parturit!

3. Putes illud identidem mortem occlamare: *Constituas tempus, in quo recorderis mei*. Constituas tum ob prædictos fructus, tum Sanctorum exemplo. Nam *S.* Franciscus Borgias quater & vigesies moriebatur quotidie, toties agonis ultimi memor. Sic S. Teressia edocta á Christo *Domino*, quotidie de morte vesperi cogitaret: Sic S. Chrysostomus depictam in conclavi mortem habuit & gehennam, ut eius memoriá præmori doceretur. Sic & Carolus V. Imperator viventi sibi justa persolvi palam voluit. *Sic* Iustus Lipsius decubiturus dicebat: *Ad lectum, ad lethum*. Ergo constitue tu quoque tempus, in quo per diem mortis recordêre. Tale tempus erit tum ante Sacrum & Communionem, ut hæc sit velut viaticum cæleste; cùm ipse Christus SS. Eucharistiæ annectat memoriam mortis dicens: *Qui manducat meam carnem, &c.*

in me manet, & ego in illo, & ego resuscitabo eum in novissimo die: Tum experimentali huic morti tempus erit qualibet horâ, ut illius ignorantiæ malo occurratur: *Nescitis diem, neque horam*: Tum in quolibet examine conscientiæ, quod Tribunalis Christi exercendi in morte imago esse potest: Tum eundo cubitum seu ad lectum, velut ad lethum; aut cum B. Stanislao Kostka dicendo: *si placet Domine, ut ex hoc lectulo non surgam, fiat voluntas tua*. Tum eundo ad mensam, nam non sine causa David, *Cinerem tanquam panem manducabam*, & potum meum cum fletu miscebam. nempe memoria cineris, in quem homo revertitur cibus est, nec à cibo corporis separanda. Puta non sat te splendidè epulatum absque hoc cibo Regio *D*avidis.

4. Praxis tam salubris exercitij hæc esto. I. præter Confessionem Sacramentalem opportuno tempore faciendam, nunc supererogatoriam peccatorum Confessionem institue coram Christo & tota Curia cælesti. 2. Contritionis perfectæ actum intensum elice. 3. Martyriū cordis & Baptismum spiritualem in lacrymis & lavacro sangvinis ac meritorum Christi; item quadruplex Purgatorium (de quo paulo inferiùs) præmitte; ut tantò purior sis in agone hoc imaginario. 4. Actus intensos compensativos offensarum Dei singulis vitæ momentis respondentes in maiori & maiori proportione elice, & omnes in uno actu interno quasi coadunatos exhibe. 5. Intentiones prævias ad mortem magis meritoriam præmitte, quæ hic habentur 23. §, & in libro qui inscribitur: Pretiosæ cogitationes morientium in Societate IESU. 6. Opta, approba, repræsenta merita Christi, B. Virginis, & Sanctorum, quibus ut proprijs per Communionem Sanctorum te investias, eaq; offeras.

7. Vota

7. Vota religiosa, & actus internos fidei, spei, charitatis, adorationis, resignationis, laudis, gratitudinis, aliosqué renova. 8. Communionem spiritualem per modum viatici subiunge. 9. Extremæ unctionis verba sensibus externis mente & affectu accommoda; ut faciebat P. Wolfgangus Graveneg. 10. Testamentum tuum mysticum corde renova: redde credita spiritualia, debita, stipendia: inscribe pia legata, nempe omnia, quæ potes, pro animabus Purgatorij, & pro peccatorum conversione: 11. Valedic creatis rebus, earumqué amori 12. Commenda tuum agonem & moribundos morti Christi & B. Virginis. 13. Aspira ad visionem DEI, & ad illam opta quàm plurimos adducere. 14. Morere in amore & ex ãore Dei, & Deiparæ; ex latria erga Deum, & hyperduliâ MARIANA, ut fecit P. Alexander Regoudt, qui ultimò dixit: *Morior in adoratione latriæ SS. Trinitatis, & hyperduliæ B. Virginis.* Item P. Michael Apathi dicebat: *IESV patientissime, da mihi amore honoreque tui & SS. Matris tuæ mori.* 15. Adhibe aliquid, quo indulgentiam Plenariam, vel minorem consequaris. 16. Sepelire in vulneribus Christi, ibi esto, ibi inveniare: Adam, ubi es?, Elzeari, ubi resides? *Quære me in latere Crucifixi.*

§ XXII.

Schola Bonæ Mortis

Et non faciet avolare à te Doctorem tuum. Isa: 30.

1. EX adultis nemo bene moritur, si non in schola Bonæ mortis eruditus. Primus in ea profecit Abel justus! alij successêre, quorum vitam & agonem cælum approbat. Esto & tu Discipulus Bonæ mortis, ne rudem mors opprimat. Ars est ma-

eſt maxima, nôſſe practicè bene mori: ſine hac nihil eſt omnis eruditio. nempe ſchola Bonæ mortis, ſchola eſt charitatis; *at ſi habuero omnem ſcientiam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.*

2. In hac ſchola ediſce in primis Principia Bonæ mortis. 1. Qualis vita, talis ferè mors; adeòque non ſolet benè mori, qui vixit malè, nec è contra. 2. Semel moriendum; nec datur hîc bis errare. Alibi dicitur: Errata corrige: Emendemus in melius; ſed mortis error incorrigibilis. Porrò iuxta Philoſophum, *quod ſemel faciendum eſt, maximo apparatu faciendum.* 3. Malam mortem malè quidem compoſitæ vitæ rationes faciunt, ſed maximè ultimum vitæ inſtans; ideò dicitur de tuis hoſtibus: *Ipſi calcaneum obſervabunt:* 4. Dilatio vitæ melioris eſt promontorium malæ ſpei; adeòque ſera & incerta eſt nimis vita craſtina, vive hodie, hodie reſipiſce. Huc ſpectat nôſſe falſum ſæpiùs eſſe Prophetam, Pollicitationem vitæ longioris. 5. Multùm intereſt, quomodo te mors deprehendat. *nam in quamcunque partem arbor ceciderit, ſive ad Auſtrum, ſive ad Aquilonem, ibi erit.* 6. Neſcitis diem, neque horam, nec genus mortis, aut locum. Qui his principijs dirigitur, non facilè illud infert; *Ergo errabimus.*

3. In eadem ſchola Practicæ Concluſiones & Bonæ mortis dogmata hæc traduntur. 1. Præmorere, antequàm moriare, ut paulò ante indicatum. 2. In horas vigila, quaſi jam jam dicturus, *Venit hora mea.* ac proinde ita vive, ut te á morte deprehenſum velles. Omnis actio ſit velut agonizatio, & vita ſit continua diſpoſitio ad bonam mortem, ac tot horæ ad momentum, à quo incipit æternitas. 3. Conſideranda mors ut præſens vel proximè immi-

imminens. nam (Philosophus ait) *malum distans non terret.* 4. *Tempus tuum, tempus amantium*: id est, vita tua continuus sit actus amoris Divini vel eliciti, vel imperati, ita ut in momenta possis dicere: Non tam vivo, quàm diligo; & in ultimo vitæ instanti dicere queas: non tam morior, quàm amo Deum; vel, morior in amore & ex amore tuî, Deus; vita mihi abrumpitur, sed amor continuatur. 5. Cùm non sine dolore relinquatur, quod cum amore possidetur; ne tunc divulsio sit à rebus ac personis amara, maturè cor à creatis avelle, illo potissimùm motivo: *Non est amandum, quod perit, sed quod nobiscum potest manere in æternum.* 6. Cùm non unus dicat: *Timor mortis conturbat me*; contra hunc timorem te præmuni vitâ timoratâ & elimatâ conscientiâ per contritionem & Sacramenta, Dilige, & mortem non pavebis: nam *perfecta charitas foras mittit timorem.* 7. Vide ne illud dicere cogaris: *Non est in morte, qui memor sit mei.* quare tempestivé Patronos bonæ mortis elige, potissimùm B. Virginem, quæ tunc memor sit tuî: ideo Xaverianum illud, *Mater Dei, memento mei*, potissimùm ad instans mortis refer. 8. Plurimum interest, amoliri impedimenta bonæ mortis, & statum vitæ eligere, in quo homo vivat puriùs & securiùs, moriatur confidentiùs.

4. Doctores in hac Schola. *Primò* est mors Christi & Sanctorum, Christi mors in Cruce; non ergo *mollis est è terris ad astra via*; in cruce moriendum. 2. Vita Christi & Sanctorum. hæc est via ad vitam, & huius viæ terminus est bona mors. 3. Mors ipsa Doctor est, qui docet benè eligere, benè suis rebus consulere. unde Alphonsus, *optimos dicebat consiliarios esse mortuos.* Idem Doctor in veritate docet, neminem palpat, & nemo verius

fert

fert de terrenis iudicium. 4. Lex Divina & Scripturæ ac lumina cælestia vicem huius Doctoris ac munus obtinent. Es ergo & tu in medio Doctorum, imitare duodennem IESVM audientem eos & interrogantem; & vide ne serò conquideraris: *Cur non audivi vocem docentium me, & Magistris non inclinavi aurem meam?* Prou: 5.

§ XXIII.

Lethum sit lætum:

Seu

Dulcoratio Mortis.

Ridebit in die novissimo. Prou: 31.
Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. Philip: 1.

1. QVi odit mortem, amat mundum hostem suum & locum tentationum. Si amas vitam, ama potiùs permanentē, quàm fugientem. Morte amittis durationem temporis, & incipis durationem æternitatis: si tempus suave, an diutiùs durare non sit suavius? suave momentum, & non dulcescat sæculum? tempus dulce in ærumna, & non erit dulcis duratio continua in gloria? Ad hæc qui amat vitam in terris, amat locum, in quo non vivitur sine peccato, ubi in multis offendunt omnes.

2. Sunt & in morte deliciæ ac dulcedo. P. Franciscus Suarez moriturus dicebat: *Nunquam putabam esse tam suave mori.* Mors certè suavissima ardenter desideranti videre Deum faciè ad faciem, Amor Divinus suavissimus est; at huius etiam est velle ardenter videre Deum in Patria, quod non contingit, nisi à morte, quæ est janua ad visionem

Beatam

Beatam: unde qui sic amat, suave illi erit mor-
Præterea in lacum Arath lignum iniectum ax ama-
ris reddidit dulces aquas. Lignum est Crux Chri-
sti in eadem mortui: etiam hoc dulcorabit mor-
tem, per quam omnes velut aquæ dilabimur. Qui
nempe velit vivere, dum Vita amore nostri mori-
tur, dum *spiritus oris nostri Christus Dominus expirat*?
Tradidit ille spiritum; & ego tradere, á quo il-
lum accepi, recusem? Auget delicias ac dulcedi-
nem mortis, suave Patrocinium DeiParæ studio-
sè curatum. Hinc enim P. Ioannes à Campis sub
mortem dicebat cuidam: *O si scires quantum in mor-
te solatij afferat Deipara singulari culta studio*: Deni-
que mortis dulcoratio trahi poterit ex Encomio
mortis, quod est sequenti §.

3. Adhuc fons dulcedinis etiam in amara deri-
vatur ex suavibus motivis. quantò hæc plura &
suaviora; tantò minus acerba sentiuntur. Sic mel
acorem temperat: & spes mercedis ac stipendij
pondus diei, & vitæ pericula reddit dulcia. Iam
suavia mortis motiva ingero & intentiones sanctæ
mortis. *Primò, Volo, quod vult Deus*: nolo igitur vi-
tam, si Deus nolit: infinities potior meliorq; est
voluntas Divina nolens me vivere, quàm mea vi-
vendi voluntas: melior item misericordia, quam
imploro ac spero, super vitas plurimas, non su-
per unam tantùm quam vivo. 2. Volo pro meà
Christo obitam mortem, illi utcunque rependere
oblatione vitæ meæ. nam & de morte S. Stephani
canit Ecclesia, quòd mortem, quam pro nobis Sal-
vator dignatus est pati, hanc ille primus reddidit
Salvatori. 3. *Mori non detrecto, quia volo actum he-
roicum* fortitudinis simpliciter dictæ elicere, qui
proscribit ab animo timorem mortis; volo actum
heroicum propter *Deum*, qualis est in contemptu
rei cha-

rei chariſſimæ, id eſt; vitæ mortalis, quam illi dono & offero. Hic eſt meus Iſaac, quem ſibi vult à me offerri Dominus: Æmulari placet heroicum facinus Abrahæ, cui dictũ· *Tolle filium unigenitum, quem diligis, & offer illum mihi in holocauſtum.* 4. Poſt Sacrificium altaris incruentum, quod Deo toties obtuli, adhuc *uno ſacrificio Deum colere volo,* dum me ſacrifico, & immolo Deo vitam meam in unione mortis Chriſti, qui oblatus eſt, quia ipſe voluit. Quod P. Humbertus Selinus dicebat: *Sacrificanda eſt Deo anima*; hoc exequor, & ſacrifico. In ſpiritu humilitatis & animo contrito ſuſcipiar à te Domine, & ſic fiat Sacrificium meum in conſpectu tuo, ut placeat tibi Domine Deus. Parum eſt unius vitæ ſacrificio colere Deum; Si omnium vitas haberem, eidem eas immolarē, optans toties pro Deo & ex voluntate Dei mori, quot mortes iuſtorum ab Abel iuſto ad ultimum ante diem iudicij: optans, ut potuiſſem mori in omnibus Martyribus. 5. *Si debeo* malle infinities mori quám vel leviter Deum offendere; cùm id vivendo fortè non effugerem, malo mori quàm fædari & leviſſimè delinquere; Hinc 6. *Quia amo Deum*, amo & mortem, quæ faciet, ut ceſſem, offendere bonum DEVM. Hoc me delectat, dum morior: Non vivam ampliùs, ſed nec peccabo ampliùs in Deum ſummè amabilem: Dulcius eſt mihi mori, quàm vivere & offendere Deum. *Volo ergo mori,* ne peccem: gratior mihi Deus, quàm vita cum peccato: imò & ſinè peccato potior mihi Devs, quam vitæ omnes creatæ. 7. *Deus eſt Dominus vitæ ac necis*: vult nunc actum huius dominij exercere? Dominus eſt, quod bonum eſt in conſpectu eius, faciat: non mea ſervi, ſed illius, ut domini, voluntas fiat: ſubijcio me Dominio DEI alto, de quo exulto: *ſit*

mors mea recognitio Supremi Dominij Divini , & ad
ratio ejusdem profundissima 8. *Mors mihi* no
ingrata, quia mihi auferet vitâ, conferet DEv
quo nihil desiderabilius, quo nihil melius: mo
auferet mihi vitam mortalem ac miseriam, aff
ret immortalem & bonis omnibus affluentem,
spero: auferet mihi, quod pridem contempsi,
propter DEVM contemno. 9. *Pridem DEO cor* de
dicavi; nihil in eo habet boni terreni & commu
tabilis amor: *ut omnia terrena, sic vitam propter DE
VM contemno.* 10. Quia pæna peccati est mors
peccavi, *moriar in pænam offensi DEI* dilecti supe
omnia. 11. *Mortem* libenter acceptarem à tyranno
pro DEO & virtute; non acceptem à Patre omni
um DEO pro illius gustu & voluntate? 12. IEsu
mortuus est, & Mater IEsv, & Prophetæ mortu
sunt; quidni ego? *nolo vivere, dum IESVM mori vi
deo. Non est utilior vita mea mundo, quàm vita Christi*
& tamen eam ipse ultro posuit. Imò inevitabile id
ulli; quod si aliquando, cur non modo? 13. *Mors est*
privatio mali, possessio boni: privatio mali culpæ,
& pœnæ multiplicis in hac vita, quæ est juxta Gre-
gorium quædam prolixitas mortis: item est pri-
vatio à periculis & occasionibus peccandi, estque
juxta Augustinum mors sepulchrum vitiorum, ac
dæmō cessat tunc uti corpore, ceu armis cōtra nos:
item mors est privatio à fraudibus mundi & à sua-
vibus deliciarum insidijs. 14. *A DEO* vitam acce-
pi: DEVS à me vitam repetit, tanquam rem su-
am: reddo quæ sunt DEI, DEO. *sit actus justitiæ mors
mea, reddens DEO quod illius est: nihil amitto,* dum
vitâ spolior; quia reddere alienum, non est quid-
quam amittere proprium. 15. *Sive vivimus, Domino
vivimus,* ait Paulus: sive morimur, Domino mori-
mur; sive ergo vivimus, sive morimur, Domini

sumus. Lege adhuc proximum §. & mors dulcior continget. Breviùs P. Ioannes Stizius dicebat: *Volo mori, ut immoler tibi DEVS meus, cui me totum tot modis debeo: Volo ob gloriam DEI, cui omnia debeo: Volo in meorum criminum pœnam.* Illi dicant: Timeo, quæ fata sequuntur, qui spem non habent; at nos *spe gaudentes; & bonum Dominum habemus*, ut dicebat Ambrosius; & si velimus, possumus illum irâ exarmare.

§. XXIV.

Encomium mortis.

Pretiosa in conspectu Domini Mors. Psal: 115.

I. OMnes actus nobilissimi virtutum sunt in actu moriendi seu mortis acceptatæ ut à Deo immissæ. Nam *actus Martyrij* est actus excellentissimus & ex opere operato saluans; hic tamen ad mortem pertinet: Martyrium enim est mors obita propter DEVM aut virtutem, vel ictus lethalis ob eadem. at si *non potes esse Martyr fidei, esto Martyr charitatis*, animam ponendo ex amore voluntatis Divinæ: *esto Martyr obedientiæ*, submittendo te legi Divinæ, quâ statutum est omnibus semel mori. Vnde patet *actum moriendi esse posse actum maximæ resignationis* in voluntatem Divinam; & *actum obedientiæ maximæ* summo Legislatori, qui tam arduam rem præcipit, nempe mori. Item *actus charitatis* excellit; tamen maiorem charitatem nemo habet, quàm qui animam suam ponit. Ad charitatem spectat desiderium videndi DEVM; nam iuxta Dionisyum: *Amor est desiderium boni & pulchri*; quid autem melius DEo pulchriusvè? *at non videbit me homo, & vivet*, dicit Dominus; & actus morientis in charitate est: Cupio dissolvi & esse cum Christo. *Item actus fortitudinis est*, quo non timetur

malum, quod maximum mors putatur: qui ergo hanc de manu DEI acceptat, timoremquè illum superat, fortissimus heros est. Adhuc *actus sacrificandi est* inter morales excellentissimæ virtutis at verò sacrificium crucis morte Christi peractum est; *& mors cujusq; sacrificium quoddam est*, ubi quodammodo mactatur victima & vita in honorem DEI. imò adhuc melior obedientia, quæ præcepto Divino mortis exhibetur, quàm victimæ *Item actus sublimissimus* in B. Virgine fuit ultimus in vita: quia juxta totam latitudinem habitûs per totam vitam aucti est elicitus, & semper unus illius actus alium superabat; unde (ut ait Vega) centesimus eius actus amoris Divini fuit omnes antegressus, seu valuit supra omnes 99 actus: cùm ergo *ex amoris Divini vehementia sit B. Virgo mortua*, ut plerique censent, mors illius, vel ultimus in morte actus amoris fuit maximus licet autem & tibi *ex summo amore DEI mori*, ut ex motivo aliarum virtutum. *Præterea ille Christi actus* quàm excellens: *Animam meam pono pro ovibus meis: sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*: Item Pauli: Quis me separabit à charitate Christi? an gladius? sed in his actibus mors partem laudis præripit. *Denique quidquid laboris*, austeritatis, virtutum, actuum heroicorum usquam elicitum à justis; id etiam morti tribuitur, quæ causa & motivum horum patrandorum plerisque. Imò & Incarnatio Verbi, mors & Passio Christi, Sacramenta, miracula, prophetiæ, & tota circa nos Providentiæ Divinæ series mortem hominum felicem potissimùm intendunt. Præclarum quiddam esse mortem necessum est, ob quam tot præclara fiunt & facta sunt.

2. Præterquam quòd Sanctorum mors dicatur pretiosa, est etiam universim dicendo, quid-

dam de se pretiosum: tum quia morte Christi pretiosâ consecrata est: tum quia res est divina, voluntatis eius annulo consignata, qui solus est summus Arbiter vitæ & necis: tum quia est maximum, quod offerre DEo possis, donum vitæ: quâ nil homini pretiosius inter bona naturæ. Nescit homo pretium eius, qui eam horret vel odit.

3. Congero in mortem plures titulos. Mors est sicut lapis Lydius, quo dignoscimus verum aurum ab apparente: at nunc hâc discretione carent plerique. *Est* sicut Cynosura dirigens in portum salutis & gloriæ. Est fidelis consiliarius: hinc in bonæ electionis punctis suadet eum adhibere S. Pater IGNATIVS suadens in dubijs cogitare & eligere, quod eligeres in hora mortis. Est Doctor optimus & monitor fidelis: hinc S. Joannes Eleemosynarius viventi sibi jussit sepulchrum exstrui, sed non iussit perfici, at identidem occlamari: *Pater perfice sepulchrum.* Item mors est lux in tenebris, vitæ ianua, dux ad vitam, clavis aurea justo ad æternitatem beatam, pacis non desituræ nuntia. Denique *mors est frænum sensuum*, ex Augustini sententia, *remedium contra omnia mala*, iuxta Nazianzenum; *Magistra magnanimitatis*, iuxta Epictetum, qui sic admonet: Mors tibi ob oculos quotidie versetur; sic nihil unquam humile cogitabis, nec impensè quidquam cupies.

§. XXV.

Commeatus seu viaticum Æternitatis.

Comede, grandis enim tibi restat via. 3. Reg. 19.

1 IN via es, quia ideò viator diceris, quòd ad æternitatem pergas. Ex quo vivere, cæpisti & currere illum cursum, de quo Paulus: sic currite, ut comprehendatis. Age, quod agunt, qui longum

iter ineunt, ac per solitudines protrahendum: usu & itineri compara necessaria. Iter dierum aliquot bene disponis ac præparas, non item æternum. Nil alimenti hoc offeret, quod non ante provideris. Non providit epulo ille, proinde vel aquæ guttam petiit, quam non impetravit. Nec Virgines fatuæ sumpserunt oleum secum, quæ audierunt. *Nescio vos:*

2. Viaticum debet sumi proportionatum itineri & viatori. Pluribus eget via diuturnior, aliud item herile, aliud famulitij & jumenti pabulum. Hoc iter æternitatis est. quare commeatu necesse est, qui æternitati beatæ sufficiat. Nihil huic æternitati conducit, quod vanum est, peritquè cum tempore: nil ad eandem faciunt demerita, sed vel bonam retardant, vel malam inducunt. Porrò viator, qui se committit huic æterno itineri, Anima est, quare viatico opus est, quod alat animam. Hanc verò ut non implet aliud in viæ termino, nisi bonum æternum; ita nec in via conducit eidẽ, nisi quod ad bonum idem deducit.

3. Filij prodigi vox illa est apud Lucam: Quãti mercenarij Patris mei abundant panibus, ego autem fame pereo! Si terrena sic fames cruciat, magis æterna, de qua illud Regius Psaltes: *Famem patientur ut canes.* Contra famem hanc te iam multiplici instructum volo commeatu; atq; abundare panibus. *Primò* præter frequentem communionem Sacramentalem per modum viatici usurpandam, quam postulans S. Catharina Senensis dicebat porrecturo Sacerdoti, *Da mihi cibum animæ meæ*, præter hanc, inquam, spiritualis Communio horaria vel crebrior etiam instar viatici usurpata huc facit. Nempe cibus hic vitæ æternæ alimonia est, qui non perit, sed permanet in vitam æternam, Et

ante

ante hunc cibum juvat, ut tibi etiam dici cogites ab Angelo dictum Eliæ: *surge, comede, grandis tibi restat via*, ut in montem DEI Horeb in fortitudine illius cibi gradiaris. Si verò per modum viatici sumatur, planè hic panis subcinericius erit, quia mortis cinerisquè memoriâ conditus.

Secundò ad commeatum æternitatis refero merita quàm plurima, quæ secum illuc homo deferet. Certe Agnus cælestis *pasci* dicitur *inter lilia*, id est, profectibus nostris in vitæ puritate & sanctimonia. Quod Agno cibus, hoc nobis commeatus. Sit tantùm cibus hic electus: sint merita excellentia sine mistura imperfectionum.

Tertiò huc referuntur adversa, cruces toleratæ, spontaneæ afflictationes. nam & hæc annona est, quæ Christum satiavit, de quo illud: *saturabitur opprobriis:* Et dederunt in escam meam fel. De Martyre etiam canit Ecclesia: *Cibavit illum Pane vitæ & intellectûs*, eò quòd cibus quidam animæ sit, crucis & adversorum tolerantia, qualis est in Martyre: aut certé quòd Christi Domini, qui est vita, cibus hic & saturitas fuit, nempe prædicta tolerantia, quæ proinde dicitur Panis Vitæ, id est, panis Christi.

Quartò ad eundem commeatum spectant *lacrymæ* pænitentiæ, quæ Davidi fuerunt *panes die ac nocte*, & Angelis sunt instar vini, de quo illud: *Potâsti nos vino compunctionis, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Aliter cibos animæ propono in Face viæ illuminativæ sub titulo, *Cibus electus, seu aliud animæ convivium* sub §. XLIV.

4. Paulus quidem Apostolus ait: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*; sed iter æternitatis adhuc insuper eget salvo conductu. hunc verò tibi præstabit Patrocinium DEIparæ

 & San-

& Sanctorum. Petrus Angelus Bonchristianus noster morti suæ præfecit S. Iosephum, S. Latronem, S. Martinum, S. Augustinum, S. Hilarionem, S. Barbaram, S. Vrsulam cum Sodalibus, de qua illud ex Pöeta nostro commodè usurpaveris:

Vrsa minor maiorquè vale: mea carbasa posthac
Vrsula cum Socijs virgine luce reget.

Eandem coluit impensè colerequè suasit P. Didacus Martinez, qui etiam moriturus jussit portas & fenestras pandi, credo, S. Vrsulæ numeroso comitatui, quem ante veneratus in mortis suppetias

§. XXVI.

Mite Tribunal.

Non sis tu mihi formidini: & non paveam ego. Ier 17.

1. IDem Christus in Apocalypsi vocatur Agnus & Leo: eidem ab ore gladius prominet, in manu radiant stellæ. Nempe facile est, ut ex Leone hoc facias Agnum, & pro vindice gladio stellas in coronam referas, si velis. Terret hic Leo, ut salubriter perterritus, Agnum potiùs velis curesquè experiri, quàm Leonem. Gladio minatur, ut eius fulgur & aciem formidans, à manu potiùs stellata, quàm ab ore minaci tua pensari acta velis.

2. *Vincas, cum judicaris.* Potest quis tunc vincere, ac ut eius causa in iudicio triumphet, efficere. Et sanè insignis hæc victoria, ubi vincitur DEus judex! Ethnici appingebant laurum ei, quem Dijs carum putabant, eò quod fulmina Deorum non impetant laurum. Vbi hæc victoria de Iudice supremo; habetur & laurea, quæ fulmen illud evadat: Ite maledicti. Sed qui hunc vult vincere, descendat cum illo in certamen non verbale, (*nam non respondebit ei unum pro mille*) sed facti & reale. Sit

Iacob

Iacob luctator usque ad auroram diei illius, quo vità hæc occidit, æterna oritur. Lucta vires exigit; hîc illæ vires sufficiunt, de quibus lex illa Divina, *Diliges DEUM ex totis Viribus tuis, ex tota fortitudine tua.* vincit charitas, & una prævalet DEo.

3. Dari aliquod judicium Divinum, in quo lenitatem iustitia non excludat, patet ex eo, quòd dicitur: *Iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.* Datur ergo Judicium cum misericordia, seu lene ac misericors tribunal in misericordes. Porrò unica misericordia est, quæ alias misericordiæ species non excludit; de qua dictum etiam superiùs ex Ecclesiastico: *miserere animæ tuæ, placens DEO.* Si cui, certè huic Iudicium non sine misericordia.

4. In foro iustitiæ attenditur ad causæ æquitatem; sine qua non iuuat reum obstrictus obsequijs & amicitiâ Iudex,, si iustus esse velit. At in cælesti foro hoc ipsum patrocinatur causæ, si habeas obnoxium tibi Iudicem. Bona est in eo foro causa, quæ obstrictum obsequiis habet Deum. Ergo obstringe ac demereare illum, antequam tua causa ventiletur.

5. Vbi non vincit causæ æquitas, sæpe vincit largitio. Hinc Thebanus Iudex sine manibus pingebatur, ne manuum usu, per acceptas largitiones justitia eneruaretur. Non caret manibus Iudex cælestis, qui monet, ne corã illo *Vacuus appareas.* Ingere ergo his manibus, quæ placitura noveris: Largitiones aliquæ non sinent contra te aliquid decerni.

Prima largitio sit, totalis in Christum transfusio judiciciariæ potestatis, haud illam tibi arrogando in terris, neminem judicando, neminem condemnando. Nam & *Pater dedit illi potestatem judicandi,*

quia Filius hominis est; & ipse appromisit: *Nolite judicare, & non judicabimini.*

Secunda largitio: Amor inimicorum ligat manus huic Iudici, ne puniat vel scribat contra te amaritudines: Moysi oranti DEVM, ut dimitteret Israeli noxam, aut deleret se de libro vitæ, respondit: *Dimitte me, ut irascatur furor meus.* Qui sic dimitti postulat, fatetur se constrictum teneri si ergo ligat oratio ex charitate cuiusuis proximi; quid non faciet charitas præstita inimico? *Dimittite, dimittetur vobis.*

Tertia largitio, sint alia opera charitatis, quæ utiq; operit multitudinem peccatorum. Sanè Iudex hic sibi præstitum putat, quod uni ex minimis eius factum fuerit. Huc spectat obsequium animapus ex earum zelo præstitum, quas idem Iudex deperit.

Quarta largitio, est liberalitas in DEVM, & liberalis eidem cessio tuî rerumquè tibi gratissimarum, quò spectabunt tum alij actus heròici, tum dedicatio tuî in obsequium Dei per renuntiationem sæculî.

6. Cuidam per Salomonem promittitur: *Ridebit in die novissimo.* Tribunali Divino dies hic deputatus est; sed id districtum ac serium, quomodo risum admittat? Mæror tunc alijs & terror, non exultatio cordis, vel risus lætitiæ index. Nisi fortè anima hæc satis ante fleverit, ideò tunc ridere permittenda, iuxta illud: *Beati, qui nunc fletis quia ridebitis*, dicéturquê: *sat lacrymis, sat est datum doloribus.* Sed alia enumerat Salomon, ob quæ felix illa ridere meruit in novissimo die; & merebitur, quisquis eadem impleverit. *Fortitudo*, inquit, *& decor indumentum eius vestita duplicibus* (nempe charitate in DEVM & proximum) *os suum aperuit sapientiæ,*

pientiæ, lex clementiæ in lingua eius, panem otiosa non comedit: reddet ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ suæ &c. His illa meruit ridendi & exultationis privilegium in novissimo die!

7. Adhuc modum placandi Judicis dat reus ille decem millium talentorum. *Procidens rogauit: patientiam habe in me &c. Omne debitum dimisi tibi, quia rogâsti me.* Et tu adhibe Ecclesiam & Sanctos, procide, & placabis; roga, & omne debitum dimittetur tibi. Sed non roga, ut servus ille, qui rogatus vicissim non dimisit: Patientiam habe in me: & tu habeto. Adhæc sacrificium altaris est excellens orationis genus per Christum: ergo hoc orandi modo utere. Item servus hic in specie pænitentis deprecatur Dominũ. Nempe vera pænitentia delet omnia, estque efficax orationis genus, ut audias: omne debitum dimisi tibi.

8. Assessores iudicij anticipatò sunt capiendi obsequijs, illi, quibus dicitur: *sedebitis judicantes 12. tribus Israel.* Vide ergo quibus illos modis quotidie demereare. *Item* Aduocati seu Patroni causæ tempestiuè providendi potentes inprimis; quales sunt tum meritorij actus imperfectionibus impermisti, & vita inculpata, ut pulchrè id elucidat apud Damascenum parabola Barlaam dicta Iosaphato: Tum Advocata vniversalis & specialis B. Virgo Mater Sanctæ spei, & Bernardo tota ratio spei suæ: tum quàm plurimi è Sanctis, ne tunc primùm quæras, quem Patronum sis rogaturus.

9. Denique ad mite hoc forum juvat præfidentia quædam causæ, non tantùm illa: *nihil mihi conscius sum:* & illa Francisci Costeri nostri, qui interrogatus, libenternè moreretur? respondit illud Ambrosij: *Ita vixi, ut me vixisse non pudeat; mori autem non timeo, quia bonum Dominum habemus;*

sed insuper præsidentia roboretur non tam tuis meritis, quàm Christi, Cælitum patrocinio innixa, dicendumquè cum Bernardo: *Quidquid mihi deest, suppleo ex meritis & Sanguine IESV Christi.* Addebat idem Sanctus: *Duplex ius ad gloriam habet Christus, unum ratione unionis Hypostaticæ; alterum ratione tot meritorum & Passionis suæ: primum jus est illi proprium, alterum mihi cessit.*

§. XXVII

Liber Iudicum.

ac judicij Divini.

Iudicium sedit, & libri aperti sunt. Daniel: 7.

1. NEmo tam rudis, qui librum non scribat, ex quo judicetur. scribit quilibet in conscientia & in mente DEI. Beatus qui nescit characterem mortis, & *characterem bestiæ*, de quo in Apocalypsi! dixerit ille cum Dauide: *Quia non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini.* Nero Imperator quinquennio bonus sententiam mortis in reum scripturꝯ dixit: *Vtinā nescissē literas!* utinā & tu nescias in libro mortis scribere; sic enim decretum summi Iudicis non paueres!

2. Libri dicuntur Consiliarij mortui, & secunda memoria. hi, quos hîc proponam, sunt Consiliarij vitæ, & prima illorum debet esse memoria. Quod si Ezechieli & Ioanni datum volumen: *Accipe librum & devora illum.* & factum est volumen illud in ore sicut mel dulce, & amaricatus est venter; non satis est & tibi videre libros Iudicum, sed masticandi sunt & digerendi, erunt dulces in ore, amari in corde: dulces, quia cautiorem reddent: ijdem verò amari, si segnitiem non depellant. Vel certè aliqua eorum amaritudo conjuncta est cum dulcedine; si ad tempus contristant, æternùm lætificare possunt.

3. Euol-

3. Euolue jam & confidera libros Iudicum. Conſcientia eſt & liber, & Iudex: Liber, quia continet in ſe materiam judicij: Iudex, quia, ut etiam Poëta cecinit, *prima hæc eſt ultio, quòd ſe iudice nemo nocens abſolvitur; ſed diri conſcia facti mens habet attonitos, & ſurdo verbere cedit, occultum quatiente animo tortore flagellum.* ubi conſcientiam & iudicem agnoſcit, & vindicem pænæ exactorem. Vide ergo, ut ſi liber hic errata continet, ea citò ſubmoveas & corrigas: ut nova ſit emendatior editio, dele, quod malè ſcripſiſti, & ſcribere ceſſa. Ad delendum ſpongiam dabunt lacrymæ; ſpongiam, Chriſti ſpongia dabit, dabit & ſanguis, ſpongiam lacrymæ MARIANÆ; nam non poteſt filius huiuſmodi lacrymarum perire, ut de S. Monicæ lacrymis dixit Ambroſius. *imò unica Matris lacryma delere poteſt omnia*, ut dicebat Alexander Macedo. Hæc de primo libro.

4. *Salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit in libro vitæ.* Ergo qui non eſt in libro vitæ, iam iudicatus eſt, & mortis ſententiæ ſubiacet. Liber igitur hic eſt iudex, quia diſcernit inter ſalvandos & reprobandos; unde S. Thomas non videtur Librum mortis admittere: *quia* inquit, *non eſt moris, eos conſcribi, qui repudiantur, ſed qui eliguntur:* ſufficit igitur aliquos non eſſe in libro vitæ; hoc enim ipſo liber hîc indicat eſſe repudiatos. At in libro vitæ inſcribuntur Pauci electi, & qui vivunt ut pauci, notaſqué in ſe retinent electorum ad gloriam. Inter electos non ſunt, qui vivunt ut multi, per arctam viam quæ ducit ad interitũ, incedentes. Pauciora & rariora ſunt, quæ meliora & lectiora. Hinc ergo ſcies, quid facto opus ſit, ne Judex hic contra te decernat vel decreverit.

5. Cui plus datum, plus exigetur ab eo. Liber ergo

ber ergo gratiarum & beneficiorum DEI, seu liber dati & accepti, liber expensarum cælestium in animam tuam; est etiam Iudex seu liber ad iudicium pertinens. Nempe ut ait Gregorius, *cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum*, adeoque timendum, *ne qui plus cæteris accepimus ab Auctore mundi, gravius inde judicemur*. Hinc iam intelliges dictum Bernardi singulare de Deo: *Nisi Pater esset* (inquit) *obrueret nos beneficijs*. Scit quippe multa accipi ad judicium gravius, ideo hæc ipsa Iudices nostri erunt. Vide igitur, quomodo, beneficijs DEI & cælesti lumini respondeas, & beneficia DEI time, non tantum gratus recole. Huc refero & talenta à Deo ut Auctore naturæ & gratiæ accepta vel minima, quæ iudices nostri erunt, ut patet in illo, qui unum talentum accipiens fodit in terra, à Domino pro talenti retentione damnatus. Quare monet Gregorius: *ut de talenti sui rationibus redeunte Domino quisq; sit securus, cum timore penset quotidie quid accepit*. Alius accepit intelligentiam; prædicationis ministerium debet ex talento: alius terrenam substantiam; erogationẽ talenti habet ex rebus; alius didicit artem quâ pascitur; ipsa ars ei talentum est, &c.

6. Adde quod etiam nomen Christiani vel Religiosi Iudex sit. unde Tertullianus ait: *Recusa actione nomen tanquam suspectum Iudicem*. Per nomen certè rei sumus, & reatus impij est pium nomen, si scilicet (ut habet Ambrosius) *sit nomen inane, & crimen immane; vel, si pulchra nomina mentiantur*. Lege ergo hos libros, & time iudices.

§. XXVIII.

Iudicium ante iudicium:

Seu.

Seu,

Iudex in propria causa.

Si nosmetipsos diiudicaremus, non utique judicaremur 1. Cor: 11.

1. F*iat lux & vidit DEVS lucem, quòd esset bona.* Ad quæ verba pulchrè Oleaster ait: *Lucem DEVS pulcherrimam probat & examinat, ut ego examinem & discernam tenebras meas, dum ille tam studiosè examinat lucem suam.* Ergo exurge & tu, ac iudica ipse causam tuam.

2. Præiudicata forum non metuunt: ergo te antea diiudica, ne iudicere: teipsum quotidie cita in tribunal mentis, ne sit alio iudice opus, & à teipso pænas exige; seu decretum, quod contra te tuleris, exequere, ne alij decreto sit locus. Sis rigidus tuî Cato, non palpo: talis Iudex in propria causa potest admitti laudabiliter. DEVS quidē etiam iustitias judicabit & iudicia; sed manca & iniqua; tu esto iustus Iudex tui ipsius.

3. Christum *Iudicem* appellat Nyssenus speculum sine macula, non tantùm quia speculum non repræsentat verba, sed motus, & quidem minimos motus; sed quia speculum est Iudex & corrector neminem palpans, statim verè indicans, quid vitij, quid nævi insit, quem corrigas. Talis esto iudex; adhibe speculum vitia non palpans, sed corrigens; & minimos nævos, minimos motus actionesq; exhibens ac repræsentans. Quare frequenter id speculum consule: frequenter forum & iudicem agere contra te ipsum assuesce. Nam cuidam è nostris interrogato, quoties in se per examen in dies descenderet; & respondenti, se id septies per diem facere, dixit S. IGNATIVS, id non esse satis, sed consultiùs faceret, si quâlibet horâ conscientiam excuteret, speculū id intuitus. 4. Pre-

4. Processus judiciarius etsi in propria causa, instituendus tamen est velut cum extraneo, & in causa Divini juris læsi. Potest hoc judicium instui, vel prout Christo obijcebatur: *Quid fecisti? Reus est mortis: crucifigatur:* vel ut Christus judicabit in virtute & potestate magna inter tot Sanctorum millia: vel ita, ut te judicent singula Dei attributa & tituli Divini, quoties & quomodo contra hos ac illa deliquisti: vel ita ut te judicent omnes creaturæ, quibus malè usus es, seu quarum Creatorem offendisti: vel ita ut virtutes te judicent singulæ, contra quas egisti, vel omnia contemplando in Deo, ut in speculo, tua acta, vel prout sunt in mente ac Scientia DEI, prout sunt objectum odij Divini & irritamenta justitiæ Divinæ. Iudicij ergo hujus materia sint tum mala etiam minima, tum bona: scrutare & Hierusalem, non tantùm Babylonem; an aurum tuum non sit cum scoria, & vinum tuum non sit mistum aquâ; an lumen, quod in te est, non sint tenebræ.

5. *Tradidit eum tortoribus.* Pænæ, ad quas te condemnabis, donec reddas ad novissimum quadrantē, deruntthæ. *Prima sit illa,* qua Nazianzenus ait: Amorem dulcem tyrannum agnoscere cæpi. 2*a*. *Est* confusio faciei nostræ. Stultus cæditur labijs, ait Salomon; quod fit dum stultitias nostras per confessionem punimus & per ortam inde confusionem. *Est confusio adducens gloriam* estque hæc, de qua dictū: 3*a*. *Sit infernus salvans,* (de quo brevi agetur) seu ignis æternus amoris Divini, ad quem te damna. Dic etiam cum Manasse: *Non sum dignus videre altitudinem cæli præ multitudine iniquitatum mearum:* quo ipso te quasi decretoriè cælo excludes per hujusmodi sententiā. 4*a*. *Pæna si* Purgatorium triplex, de quo mox dicetur. 5.

Pænæ

Pœnæ externæ ordinariæ & novæ per decretum perferendæ. 6. Iniunge tibi per sententiam iudicialem, restitutionem honoris Divini & intermissi eius amoris; quæ restitutio fiat per actus internos virtutum præcipuarum in summa intensione multiplicatos. Item injunge tibi pro Divina injuria satisfactionem ad æqualitatem per Sacrificium altaris, in quantum fit principaliter in persona Summi Sacerdotis IEsv Christi: item iniunge restitutionem damnorum, si quæ alijs per te tuamq; socordiam illata, etiam per omissionem v. g. suffragiorum pro defunctis &c. Hos modos etiam in Examine conscientiæ adhibere poteris.

§. XXIX.

Lanx æquitatis.

Appensus es in statera. Dan: 5.

1. INter alia vulnera, quæ homo retulit ex primo peccato, est cæcitas intellectûs & depravatio judicij de rebus. Hinc plerique apparentia ducunt pro veris, illudente illis bono fragili ad instar speculi trigoni, quod apparentibus coloribus pupillæ illudit tanquam veris. Proinde (quæ Bernardi sententia est) *plerûq; diabolus dum porrigit pomum, surripit Paradisum.*

2. Discrepant in multis DEI hominumq; iudicia: homo videt ea, quæ extrinsecus apparent, DEVS altiùs rimatur, & penetrat ad intentiones cordis, ad minimam intensionē ac remissionem actûs; unde dicitur *Spirituum ponderator est Dominus*, qui non tantùm appendit omnia in pondere & mensura, sed etiam ponderat & explorat pondus ignis Mystici. (*Pondera mihi pondus ignis*) pleraque hominibus bona & justa videntur, per quæ arbitrantur se obsequium præstare Deo; sed tantùm arbi-

erantur: nam ea facta, per quæ sibi videntur iusti & DEI cultores eximij, bona sunt putatitia, quorum cuilibet serò dicatur: Decepisti me, & deceptus sum. Ergo in lance iusti iudicij repone omnia ut scias illa à veris bonis discernere; reprobare malum, & eligere bonum.

3. Tota iudicij de rebus æquitas in hoc sita est, ut conformetur Divino. DEI iudicia abyssus, quia profundè scrutatur, non in cortice aut superficie. Hinc & tu *Primò* non secundum visionem neque secundùm auditum aurium judica: nam & sepulchrum dealbatum pulchrum foris, intus plenū ossibus mortuorum: & Echo mira vocis omnimodæ imago & simia, quæ tamen vox est, prætereà què nihil. Sol in libra est sub autumnum, cùm jam fructus, non flores: non ad hos, sed ad illos libra æquitatis attendit. *Secundò:* non curanda tantopere judicia hominum (nam hi sæpe cæci sunt, & duces cæcorum) sed quod DEI iudicio probari cernis, exequere, hostis respectuum humanorum, qui Christum ad Crucem damnârunt, timente Pilato vocem illam; *si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Tertiò*, In dubijs singula (invocato cælitus lumine, & fine creationis ob oculos tibi posito nimirum gloriâ *Dei* & salute animæ tuæ) singula, inquam, in lance rectæ rationis repone, & rationum momenta iuxta Deum expende pro utraquè parte.

4. Teipsum etiam pone in statera, & hæc quæ in te æstimas vel æstimanda putas, attende, quomodo nihil sint ex se coram *Deo*, & collata cum DEO alijsque; imò teste Regio Psalte, *universa vanitas omnis homo vivens*; pone te in statera, & videbis, quàm multa desint tibi. inveniêre minus habens in virtutibus, in scientijs, in donis naturæ & gra-

& gratiæ, in bonis internis & externis. Item si reponas in una lance præmium cæleste, in altera tua merita; momentaneum quid & leue apparrebunt ad futuram gloriam: Pone in una iniuriam DEI offensi, in altera reparationem injuriæ: in una dignitatem DEI infinitam, in altera obsequiũ quod illi exhibes, quasi arena exigua hæc erunt vel illud nihilum, de quo David: *Pro nihilo salbos facies illos.* Sic ergo librare tua assuesce, ut rectum de rebus iudicium feras, & judicio te Divino conformes.

§ XXX.

Destructio inferni,

Modusq; illum tollendi ac extingvẽdi.

Qui contriuit portas areas, & vectes ferreos confregit. Ps: 106.

1. POëta noster cecinit: *Humana quidquid composuit manus, humana rursus diruet.* Infernus est structura prauæ voluntatis creatæ; proinde hæc potest tollere, quod exstruxit, & carcerem diruere, in quem se ultro compegit. Si peccatum & impænitentia gehennam fabricant, & ne ruat, eam fulciunt; sicut hæc fulcra & bases tollere potest voluntas per auxilium gratiæ resipiscens, sic gehennæ ruinam inferre.

2. Ieremiæ DEVS dicit: *constitui te, ut evellas & destruas, disperdas & dissipes.* Quid autem illud? credo, quod animas reddit infelices & cruciat. Cruciat peccati conscientia & pænæ tormenta, de quibus ille Epulo: *Crucior in hac flamma:* Zelatores salutis animarum DEVS constituit, ut destruant ac dissipent claustra inferni, & causas inferni. Sed & unicuique idem incumbit, cui salus

cordi est, si timet eum, qui potest mittere in gehennam. Eia dissipa hanc sepem, destrue fabricam tam infelicem, opus manuum tuarum.

3. Dices: *Quomodo fiet istud?* Plures modos destruendi infernum suggero.

Primò: Audi Bernardum: *cesset voluntas propria* (inquit) *& infernus non erit.* Hæc est architecta inferni, hæc eius flammas succendit: quare *vox Domini*, (& Superioris, cui parendum est) est *vox intercidentis flammam ignis.*

Secundò: Audi Chrysostomum dicentem: *Loqueris de gehenna? gehennam incendisti:* unde infert idē Doctor: *Nihil amarius inferno, nihil dulcius eodem*; nempe memoria inferni ob fructum hinc emanantem dulcis, &si pæna inibi amara, & uva fellis. Ergo & gehennæ memoria dum animum salubriter percellit, infernum subruit.

Tertiò: S. Iuoni apparuit cælestis Persona unâ manu aquam gerens, alterâ ignem; igne se accendere cælum velle dictitans, ne homines cæli tantùm intuitu & ex amore concupiscentiæ hujus sanctæ quantumvis operentur, sed DEI solius intuitu, & ex amore benevolentiæ erga Deum: aquâ extinguere se velle gehennam, ne pænæ tantum timore Deo serviliter inhæreat ullus homo & famuletur. Quare destruit & ille quodammodo infernum, qui charitate foras mittente timorem inflammatus, nihil agit timore pænæ, nec metu hehennæ servit *Deo*, sed ac si non esset infernus: apud talem enim perinde est, ac si tolleretur, nec exstaret infernus.

Quartò: Gutta etiam cælestis, ignem inferni extinguit. Non sine causa Epulo sepultus in inferno guttam linguæ suæ immitti petijt ab Abraham; eò quòd prægustatæ etiam in stilla cæli deliciæ odi-

um vitæ

um vitæ inferno expiandæ instillent, proinde gehennam extinguant gustanti, & opera digna gehennâ amore cæli fugienti.

Quintò: Præterea potes extinguere ignibus ignes; per ardentem scilicet amorem Dei super omnia & per odium æternum peccati mortalis, in quod exardescas ob DEVM super omnia amatum; & sic rumpendo fædus cum inferno, feriendo aliud cum DEO.

Sextò: Denique una lacryma verè contriti hominis tanta incendia opprimit ac extinguit. propterea dæmon timet lacrymam nostram, quæ regnum eius subruit.

4. Cùm dilatauerit infernus os suum, illud animabus in præceps ruentibus obstrue ac destrue: sis inter eos, qui *extinxerunt impetum ignis* passim plurimos rapientis. Certè S. Catharinæ Senensis votum erat, ut se totâ orificium gehennæ obstrueret, ne ullus illac rueret, ac æternum periret. Optimus obstruendi ac destruendi alijs inferni modus est, seria & constans cura salutis animarum dicto, facto, exhortatione, scripto, oratione, oblationibus, mortificationibus, subtractione scandali & occasionis ad malum deducentis, & diligenti vigiliâ ac excubijs in lucris animarum promovendis & reductione peccatorum ad Deum, ac eorum è barathro, in quod per vecordiã proruunt, extractione: Item apertione doli hostilis, inculcatâ gravitate peccati, dignitate & amabilitate Dei, gloriæ cælestis svaviatione, suppliciorum æternitate, ne & illi veniant *in hunc locum tormentorum*, quæ appellatio inferni genuina est ex Evangelio. Denique idem alijs quibusuis medijs per se vel alios procuretur, ne pretium sanguinis Christi in tot filijs perditionis evanescat.

§ XXXI.

Ignis æternus,
Seu jnfernus saluans,
Vel
Svavis gehenna salutis,
Continuum Amoris Divini exercitium animæquè incendium.

Fortis ut mors dilectio, dura sicut infernus. Can 8.
Ignis in altari meo semper ardebit. Leu: 6.

1. PRæveniamus ignem igne: accendatur salubris in animo flamma, quæ non extinguatur. *Ignis hic, amor est*; & quia Ignis consumens, qui est DEVS, est æternus; sit etiam amor æternus. Sanè dicere licet: *Ite benedicti in ignem hunc æternum.* De hoc quidem argumento proprius locus est in via unitiua: sed ob titulum huc etiam reduci potest.

2. Non est hîc illud *Crucior in hac flamma:* sed, *ô quam gaudeo!* nam amor dulcis Tyrannus est; & crudelissima tyrannis est in huius flammæ vitalis carentia, quæ sola enecat secundúm S. Ioannem: Qui non diligit, manet in morte. Sanè amor hic facit ardere suaviter; quia qui sic ardet, ardet maximè utiliter, & minimè pænaliter. O sic me ure Deus Ignis! hoc incendio totus continuò flagrem! accende me; accendere in me, suavis flamma penetra me totû, nihil in me sit, quod sic non ardeat. ô amor qui semper ardes, & nunquam extingveris, veni in nos & inflamma! ure cor nostrum in æternum.

3. *Causa amandi DEVM, Deus est: modus sine modo dili-*

do diligere. ait Bernardus, quia quantumcunq; in eius amorem effundaris, non exhauries eius amabilitatem: longè amabilior est, quàm tu & omnes Creaturæ possint illi amorem exhibere. At sicut sine modo diligi debet Deus, ita sine termino. nã immutabile id ac indeficiens bonum est; proinde sicut semel, ita semper amabile: igni inextinguibili in illud exardescendum, ac ut in bonum æternum, amore & igni æterno. Ergo in amore & ex amore illius omnia deinceps agere incipe, nullâ re & momento excepto; elicitis & imperatis amoris actibus te huic igneæ abysso totum immerge, & continuatum amorem perduc ad amorem Patriæ, ut ignis hic æternus te exurat in terris & in beata æternitate. Neq; impossibile putes, ut continuum habeas amorem erga DEVM nam id poteris habere præter elicitum frequenter, si quotidie & semper omnia & singula velis agere ex amore erga Deum, & sic per singula momenta & actiones quasuis velis Deum amare super omnia, ita ut quævis minima actio non tam actio sit, quàm ex voluntate tua in Deum propensissima, amor maior & maior continuus. Ergo sic actu imperato continuari poterit hoc incendium semper, adeoqué ignis hic erit suo modo æternus, quatenus ex intentione ac voluntate eius continuandi per æternitatem beatam hîc inchoatur & continuatur.

4. Dura sicut infernus æmulatio. Inferno comparatur amor hic sanctus; quia facit intus sentiri in anima quodammodo pænam damni ob dilationem boni amati; & foris in corpore pænam sensûs per dolores ignis ac tormentorum, quæ sustinentur ex amore, si contingant Porró per æmulationem hoc loco omnes ferè intelligunt vehementem dilectionem, quæ quòd gehennæ compa-

 retur,

retur; præter dictam, est alia ratio Honorij apud Delrium: Quia dilectio, velut infernus, quos rec[e]perit, durè retinet. Non est mollis Divinus amor; duris exercet DEI amatores usque ad Martyria & cruces diversas: vel á DEO immissas, vel sponté as-sumptas continuò. Et tamen amanti nil est durū, & gehennna hæc illi suauis. Insuper illuc se extendit amorosa æmulatio, ut sicut infernus nulla solatia, sic illa & terræ oblectamenta non admittat, zelotypum habens animæ sponsum. Potiùs æmulatur pro Deo, alios etiam in ignem hunc tam salubrem pertrahendo ac pæné præcipitando, ut serpat hoc latè incendium. Sic tu ipse æternùm arde & accende omnia. *ille enim in amore DEI maior est, qui ad eius amorem plurimos trahit*, docente Augustino.

5. Potest etiam hómo sese damnare velut reum violati & imminuti amoris Divini, & immergere se inferno frequenter, pænā damni & sensûs quodammodo sentiendo ad instar animarum in Purgatorio inclusarum, si hoc esset perpetuum; quæ animæ etsi pænas Iustitiæ Divinæ dependant, tamen Deum amant! sicut & Martyres in igne passi ex amore & cum amore.. Talis infernus iunctus cum amore esset infernus saluans: *si sic transieris per ignem, flamma non nocebit tibi, & odor ignis non erit in te.* Denique immergere in clibano amoris Seraphici ac Beatorum omnium, & in incendio cordis Divini se æternùm amantis; hîc urere, hîc ignesce in æternum & liquesce.

6. Persæ igni, quem pro Deo colebant, pabulum continuum apponendo dicebant: *Ede Ignis Domine*. Pabulum æterno huic igni in te alendo dabunt Sacramenta, potissimúm SS. Eucharistia, quæ est *Sacramentum amoris* iuxta Bernardum: item me-
ditatio

ditatio & conſideratio Dei tum in ſeipſo, tum in miris effectibus & beneficijs: item lectio & vitæ Sanctorum ac exempla B. Maria Oegniacenſis cor ſuum curabat, ut eſſet ceu lampas accenſa, in qua ignis charitatis ſemper arderet; ne autem flamma deficeret, eam quotidie nutriebat oleo miſericordiæ & charitatis proximi. En pabula huic igni æterno!

§ XXXII.

Deſcenſus Averni, Aſcenſus Olympi:

Seu deſcenſus ad inferos ſaluberrimus.

Deſcendant in infernum viuentes. Pſ: 54:

1. QVid eſt, quòd *aſcendit, niſi quia & deſcendit, primùm quidem in inferiores partes terræ.* Paulus ſic dicit de Chriſto; ego de quolibet. *Deſcende, & aſcendes.* Deſcende contemplatione in infernũ, ne ſis re ipsâ & praxi: deſcende, ut videas, quod fugias, atque adeò dic, quod Deus ante incendiũ Gomorrhæ: *Deſcendam, & videbo.* Deſcenſus hic inferni eſt aſcenſus Olympi.

2. *Viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum*; id quidem dicitur Deo cuſtodi omnium iuxta illud: *Quid faciam tibi ô cuſtos hominum?* ſed tamen etiam inferno, quem quis ſubinde mente inviſit, dici poteſt. nam ut viſitatio Diuina lumine interno animam replens, eam in bono ſtabilit, contra mala præmunit & conſervat; ſic mentalis viſitatio inferni, dum mentem radijs Diuinæ juſtitiæ illuſtrat, & cor timore Dei percellit; à peccato avertit & cuſtodit. Hinc Iobo non ſatis fuit viſitare obiter infernum, ſed dixit: *Infernus domus mea eſt*, & in tenebris ſtravi lectulum meum. domus utique inhabitatur perpetuò, non viſitatur. Ergo domus eſto infernus ſeu inhabitetur mente, ne inhabitetur re

tur re ipsâ; vbi domus, ibi sit visio Dei æternùm punientis; proderit ac impellet hæc ad curandam potiùs visionem DEi æternùm beantis.

3. Vt sapiant homines & variâ rerum experientiâ polleant, è Patria sæpe in terram alienigenarum pertranseunt. Abi & tu in terram alienam (non enim tui juris fore infernum spero) in terram tenebrosam & opertam mortis caligine, ut sapias, quod optat Moyses omnibus, cum dicit. *utinam saperent & novissima prouiderent!*

Porrò in terra hac, contemplationis materia illa erit; Quàm multi, quare, quid patiantur & quamdiu? *Quàm multi?* ut impedias plures, nec numerum ipse augeas: *Quare?* ut evites, ac vitare causam doceas: *Quid?* ut horreas ac illud unicè cures, quod quidam per visum abreptus in gehennam, & deinde spei salutis sibiq; restitutus dicebat: *Gratias DEO, amplius non ardebo. Quamdiu?* ut æternitas persuadeat, quod tempus scelerum vindex nequit.

4. In peccato est tùm aversio à Deo; & huic correspondet pæna damni tum conversio ad bonum commutabile seu creaturam; & huic respondet in inferno pæna sensûs. Porrò tot sunt pænæ damni, quot bona, quibus anima privatur infelix: nempe privatio Gratiæ, priuatio charitatis & habituum supernaturalium, priuatio luminis gloriæ, privatio visionis beatæ (quæ maximè affliget) & fruitionis ac amoris beatifici, privatio gloriæ corporis, privatio pulchritudinis mundi renovati. Dixerit damnatus: *Tot damna fleo rerum, fleo damna dierum*: Potuit hæc damna amoliri à se, nec illa æternùm incurrere; nam privatio est formæ negatio in subiecto apto; sed dum vixit, fuit subiectum aptum; iam in illa æternitate infelici in-

eptum:

eptum: & formas illas præclariſſimas amiſit & aptitudinem.

5. *Armabit creaturas in ultionem inimicorum, & pugnabit pro eo orbis terrarũ cõtra inſenſatos* dicit Scriptura. Creaturæ variæ ab inſenſatis illis multiplices pœnas exigent; & hinc multiplex pœna ſenſûs. *Prima* & potiſſima ab igne extinguibili ſeu æterno: frigidus fuiſti, nec amore Dei arſiſti; ignibus arde. *Secunda* à frigore, quod teſte Anſelmo igneum mõtem conglaciet *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium, Job 24.* Nimium caluiſti fatuis ignibus; hîc æternum refrigerare, *ubi tam penetrabile frigus adurit. Tertia* à tenebris iuxta illud: *Proijcite illum in tenebras exteriores: Noluit lucẽ, & elongabitur ab eo:* his tenebris rebelles lumini rationis & legi divinæ (*nam lucerna pedibus verbum tuum*) plectuntur. *Quarta* à remorſu conſcientiæ, qui alter eſt infernus. *Quinta* à vermibus ignitis & voracibus; unde *Ecl. 3.* dicitur *vindicta carnis impij, ignis & vermis. Sexta* ab aſpectu dæmonum & contubernio, quando diſplicuit ſocietas beata Angelorum. *Septima* à contubernio infelici damnatorum, quorum fletus & ſtridor dentium notus eſt ex Evangelio. *Octava* à graueolentia corporum & ſentinæ; pro eò, quòd non curaverint eſſe Chriſti bonus odor, & fætere fecerint nomen Chriſtianum per ſcandala aliaqué *Nona* à catenis ferreis urentibus & conſtringentibus, de quibus Evangelium: *Ligatis manibus & pedibus proijcite illum &c. Decima* á flagellis. unde Auguſtinus ait: *Lucifer inceſſanter ad alios dæmones clamabit; Percutite, dilacerate, interficite, ſine morte occidite.*

Inſuper anima damnati habet iudicium obcæcatum per iudicium perverſum: habet voluntatem obſtinatam in malo, memoriam oblitam conſo-

labilium, phantasiam tristibus intentam, appetitū sensitivum rabie exagitatum. Cibus ibi ipsa fames, sitis æterna in ignibus pro potu, lentus ignis loco vestimenti; pro musica gemitus & dolor, blasphemiæ in DEVM & Sanctos, stridor dentium & Væ continuò ingeminatum: habitatio, *locus tormentorum & locus flentium.* Hæc omnia inde maxima & gravissima, quia æterna. Quis habitare poterit cū ardoribus sempiternis? interrogat Isaias. In pluma nolles æternùm iacere, ac uno latere illi incubare; quid in exquisita & perenni catasta?

6. *Iustus es Domine, & rectum judicium tuum.* Etiam dum pro noxa temporali irrogat pænam æternam, iustissimus est. Tum quia (ut inquit Gregorius) *iustum est, ut qui peccavit in æterno sui, puniatur in æterno DEI:* Tum quia (ut ait Bonaventura) *justum est, ut qui peccauit graviter in æternum DEUM, puniatur æternùm:* Tum quia (ut ait S. Thomas) *remanente semper culpâ, iustum est, ut remaneat semper pæna:* Tum quia (ut ait S. Bernardus) quod breve fuit tempore & opere, longum esse constat in pertinaci voluntate, ita ut si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret; imò semper viuere vellet, ut semper peccare posset: Tum quia (ut inquit nostræ Societatis auctor Sanctus IGNATIVS) *peccatum est adversùs infinitam bonitatem DEI perpetratum.* Quæcunq; demum causa est, fateri cogentur damnati, quod dicebant fratres Iosephi: *Iustè hæc patimur, quia peccavimus* in Dominum, & non audivimus vocem eius &c.

7. *Descendant in infernum viventes,* optat Rex David; non ut patiantur, sed ne patiantur. Scivit nempe huius spectaculi, quod illuc descendentibus offertur, pulcherrimos esse fructus. Et tu illos ex Arbore Scientiæ mali tanti decerpere satages.

Primus est: obstrue infernum, & pro animabus zela, ne veniant in hunc locum cruciatuum æternorum. *Secundus*: Quid grave illi videatur ferre qui hæc graviora meruit? *Tertius*: Quæ gratitudo Deo debita, quòd te eruerit ex inferno inferiori? *Quartus*: S. Franciscus Borgias ex hac contemplatione redux putabat omnes creaturas contra se acclamare: *Petamus hunc reducem ab inferis.*

§. XXXIII

Novissima Iustorum.

Fiant novissima mea, eorum similia. Num: 23.

1. AD Novissima Iustorum præmitti debet vita Iustorum: alioquin finem voles absque medijs: certa ergo legitimè, ut iustis u t cum illis coroneris: imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Non molli iuerê Sancti ad astra viâ; *sed non sentit crus in nervo, dum animus est in cælo* perdesideria, ut docuit Tertullianus. Vita eorum, vita fuit cælestis: sic viue, ut ita moriare: sic curre, ut pariter comprehendas.

2. Mors, somnus dicitur in Scriptutis. unde illud: *cùm dederit dilectis suis somnum.* Et de S. Stephano: *obdormiuit in Domino.* Sed in Parabola de decem Viginibus Abulensis advertit, prudentes dormitâsse tantùm, fatuas dormijsse. *Dormitaverunt & dormierunt.* Dormitantis est, non profundè dormire; sed si paulatim abripitur somno, mox evigilat. Iustorum est sopor cum vigilia conjunctus, talisquè est eorum mors, quæ invenit vigilantes. Somnus profundior & lethargus iniustos opprimit, qui saluti suæ non invigilant. Dormitet, non dormiat, qui vovet mortem justorum. Quod si mors eorundem est somnus dilectorum Dei, iuxta illud: Cùm dederit dilectis suis somnum: qui

ad eorum

ad eorum obitum aspirat, mors seu somnus hi[c] eum inveniat dilectum Deo; fietque illud: *Ego di[-]ligam eum, & manifestabo ei meipsum.*

3. Felicia iustorum novissima. Nam mors eoru[m] mors vitalis, vitæ æternæ parens optima: u[t] mors malorum pessima, quód in mortem secun[-]dam desinat. Item mors justorum est inauguratio in regnum cæleste, ut vita fuit cursus ad coronam. Est læta, sicut eorum, qui lætantur in messe: læta, quia plena spei, quia habet Cælitum solatia, quia cælestes incolas lætificat; unde, ut in S. Martini obitu canit Ecclesia: *exultant Angeli, lætantur Ar[-]changeli, chorus Sanctorum proclamat, turba Virginum invitat, Mane nobiscum in æternum.* Nec iudicium iu[-]stos contristat, quibus Iudex advenit in coronam iustitiæ, quam reddet his, qui diligunt. Item Iu[-]dex pænè non invenit, quod in iusto iudicet, qui se utiq; antè diiudicavit, observans Bernardi mo[-]nitum: *Ita vive, ut iustitia non inveniat, in quo districti[-]ùs exerceri queat.* Dicitur ergo illi: *veni benedicte: Posside regnum* videt cælos apertos, & ingreditur. Beatus, cui sic cæli patent!

4. Comitatus Iusti in cælum triplex; unus à satellitio Angelorum, à quibus deportatus est Lazarus in sinum Abrahæ; alter à satellitio meri[-]torum iuxta illud: *Opera illorum sequuntur illos.* Tertius quorundam ab animabus, eorum operâ salvatis, vel ob merita eorundem, eliberatis, sicut nostri cuiusdam Fratris animam comitatæ animæ, quas in eius gratiam & pompam triumphalem Do[-]minus tunc é purgatricibus flammis liberavit. O pulchrum satellitium! Terrestris pompa Iudicrü quiddã est ac puerile respectu cælestis, dum ani[-]ma ascendit in jubilo, non sine admiratione Cæli[-]tum: *Quæ est ista, quæ ascendit delicijs affluens, inni[-]*

xa su-

na super dilectum suum: Domino eandem invitante: *Intra in gaudium Domini tui*: posside, quæ præparavi diligentibus me. En novissima justorum, ad quæ contendens per viam ac vitam iustorum.

§ XXXIV.

Nova de Purgatorio Meditandi ratio.

Non exibis inde, donec reddas ad novissimum quadrantem. Matt: 5.

1. TOlle *purgatorium.* Indicavi superiùs modum destruendi tollendiq; inferni; faciliùs fortasse poterit tolli purgatorium. Qui subtrahit causam Purgatorij, etiam illud ipsum quodãmodo tollit: non enim illud cruciat, nisi causa subsit, ob quam cruciet. *Causa Purgatorij duplex est* vel culpæ veniali debita pæna, vel mortalibus remissis quoad pænam tantùm æternam, non item quoad temporalem. Vtramque pænam qui hîc sustulit, sustulit & Purgatorium sibi debitum. Tollunt utramquè Indulgentie, tollunt Sacrificia & Sacramenta, tollit contritio vehementior, tollit remissio iniuriæ; tollit Martyrium, actusquè heroici, minuit mortificatio & intentio recta: labor etiam sanctus ad id conducit. Hinc S. Bernardus sedulò laboranti ex obedientiæ præscripto dixit: Eia frater, age, quod agis, nullum aliud post hanc vitam Purgatorium sustinebis.

2 *Purgatorio igni minue, vel totaliter adime vim urendi animas*: adimas Ut, gravitas cruciatuũ facit, & charitas in dilectas Deo animas. Sit tua thaumaturga charitas in adimenda vi urendi. Facere id nôrunt oblata sacrificia & sanguis Christi: faciunt eleemosynæ spirituales; nam eleemosyna extinguit

tinguit peccatum, extinguit & pænam peccati: faciunt indulgentiæ, quæ per modum suffragij applicari animabus conceduntur. Duos tibi adhuc modos insinuo, qui huc faciunt. Omnes satisfactiones totius vitæ tuæ, quoad licebit, animabus cede totaliter & transcribe; etiam quæ tibi vivo vel mortuo applicarentur. Item pænitentibus in sacramento Pænitentiæ semper ferè aliquid iniunge pro animabus Purgatorij persolvendum.

3. *Novum conde Purgatorium quadruplex.* Purgatorium Conscientiæ, Purgatorium desiderij, purgatorium amoris, & Purgatorium advitalitium. De tribus postremis proximè agetur. *Purgatorium conscientiæ*, labes minimas quamprimum eluit per Sacramenta & actus iustificantes; tum easdem sollicitè cavet. Huc refer examen conscientiæ horarium, contritionis frequentiam, & curam quintuplicis puritatis, de qua suprá. Expurga quidquid vetus quidquid defectuosū, ne sit purgatorio opus.

4. *Vitam institue cæli capacem sine Purgatorio* Gloriosum id erit *Deo*, gloriosum tibi: imò cælum, non sine Purgatorio obtinendum, supponit peccatum, & reatum culpæ atq; pænæ indecorum, & quoad culpam *Deo* iniurium. Ad eundem amorē DEI pertinet, velle quamprimum videre *Deum* super omnia dilectum; & impedimentnm amovere, quominùs quamprimùm videas, & dilecto fruaris. Sed tamen cælum sine Purgatorio non quæres propter cælum eiusque delicias, sed ex amore amicitiæ, ut bonum gloriosum *DEO*. Porrò ad id conducit tum usus eorum, quæ minuunt uel tollunt Purgatorium, de quibus hîc proximé dictum; *Num: 2.* tum aliorum, quæ huc conductura noveris, de quibus agit alicubi P. Nicolaus Lancius: tum oratio supplex pro eodem beneficio ad Sanctos,

ctos,

ctos, quibus hæc gratia concessa. Christus etiam Dominus Divæ Brigittæ dixit: *Qui propriam volun-tatem relinquit, mihi DEO suo obediens; habebit Cælum sine pæna.* item S. Magdalena de Pazzis *assiduè incul-cabat, ut etiam ictus oculorum & minimos motus ad DEI gloriam dirigerent eius sociæ! sic enim rectâ ad cælum ituras*

5. Imitare animas Purgatorij, & supera. Supera illas in abolendo tempestivè etiam reatu pænæ. Imitare, & supera in amore DEi, & siti ac desiderio fruendi DEO: in eo, quòd eas nil sic angat, ut illud, quòd DEVM non videant: Imitare in eo, quòd sint sine peccato gravi, in statu gratiæ; & aliquæ sine peccato veniali, sed cum pænæ eatu solo quem in te non patere. Ante Communionem sic ad SS. Eucharistiā accendere tu, ut illæ ad DEI visionem Inter tolerandum sic afficiaris Deo, ut illæ inter ignes.

6. Nil ita pro animabus Purgator agas ut eis augeas dolorem. quod fit, dum bona pro illis imperfectè peragis: angit enim eas malus operandi modus, si est cum offensa Dei etiam levi, quam nolunt & horrent ut malum extrinsecum Deo.

7. Contractum cum animabus ineas vel puræ donationis; vel onerosum, quasi dicendo: Do, ut detis: oro, ut oretis. Item ora DEVM per earum merita: sunt enim Sanctæ animæ.

8. Iuva illas tum quoad poteris per te, vel alios; tum per modos usitatos, & extraordinarios: tum per conversionem hæreticorum & orationē pro illorum conversione, ut pote qui non credendo Purgatorium, imminuunt eorum numerū, qui orent pro ijs animabus.

§ XXXV.

Purgatorium desiderij,

Vir desideriorum es. Dan: 9.

Ante te omne desiderium meum. Psal: 37.

1. NOvum tibi Purgatorium molior. Hic verò clibanus, ardens est desiderium, quod amanti animæ non leve, sed salubre tormentum afferet, sic quasi per ignem, quem ardentia desideria succēdunt. Etiam hic ignis aurum excoquet, purgabit scoriam, si quæ animo adhæret.

2. Vt Purgatorium pænale eluit defectus; ita Mysticum Purgatorium purgat nostros affectus. Hos inter est desiderium, quod quantò purgatius, tantò & ea quæ desiderium comitantur. Desiderium est radix operis: *at si radix amara, etiam fructus:* purga radicem, si fructum vis dulcem. Ex desiderijs, animæ pulchritudo vel fæditas intenditur: si sancta sunt, sanctitatem communicant animæ: si fæda, deturpant. Ergo purgatorium sit desiderij morale, quod illud emundet.

3. Duplex desiderij purgatorium, aliud emundans; aliud inflammans. *Purgatorium emundans* geminum habet obiectum: *Intentiones* depurari debent, ut sint puræ, sine quæsitione sui vel creaturæ; solidæ, sine intuitu vani finis, non ordinati ad Deum. *Passio desiderij* coërcenda, ne quid nimis desideret, nec extra Deum, in æterna se transferat, reprimat desideria honoris & blandimentorum sensûs: nolit fieri voluntatem propriam, sed Divinam. Desiderium est, ut sagitta metæ intenta. quid huic metam ignobilem destines, cùm possis æternùm honorificam?

4. At verò Purgatorium Desiderij inflammantis seu potiùs ardentis *Primò* consistet in simili amorosa

morosa animæ pœnalitate, quam patiuntur aliquæ animæ corpore solutæ, quæ solo ardenti desiderio videndi Deum torrentur & torquentur, ob dilationem rei tam desideratæ iuxta illud: *spes, quæ differtur, affligit animam.* Ergo & tu in eundem clibanum & Purgatorium desiderij te conijce: accende in te Seraphica DEi videndi facie ad faciẽ desideria, cum siti, cum tædio dilationis, cum simili animæ cruciatu, qualem sentiebat querulus ille: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est: *Quis mihi det pennas sicut columbæ & volabo, & requiescam:* Conditionatum tamen hoc *desiderium in P. Antonio Gonsalvo nostro* approbaveris, qui dicebat, quòd etsi uno iam pede in cælo esset, si tamen vel unus restaret per Sacramentum pœnitentiæ adjuvandus, cæli ingressum differret, non item vel unius animæ salutem. Notum est simile imò altiùs votum Sancti nostri IGNATII.

5. Qui desiderat rem aliquam ardenter, etiam pignus illius constringit, maximè quod rẽ desideratam continet. Cùm ergo Visionis beatæ ac futuræ gloriæ pignus in SS. Eucharistia nobis detur, idcirco Purgatorium desiderij extendetur adhuc ad desideria inflammata Eucharistiæ tum Sacramentaliter, tum spiritualiter crebriùs percipiendæ ex desiderio arctissimæ cum Christo unionis. Hinc etiam per modum cibi & potûs datur, quòd famem & sitim proritare possit Sic ergo suavi desiderio crucieris iuxta illud: *Memoriale tuum in desiderio animæ.*

6. Desideria sancta & affligunt animam, & purgant; ideoquè in illis etiam est Purgatorium desiderij. *Affligunt;* quia desiderium est boni absentis; absentia autem boni amati nata est affligere. Eadẽ verò *purificant;* tum quia ut desideria mala inqui-

nant animam, sic bona contrarium præstabunt: tum quia desideria sancta pleraque nectuntur charitati, quæ mundat animam. Quantum item sit in desiderio tormentum, patet ex illo Senecæ dicto de quodam: *Maluit exilium pati, quàm desiderium expulsi filij.* Et S. Ambrosius Matri S. Ioannis dicit: *Iniustè Martyrem stringis, Martyrem ob desiderium boni propinqui.* Adhuc ergo purgatorium desiderij consistet in ardentissimis quibusdam desiderijs, ut sunt hæc: *Velle DEO omnia bona,* interna per complacentiam, externa per desiderium & curam: *Desiderare* eius cultum & amorem, & promotionem gloriæ Diuinæ quám maximam in te & alijs, ac zelatores eius plurimos, qui DEI notitiam toto orbe propagent: *Optare* ut cessent vel minuantur offensæ Divinæ, & peccatores DEO reconcilientur & id omnimodis procurare. *Optare,* esse in continuo Divini amoris exercitio, aspirare ad amorem Seraphicum, MARIANVM & Divinum: *Optare,* pro DEO aspera quæque pati, & vitam pro illo profundere, ac in omnibus eius exequi voluntatem. Item *desiderare* amorem cultumqué MARIANVM maximum, ac ut optabat P. Didacus Martinez, esse *Martyrem honoris MARIANI: item desiderare* afflictis solatia, moribundis gratiam bene moriendi, tentatis auxilia efficacia ad victoriam, iustis ad perseverantiam, peccatoribus ad veniam, paganis & hæreticis ad conversionem. Sanè Alphonsus Rodriquez noster per ignea desideria hominum convertendorum & accendi eosdem ad serviendum DEO, non minùs adeptus meriti, quàm si omnes à flagitijs ac erroribus reduxisset, ut refert Ludovicus Janinus. Et *l.* 4. *Revel: S. Brig.* dixit B. Virgo: *Sit, qui desiderio Divinæ gloriæ tantâ voce velit insonare, ut ab ortu solis ad occasum audiant*

& cogno-

& cognoſcant omnes Dominum IESVM, eique ſerviant; eâdem mercede donabitur, ac ſi voluntatem exequeretur.

Huc refero deſideria conditionata *tum Auguſtini:* ſi ego eſſem *Deus*, & tu Auguſtinus, Domine; eligerem, ut tu potiùs DEVS eſſes; *tum illud quorundam* apud Aloyſium *Sidereum:* ſi placeret DEO, deſiderarem uniri *Deo* unione etiam perſonali & Hypoſtaticâ, idque non propter meũ emolumentum & excellentiam, ut appetijt Lucifer; ſed ideò purè, ut eò plus diligerem DEVM, nempe amore infinito, & ipſi adæquato, & commenſurato, nec ipſum amplius poſſem offendere, ſed omnia illi exhibere quæ Chriſtus in carne exhibuit & exhibere potuit. *Denique*, quatenus id poſſibile foret, *deſidero* agere & egiſſe, quidquid actum, quidquid agitur, agi potuit, ageturquè placitè ac dignè Deo à quocunque, ubicunque, in omni circumſtantia debita & congrua ac beneplacita DEO, in omni intenſione & intentione ac extenſione poſſibili, in omni proportione & multiplicatione, replicatione & modo quouis poſſibili ac deſiderabili; ſimulquè gaude, quòd fuerit aut fiet aliquid tale, illudquè nunc ſtatim approba, antequam fiat, & offer ceu factum, cum ratihabitione, ſine quæſitione tuiipſius, tàntùm Diuini guſtûs ac beneplaciti ac maximæ gloriæ. In tali ergo vel ſimili Purgatorio deſiderij continuò te eſſe velis, cum deſiderio continui profectûs & augmenti tum aliarum virtutũ, tum huiuſmodi cæleſtium flammarũ.

7. Et quia ut quidam dixit, etiam infernus plenus eſt bonis deſiderijs, eò quòd ibi multi ſint, qui deſideria ſancta habuerunt ſed ea non ſũt executi, cùm vel tenerẽtur, & poſſent; vel illis expeditiùs fuiſſet ijs uti ad ſalutem, & impedimenta ſalutis evitanda; ideò tu ita his alijſquè deſiderijs te impendas, ut, quatenus licebit, ad opus

opus progrediare. Sic & illud tibi non quadrabit: *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim manus ejus operari.*

§ XXXVI.

Purgatorium amoris.

Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. Psal. 16.

Tanquam aurum in fornace probavit eos. Sap: 3.

1. AMor est naturæ igneæ. *Lampades ejus, lampades ignis ac flammarum.* Est amor ut ignis comburens & consumens, qui excoquit ac purgat, quidquid mali vel scoriæ pretioso metallo adhæret. Ignis hic est purgatorio potior; quia ignis purgatorius punit acerbè, hic suauiter torquet: ille pænalis tantùm est, hic etiam est satisfactionis capax in via. Qui hoc ardet; beatus viator est: non timebit domui suæ à frigoribus niuis; & amabile est purgatorium in hac flamma: quia amor suavis tyrannis, & cruciatus dulcis est. Insuper, ut inquit B. Augustinus, *nemo est qui se excusare possit, quòd Deum diligere non possit*; quia in DEO verior maiorquè ratio amoris, quàm in creaturis, quas tamen perditè aliqui diligunt, & in amorem earum accenduntur.

2. Eget sæpenumero ignis igne, quo juuetur, nè extinguatur; vel si malè ardet, ut alio compescatur. nam Poëta canit de Iove fulminante. *compescuit ignibus ignes.* Vt ignis sic & amor igne eget, vel purificante vel augente flammâ. Nam ignis hic, qui est amor, sæpe ardet, vbi non debet, estquè etiam ut fatuus ignis; vel ardet, non prout debet, nec sine fumo; & tunc igni pæna debetur. culpa huius ignis aliqua est etiam amor remissus; huius pæna est, in-

tensio

tensio amoris, amor verò indebitus igne salubriori compescendus, vel ritè ordinandus est. Ioannes Geometra *de Deipara ait, quòd illa sit ignis igni*. nempe illa sanctiorem flammam nobis impetrat, quae malos ardores temperet. Ergo ignis igni sit praestò.

3. Purgatorium amoris *primò consistit* in depuratione affectuum, maximè ipsius amoris erga res & Personas: ita ut non sit nisi iuxta & propter Deum. Sit amor unius, sit solitarius, sit indivisus, sine rivalibus alijs cordis. Actui puro (qualis est Deus) amor purus debetur sine alio amore: haec est *flamma sine fumo*. Nil summè praeter Deum, *nil suprà amandum est, omnia propter DEUM, omnia infra Deum*; & creaturae, in quibus est participatum esse Divinum, diligendae sunt ut quid Dei, & à Deo, & propter *Deum*, quo ipso amabitur *Deus*. nam sicut flumen, quod intrat in mare, absorbeturque à mari, amittit seipsum, nec iam flumen vocatur, sed mare; sic amor creaturarum intrans in Deum, propter quem diliguntur, transformatur in amorē Divinum. Quare si amor infimis non inhaereat, sed supremo bono; vel infimis aliquibus, sed propter supremū bonū, purgatus is amor est; alioquin eget purgatorio. Nempe amorem obiecta vel inquinant, vel exornant; terrena in se sola inquinant, nam terra lutulenta est: à quo luto purificatus lotusquè ille, qui dixit: *Lavi pedes meos, quomodo iterum inquinabo illos?*

4. In Canticis Canticorum dicitur! *Ordinavit in me charitatem.* Etiam ad Purgatorium amoris spectat certa directio & coordinatio amoris. nam omnis inordinatio Purgatorio suo eget. Ordinem verò amoris te docebit Augustinus, qui inquit: *charitas ordinata primò diligit, quod supra nos, id est,*

Deum: *tum*, *quod circa nos*, *id est*, *quod nos sumus*: *tum*, *quod circa nos*; *id est*, *proximos*: *tum*, *quod infra nos*, *quod est corpus nostrum*. Sic ergo ordina in te charitatem, ut sit purgatior.

5. Præmissâ hâc purgatione amoris & ordinatione, nostrum amoris Purgatorium maximè constituent ardentes actus amoris Divini. Nempe purgatorium vel habet flammam cordis tantùm, ut est Purgatorium desiderii solius; vel flammam etiam ignis, iuxta illud: Sic tamen quasi per ignem. Sed & ipsa flamma cordis fit hîc ut ignis. *In igne est calor*, *ferVor*, *ardor*. Calere & feruere non est satis, nisi ardeas: nam calor est initium, fervor incrementum, ardor perfectio & in summo calor. *InVenies* (ait Gregorius) *calentes & ferVentes*, *sed perpaucos ardentes*, qui ignem Divinum excipiant, sintq; *ut Ioannes lucerna ardens*. Sit ergo ardens amor huius Purgatorij, tum amor appretiativus seu excellentiæ; tum amor amicitiæ & benevolentiæ; tum amor unionis & transformativus in amatum; tum amor indivisus, qui dicat Deo: *Te solùm norit, tibi semper inhæreat uni*: tum amor aspirans ad Angelicum & MARIANVM ac Theandricum amorem, & ad illam perfectionem: *Majorem charitatem nemo habet*, *quàm ut animam suam ponat pro amato*. vide plura in Face viæ unitiuæ § 9. de Seraphino terrestri: hîc tamen hæc innuuntur, quatenus quoddam Purgatorium exprimunt.

6. Vincentius Carrafa Societatis nostræ Generalis sic orandum docet: *Si non Martyr fidei*, *saltem moriar Martyr charitatis*, *crescente in me eòusque amore Dei*, *ut hac de causa anima separetur à corpore*; prout in B. Virgine, quæ vi amoris & ardentissimæ charitatis, ut ait Franciscus Suarez, extincta; seu, ut ait Guerricus Abbas, *Vulnerata charitate*, *non gra-*

bata infirmitate. Iuuat huc deniq; propositum vel votum agendi omnia ex charitate erga Deum semper augenda per summâ proportionem ad instans mortis, ut semper sis in igne suaviter urente & purgante.

7. In hoc ergo ardentis amoris Purgatorio semper arde. Nota verò illius differentiam ab Igne æterno salvante superiùs descripto, quòd hoc purgatorium possit esse quilibet actus amoris Divini transiens; vel si sit Purgatorium amoris diuturnius, spectabit potissimùm tempus huius vitæ; at ignis æternus ille dicet continuatum semper amorem & omnia in amore & ex amore profecta, intentione continuandi illum in via & patria, in tẽpore ac æternitate.

§ XXXVII.

Thermæ salubres:

Seu

Purgatorium aliud perpetuum in vita.

Impleti sunt dies purgationis. Luc: 2.
Purgationem peccatorum faciens. Hebr: 1.

1. ADhuc tertium subi Purgatorium, non tamen ita pœnale, ut non deliniat; nam & acerbis acorem demit amor, *& aspera in sanguine Christi & spinis retusa* ait Tertullianus. Sed ad hoc Purgatorium supponitur status animæ separatæ à corpore in sensu morali; id est, avulsio animi à corporeis & sensibilibus, & abstractio quædam à

materia, seu abstractio inordinati ad terrena affectûs. Nam expeditior mens ad hoc Purgatorium svaviùs subeundum, si corpus quod corrumpitur non aggravet animam.

2. Etiam hoc Purgatorium non absque pæna; sed meliùs est, ut te purget spontanea & dulcior pæna, quàm alibi merè acerba, nec delinire, sed tantùm punire assueta. Pænæ damni correspondebit affectus spei supernaturalis, qua dilatâ affligi est actus pænalis animæ amantis. Huius spei etsi actus sint quatuor, nempe amor, desiderium, spes, & gaudium; tamen maximè desiderij actus accenditur in ignem dicens: *Quando veniam & apparebo ante faciem DEI*: vel ut Ignatius Martyr dicebat: *Ignis, crux, tormenta diaboli tota in me veniant, tantùm Christo fruar*. Ad eandem quasi pænam damni augendam spectant desideria visionis beatæ coniuncta cum desiderio quàm plurimos ad eam perducendi, qui etiam videntur procul esse á regno Dei. Huc referri possunt lacrymæ effusæ tum supra plurimos cæli jacturam passos, tum illo motivo: *Super flumina Babylonis sedimus & flevimus, dum recordaremur tuî Sion.*

3. Pænæ sensûs & igni Purgatorij correspondebit tum Seraphicus, vel amori B. Stanislai Kostkæ similis, cor & corpus efficiens instar flammæ ignis: Tum brevis sed affectuosa Passionis Christi memoria; siquidem ex sententiâ Albert Magni hæc pluris valet, quàm plures cruentæ corporis diverberationes, non tantùm illis æquiualet: Tum humiliatio interna & confusio suî totius coram Deo & toto cælestium incolarum cætu de sua vilitate, nihilo, de peccatis & miserijs ac indigentijs: Tum damnatio suî, seu agnitio ingenua se meritû pænas huius illiusvè sæculi gravissimas, & indignum,

gnum, cui exhibeat tanta DEVS; sed quem potiùs exponat mille malis, mille pænis & confusionibus: Tum damnatio suî ad ignem illum æternum seu infernum salvantem, & ad Purgatorium duplex proximè descriptum desiderij & amoris: Tum repræsentatio menti obiecta, & affectui impressa quasi sensatio omnium cruciatuum, quos vel in Martyres cruda tyrannis, vel pænitentes asperi in seipsos, vel ignis purgatorius ac infernalis (citra peccatum) in animas multiplicis pænæ reas exercere; in ijs seipsum ex iustitia, ex amore pænitentiæ, ex amore & studio placandi offensi Dei reponendo, affligendo, pænas aggerendo ac intendendo: Tum renuntiatio omnibus delectabilibus & appetibilibus secundùm sensus externos & æstimationem mundi amorisqué proprij inordinati. Tum oblatio suî ad mala toleranda de manu Dei (ut hîc urat, ibi parcat) & ad labores; ut dicere possit anima: *Vide Domine laborem meum, & dimitte universa delicta mea. Psa: 24.* Tum oblatio Sanguinis Christi cum B. Virginis & Sanctorum meritis; eorum virtutes pro singulis oppositis delictis offerendo: tum compensatio satisfactoria iniuriarum Dei per internos actus amoris, contritionis, laudis, adorationis &c. cum certa proportione & intensione actuum, & cum imitatione quorundam pænitentium, ut Publicani in cælum oculos attollere non audentis; & Thaidis, cuius illa tantùm fuit oratio: Qui me psalmâsti, miserere meî; Tum renuntiatio proprijs commoditatibns, & iudicio ac voluntati per vota & desponsationē voluntatis suæ DEo eiusque voluntati, etiam in pænam libertatis malè exercitæ & voluntatis peccatricis: Tum victoria suî in arduis occurrentibus: Tū mortificationes exteriores occurrentes, vel ex destinato assumptæ in

lecto cilicijs, flagellis, abstinentijs, & occultis alijs suî afflictationibus, in sensibus, in lingua &c. Tum amor inimicorum & oratio pro illis quotidiana & in sacro & alias Tum eleëmosynæ cordis & operis pro animabus Purgatorij, pro infidelibus, pro agonizantibus, pro peccatoribus, pro afflictis, & opera misericordiæ spiritualia: Deniq; cùm hæc & plura feceris, credas te nihil agere respectu infinitatis offensi Dei. Porrò etsi alios è Purgatorio eximi velis, tamen in hoc morale Purgatorium profundiùs ipse in dies & horas immergi velis & cures.

§. XXXVIII.

Baptismus moralis,

Seu

Aliæ adhuc Thermæ mysticæ.

Baptismo habeo baptizari. Luc: 10.

Ampliùs lava me Psal: 50.

1. NOn unus credo, gauderet, si Christus Baptismum cum pari, ut primum, effectu iterabilem statuisset. At baptismus fluminis non potest repeti; hic verò, cuius species modò proponam, iterabilis est. Lauare ergo, & mundaberis, ut dicebat Elizæus Naamano Syro 4. *Reg: 2.*

2. Vis Baptismum quendam Sanguinis? Doctrina de Martyrio mox tradenda te instruet, quomodo Martyr etiam incruentus esse possis. item laudantur, qui laverunt stolas suas in sanguine

Agni,

Agni: Etiam tu immerges te sancto huic Iordani, tum per Sacramentorum usum, tum per actus iustificationis vim trahentes ex meritis & Sanguine Christi: tum per usum Indulgentiarum, quæ thesauro ejusdem sanguinis maximè constant, possuntque efficere, ut sicut baptismo vitæ percepto, etiam totalis pænæ reatus aboletur; ita per Indulgentias plenarias, eorumquè, quibus hæ sunt adnexæ, usum, totalis pæna temporalis tollatur. Sic lauare, & mundaberis in quodam veluti baptismo sanguinis.

3. Quid quòd etiam tribulatio & tolerantiæ virtus sit instar baptismi, dicente Christo de sua Passione: baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiatur? Certè baptismus sanguinis, Martyrium est; nec tamen semper sanguinem fundit, ut patet in sanctis, Marcello, Ioanne Papa, Pontiano, Siluerio, Martino Papa, qui in ærumnis pro Deo & virtute citra sanguinis effusionem toleratis inter Martyres sunt repositi; & alij in obsequio peste infectorum mortui, quorum memoria celebratur 28. Februarij in Martyrologio. Et verò baptismus hic cælum aperit: nam non Stephanus tantùm dicebat: Ecce video cælos apertos; sed universaliter dicitur: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* ô ergo pati! ô tribulari: baptismus hic est totâ vitâ iterabilis, in quo tot aduersa exsorbenda. Lauare sic, & mundare.

4. Vis baptismum fluminis? Hunc præstabũt *exitus aquarum, quos deduxerint oculi tui,* de quibus Petrus Cellensis ait: *Hæc aqua Paradisum irrigat, Ecclesiam lauat; aut facit, aut invenit Paradisum; & satan tolerabiliùs sustinet flammam suam, quam lacrymam nostram.* Lauare septies & septuagies in hoc

Iordane,

Iordane, huic innata. & mundaberis. Dabunt insuper tibi Thermas similes & lavacrum, MARIANÆ lacrymæ, lacrymæ sanctorum Pænitentium, sudor laborantium in vinea Christi, supereffluentes Sanctorum satisfactiones commixtæ cum fontibus Salvatoris: item lacrymæ, si quas ex contritis tuâ etiam adhibitâ operâ pænitentibus, Deo obtuleris, & induratos emollieris, iuxta illud: *Loquimini ad Petrã, & ipsa dabit vobis aquas. Numer: 20.*

5. Vis adhuc baptismum flaminis? *Ioan: 1. Hic est qui baptizat in igne & Spiritu Sancto.* Ergo in igne etiam fit baptismus: at hic ignis etiam charitas est ardens in Deum & proximum, quæ utiq; operit multitudinem peccatorum. Baptismus item in voto est contritio supernaturalis; proinde & hæc quoad effectum potest æquivalere illi baptismo. Præterea ad charitatem refertur actus misericordiæ, qui etiam quoddam lavacrum est emundans: Nam Christus de quodam ex his actibus dicit: *date Eleemosynam, & omnia erunt munda vobis.* Eleemosyna ergo lavat & baptizat tum corporalis, tum spiritualis, quam effunde in indigentes, quatenus poteris. sic lauare & mundaberis: omnia erunt munda.

6. Religionis ingressus etiam comparatur Baptismo à Sanctis; de quo lege apud Asceticos. Quo circa ratifica susceptum statum religiosum frequẽti votorum renouatione cum tuî holocaustifica oblatione, ut in hoc baptismo iterum iterumquè abluare.

7. Et quoniam in nomine & virtute SS. Trinitatis baptismus aquæ perficitur, eiusdem Trinitatis confessio & amor, & quidquid debes ac potes, illi exhibitum, pertinet etiam ad hoc mysticum lavacrum. Age ergo quod poteris in eius honorem, ut mun.

ut munderis, ut te abluat potentia Patris, Sanguis Filij emundet, charitas & bonitas Spiritûs Sancti sanctificet. Earundem trium Personarũ benignitas sit tibi velut lavacrum, similiter misericordia; nã hæc te abluit & iustificat: item earundem Iustitia, cuius timor & irrogata pæna purgat animam: *hæc purgabit filios Leui, & mundabit aream suam* Deniq; omnes dignationes Verbi ad idem lavacrũ pertinent. His ergo thermis utere, his te immerge, emunda, lauare, & mundaberis.

§. XXXIX.

Aliæ Thermæ sálubres,

Per Martyrium incruentum.

Martyrum IESV. Apoc: 17.
Propter te mortificamur. Psal 43

1. MArtyrio deletur tota pæna, uti & culpa; ideò illud inter animæ thermas poni meretur. Porrò *Martyrium est actus maximæ perfectionis* (ait S. Thomas) *quia est maximæ charitatis*, estquè actus elicitus á fortitudine, imperatus á charitate: æquiualet baptismo quoad effectum, & teste Augustino, *etiam ex peccatore, homo per illud euadit perfectus.* Denique Martyrium esse quid potius, quàm esse Apostolum, esse Doctorem &c. *censet Chrysostomus.* En quanta dignitas Martyrij! ô ergo reddere testimonium IESV! ô esse Martyrem Christi!

2. Et quia iuxta Bonauenturam, *charitas perfecta est in desiderio Martyrij;* etiam ad hanc pertingere licebit per desideria, tum statuendo te in occasionibus Martyriorum omnium, quæ Sancti non

suis

suis viribus, sed in Domino superarunt, in quo etiam tu potes (*omnia enim possum in eo, qui me æquè confortare potest*) tum oblatione tuî cum desiderio Martyrij, si *Deo* placeat: tum orando cum S. Francisco Xauerio: *oro supliciter, ut mihi gratiam profundendi pro te sanguinis, etsi indigno largiare*; *tum postulando gratiam pro ijs, qui Martyrium* subituri, ut tempore Antichristi & alias; potissimè inuocando *Angelum Martyrij*, qui datur juxta Origenem.

3. Martyrium duplex. Aliud cruentum, seu *Passio consūmata, ultra quam nulla*, ut vocat Guilelmus Parisiensis aliud incruentum Patientiæ, *seu Passio inchoata, ultra quam alia.* illa hanc excedit intensione, hæc duratione; seu horrore quidem hæc mitior, sed diuturnitate molestior. Addit Chrysostomus, quòd ad incruenti Martyrii laureolam (quam Doctor Angelicus præfert laureolæ virginitatis ob maiorem pugnam, & nobiliorem victoriam) *perveniri queat non solo eventu, sed proposito.*

4. *Habet & pax nostra* Martyres *suos*, inquit Augustinus. nam iracundiam mitigare, superbiam humiliare, magnum Martyrium est. Tentatus es ab ira & quocunque vitio, nec succumbis? Martyr es Christi. usque adeò non sola tyranni victoria, sed suî etiam & tentationis victoria Martyrem facit! Agnovit pacatum Martyrium & laureolam Cyprianus dicens: *In persecutione militia, in pace cōscientia coronatur.* Agnovit & Richardus a S. Victore, qui ait: *si non conceditur Martyrium in carne, sit Martyrium in mente.* Vnde non est mirum, quod S. IGNATIVM Loyolam Patres Congregationis S. Pauli vocaverint *Martyrem in otio*: & Franciscus Maria Episcopus Portuensis eundem ait, Martyrum & multorum renovâsse exempla Sanctorum, quî suî

qui sui penitus obliti, de Divina tantùm gloria laborant. Item B. Aloysium Gonzagam vocauit *Martyrem incognitum* S. Magdalena de Pazzis, qui ex eo Martyrium cordis senserit, quòd non ita DEO serviret, eumquè diligeret, prout & quantũ meretur. *Esto* ergo & tu Martyr sic incognitus; *esto Adauctus*; accede ad tales pacatos Martyres, eorumq; numerum auge, & felicibus his coniungere, ut Adauctus Felici Martyri.

5. *Totus mundus plenus Martyribus est*, inquit Gregorius. alij Martyres Christi, alij Martyres diaboli; sed tantùm de prioribus agimus. Porrò ut non unum Martyrij pro Christo cruenti est (*nam alij secti sunt, alij in occisione gladij mortui sunt*, alij aliter Christum clarificârunt) ita & Martyrij incruenti non una species. Iuvat has enumerare & laureolas tibi porrigere diversas. Præter genus Martyrij incogniti, de quo proximè dictum;

Prima Species Martyrij huius pacati colligitur ex Augustino docente: *etiam contemptu carnis ad palmam Martyrij possumus pervenire*. Nempe *Castitas Martyres facit*, etiam consensu Ambrosij.

Secunda Species ex eodem Ambrosio, est victoria tentationum & concupiscentiarum ac passionũ. dicit enim: *Quotidie testis es Christi, si tentaris, sed vincis.*

Tertia ex Chrysostomo: *Fer*, inquit, *generoso animo, quæ accidunt; hoc enim est tibi Martyrium.* Quo refero illud Gregorij: *Patientia adversorum*, & adversantes diligere, *Martyrium est in occulta cogitatione*. Hinc & Bernardus eos qui nos affligunt, *vocat aurificos nostros*, seu coronæ aureæ auctores.

Quarta Martyrij incruenti species est Paupertas voluntaria. nam Bernardus ait: *Quid sibi vult, quòd eadem est* promissio pauperibus & Martyribus,

 nisi

nisi quia *verè Martyrij genus est, paupertas voluntaria.*

Quinta Species est status religiosus. nam Laurentius Justinianus inquit: *Religiosi, Martyrij spiritualis fatigantur agone.* Certé Religiosa obedientia præfertur & cruentæ victimæ, quòd melior sit quám victimæ.

Sexta Sunt mortificationes privatæ internæ & externæ, abnegatio voluntatis, actus heròici conjuncti cum suî victoria insigni.

Septima Martyrium cordis, quale B. Virgo dolorosa pertulit, fuitq; Regina Martyrum. quò refer non tantùm compassionem afflictivam cordis super Christo passo, sed etiam super offensis illius per totum mundum, & tot sæculis ac momentis.

Octava Est Martyrium amoris, ut quidam optabat esse Martyr charitatis, & S. Teresia dicitur victima charitatis in Hymno Ecclesiastico. nempe Amor hic Dulcis est tyrannus.

Nona est vita imitatrix quorundam Confessorum, qui sine sanguine Martyrij palmam consecuti dicuntur; ut de S. Martino Ecclesia dicit: *Quem etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen Martyrij non amisit.*

Decima Species est, obsequium præstare infectis peste, idquè ex voto Martyrij, ut fecisse traditur Vincentius Carrafa Societatis nostræ Generalis, R. P. Gaspar Druzbicki vir magnæ sanctitatis, & supra dixi in Martyrologio 28. Februarij tales recenseri inter Martyres. En quoties esse Martyr potes! sæpe unicus ictus Martyrium consummat: sed tibi multiplicare prædictos actus Martyrij pacati & coronas licet.

Vndecima Species est, Martyrium quoddam Jmaginarium, affectuosum, præparati animi ad quævis subeunda ardua & toleranda, quando vel præce-

præceptum exigeret, vel consilium & perfectio ac soliditas amoris. Talis affectio includitur in amore DEI appretiativo super omnia: nam per eum homo ita æstimat, appretiat & præfert omnibus DEVM, ut malit omnium rerum jacturam pati & omnia mala perferre, quàm iacturam DEI subire. Item in contritione perfecta ac detestatione peccati cuiusque: super omnia detestabilia, hic enim actus eligit potius omnia mala toleratu etiam difficillima, quàm peccatum quodcunque etiam leve. est ergo in tali actu electio potiùs omnium cruciatuum præ peccato, adeoq; præparatus animus ad Martyrium. Imò etiam ubi non est peccati periculũ, nec obligatio, paria eligit amor. Sic S. IGNATIVS Martyr dicebat: Jgnis, Crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm ut Christo fruar. Quod si quis charitate ardens se in talibus & aliis gravibus imaginationi obiectis statuat, nec ea refugiat ob amatũ super omnia DEVM, nec in ijs deficere cum auxilijs gratiæ velit; id etiam quoddam Martyrium esset imaginarium & affectuosum. Quis me separabit &c. Ne autem quis animum despondeat in huiusmodi perferendis, iuvabit exempla Sanctorũ habere ob oculos, qui etiam re ipsâ, non tantùm imaginariè & affectivè potuerunt res gravissimas amore DEI, cum eius auxilio perferre, quod etiam tibi DEVS non denegaret: tum exemplum animarum Purgatorij pænas omnibus terrenis graviores cum amore erga DEVM inconcusso tolerãtium; uti & damnati, velint nolint, gravissima tormenta æternùm tolerare coguntur. At fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus: denique omnia possum in eo, qui me confortat, ut scriptura loquitur. Ergo & hujusmodi Martyr esto.

§. XL.

Quoniam cælum è novissimis vnum est, hîc de illo agã, etsi aliqua ad Viam Vnitivam transferri hinc possint.

Violenti.

Seu

Conspiratio in cælum,

Violenti rapiunt illud: Matt: 11.

1. RApitur, & multis cælum præripitur! Rapto hîc opus est & violentiâ; tamen nec rapina hæc fit invito Domino: & violentia hujusmodi coronatur. *Adeò hi raptores regnum DEI possidebunt*, & vim huiusmodi, vi non repellit cælum! ô felix rapina! ô beata violentia! Huc spectant dicta sub titulo Heros, de victoria suî § 18.

2. *Beniamin lupus rapax; manè rapiet prædam, vespere dividet escas.* Benjamin filius dexteræ interpretatur; nempe illius dexteræ: *Oues autem à dextris.* Qui ad dexteram & partem Sanctorum pertinet; oportet, rapax sit sed cæli; & avidus occasionum bene merendi de cælo. Quamdiu vivit, *est manè*, antequam veniatur ad cænam magnam. Quamvis manè intelligi etiam possit, quòd tempestivè in cæli rapinam sit intendendum; incipe summo manè, in aurora ætatis ac vitæ DEO servire, & cælum rapere: multi enim illuc venient ab Oriente, non tantùm respectu plagæ cælorum, sed etiam respectu ætatum; cùm in illis sit velut oriens prima ætas, occidens quodammodo ætas postrema.

Ergo

Ergo rapina filijs dexteræ convenit non utiq; alterius rei, quàm quæ è cælo auferri possit, nempe DEVS. Hæc sunt spolia opima, quibus ô Beniamin, ô fili dexteræ, intendes. Quod si spolia fortium & prædas Orco detractas, nempe animas ad DEVM reductas intelligi velis, vel gratiæ augmẽtum; id quidem intelligere licet, sed hoc ipso cælum rapis, dum hæc tibi præda contingit. Esto ergo Beniamin rapax, rape hanc prædam, ut vespera tibi beatior cum cæna illa magna contingat. Putes etiam tibi dici illud: *Ad prædam, fili mi,* ad prædam, *Accelera, festina, prædare,* sit hoc nomen etiam tuum.

3. Gigantes illi in fabulis cælos & Superos aggressi, ausi per montes invadere cælum. Malè id tentârunt, à Dijs fulminati. Malè per montes oppugnatur cælum: tumor id non expugnat; nec angustæ ex gemmis pretiosis portæ illius triumphales, gigantæam molem capiunt. Nam *nisi efficiamini ut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Nec *turres* hæ *carneæ,* ut unus Gigas appellatur á Chrysostomo) vincunt; nihil enim carni & sanguini cum cælo. imó telluris alumnos (nam Gigantes, Pòëtæ censent terræ filios) id est, qui terrena sapiunt, nec ab infimis mentem eleuant, cælũ respuit

4. Ergo in cæli rapinam cum Violentis conspira: cum illis *sic rapto vivere,* sit tibi militare Sacramentum. Quisquis violentus sibi suisquè malis inclinationibus & habitibus est; violentus ést cælo, & per latus proprium astra impetit. Qui in heròicis actibus suprà descriptis se exercet, se exercet, estq; suî continuus ac strenuus victor, & in arduis de seipso triumphat, violentus est, cælum rapit. Sic *S.* Franciscus Xaverius ulcus purulentum exsugens: S. Ioannes Gualbertus hosti

vitam condonans: S. Alexius sese tamdiu parentibus non manifestans, & primâ nuptiarum nocte sponsam patriamquè fugiens. S. Augustinus toti mundo peccata sua revelans in libris Confessionū: Columbanus per calcatam matrem ad Christum pergens, alijqué sexcenti heróés, violenti fuêre! Pertinent huc & illi deponentes gibbum Cameli, regnis etiam & magnis opibus renuntiantes Orbis Principes ac Dynastæ, ut per angustam intrarent portam, & cælestis ostij dilatarent angustias suo pluriumquè in cælos ingressu.

5. Tessera conspirantium hæc est: *Et ferro, & auro.* quod Philippus Macedo dixit conspectâ Athenarum delineatione: nempe his verbis indicās, se omnem moturum lapidem, ut illâ tam pulchrâ civitate potiretur; seu corruptione pecuniariâ primorum civitatis, seu vi & armis agendum esset. Sic & hi violenti cælum in deditionem omnimodis cogere moliuntur, per aspera & prospera. Vel certé illâ tesserâ Heluij Pertinacis utuntur: *Militemus*: aut Septimij Seueri Imperatoris: *Laboremus*.

6. Machinæ in cælum sunt virtutes, quibus facilè apertum aliàs, hodie etiam aperitur cælum. Sic ille Dominus fortis & potens, Dominus virtutum non irrito conatu pulsavit cæli mænia & ostia: *Aperite portas Principes vestras*: nempe solida virtus & victoriæ cælos aperiunt. In oppugnatione urbium olim adhibitæ sunt vineæ, testudines, arietes &c. nunc etiam tormenta muralia adhibentur, & cuniculi ac subterranei doli. Machinæ meliores & cælo ipsi violentiores, sunt virtutes Christianæ & religiosæ, & quævis bona opera cum statu gratiæ coniuncta & perseverantia, cui promittitur: *Qui perseveraverit* usque in finem, salvus erit. Certè beatitudinum octo Euangelicarū

virtuti

virtuti cuilibet cælum variâ phrasi destinatur, cùm dicitur: *Ipsorum est regnum cælorum: Ipsi DEVM videbunt; Ipsi consolabuntur &c.* quælibet hujusmodi virtus aliæque dixerint: *Ecce video cælos apertos.* Vincit hîc etiam, etsi in alijs prælijs & oppugnationibus sit imbellis ac ignominiosus, timor; nēpe timor DEi & peccati, quæ laus etiam fuit S. Chrysostomi, *qui dictus est nihil timere nisi DEVM & peccatum.* Item subigit cælum, qui se illi subiecit, quod hîc est admirabile: in deditionem illud inclinât oppugnantium libertas sponte captiva; nā Vir obediens loquetur victorias etiam de cælo deditionem passo. Denique nullum est tam exile bonum opus usque ad porrectum sitienti calicem aquæ frigidæ in nomine DEI vel Prophetæ, quod nō fortiter pulset, validêq; quasset cæli mænia, eiusque portas ex margaritis constructas non recludat. Amanti DEVM omnia cooperantur in bonum, atque adeò pusilla etiam bona cooperantur in cælestem triumphum. ô felix conspiratio! Quodsi adhuc auro, alijsque largitionibus, seu hastis argenteis victoriæ obtinentur; tibi hujusmodi machinas dabunt opera supererogationis, opera misericordiæ & charitatis, obsequia alijs impensa, auxilia vivis mortuisque præstita. Sic, sic cælum oppugna, & rapies!

7. Dicitur: *Quæ violenta, rarò diuturna.* Sed Sacræ huic violentiæ tu diuturnitatem & constantiam, vide ut dederis; semper esto cælo violentus, constantia virtutis & perseuerantia hîc triumphat, & ē cælo muralem coronam accipit. Nec satis est te continuò esse violentum; cura insuper ut violentorum hujusmodi Heroum numerus propagetur, & per ætates singulas eat: quare quàm plurimos in sanctum hoc fædus rapies pertrahesque, &

illi alios deinceps. *Sic* violentum hoc erit diuturnum. Quamuis autem cælum æquè uni violento ac multis pateat; tamen illi suavior plurium conjuratio, & gloriosior multorum conspiratio in cæli possessionem jure felicis conatûs adeundam.

§. XLI.

Conversatio in cælis.

Nostra autem conversatio in cælis est. Phil: 3.

1. COr *sit in cælo, ne putrescat in terra.* si inundatione urgente supellectilem levas in superiora; cur cor non eleues in cælum? sic ferme Augustinus. Ergo & tua conversatio in cælis esto. Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se. at cui conversatio amica est cum cælo, non est solus; habet, qui illum sublevet. Ibi ergo commorare, cæli ostium exterat pes tuus. ibi confabulare, alloquia cælestium Procerum & consortium pete. Iuvabit contracta cum Diuis familiaritas; nam obiectum etiam oculis cælum, Diuorum beata sedes animat ad fortia. Iuvabit; *nam sursum erectos animos desideria terrena non deprimunt*, ut sensit Leo Papa.

2. *DEO deliciæ sunt, esse cum filijs hominum.* Satisfac desiderio DEI, nec illi has subtrahe delicias, fili hominis: dabis illas, si totum te in conversationem continuam cum DEO effuderis. Delicium est illicium: at facilis illecebra á te potest injici DEO: In uno crine colli, in uno oculorum vulnerabis & allicies DEVM: Vnum, *Peccavi Domino*, vnum *Amo*, *vel Doleo amorosum* dabit ei illicium pariter & delicium.

3. Le-

3. *Leges conuersationis cælestis edisce.* I. Sit conversatio tua in cælo *reuerentialis.* Nam inæqualitas status Beati & viatoris id ab inferiori exigit.

2do. Sit conuersatio *amæna & dulcis*, qualem facit lingua eucharis, affabilitas, comitas morum, verba gratiæ, vultus amænior. Hilarem datorem diligit DEVS. Quamvis autem humana conversatio mæstius ingenium refugit; tamen lacrymas & gemitus cordis non aspernatur convictus DEI. Insuper illud tibi mente non excidat, quòd cum simplicibus sermocinatio eius. apage duplici corde.

3tio *Similitudo morum* conversationem dulcorat, ut etiam omne animal diligit simile sibi. Ergo dū fueris in cælo, cælesti viuito more: eluceat in vita & moribus tuis qnidpiam cæleste. 4. Hinc etiam *age, quod cælestes incolas agere vides,* cum quibus sanctè converfaris. Cum Angelorum choris ibi canere assuesce Divinas laudes: cum 24. Senioribus occine: *Dignus est Agnus, &c.* cum 4. Sanctis animantibus: *Salus DEO nostro & Agno:* cum cælesti Virginum choro sequere Agnum quocunqae ierit: accumbe Cælitum mensæ, ad quam transiens Christus ministrat: inebriare ab ubertate domus *DEI*, intra in gaudium Domini tui. 5. cum aliquibus Sanctis maiorem familiaritatem contrahe potentibus inprimis ac tuis Patronis, quos tibi obsequijs obstringe.

4. Anima magis est, ubi amat. Amemus & nos cælum ac DEVM cæli, erit nobis amabilis continua conversatio cælestis. facilè mens in cælis defigetur, si recolamus, quám magna multitudo dulcedinis diligentibus DEVM; quàm ingens gloria possessionis eius, quantum bonum sit (ut pulchré exaggerat Gregorius) *cum beatissimis Spiritibus gloriæ Conditoris assistere, incircumscriptum lumen videre, in-*

corruptionis perpetuæ munere lætari, nullo mortis metu affici. Porrò hæc conuersatio in cælis tum alias est cuiq; perutilis, tum necessaria tempore tribulationis, & tunc dicendum: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet avxilium mihi.* Item in terrenorum lenocinio cælum ascende; ne pro friuolis amittantur perennia, sed dicas: Nemo dat guttam pro immenso flumine, quod lætificat ciuitatem DEI: nemo obolum velit pro locuplete gaza: dulcis oblectatio; dulcior in cælo & in se DEVS præ cunctis dulcior, præ omnibus amabilior.

5. Ergo cæleste pulsa ostium, illudq; ingredere: circumeas totam cæli ditionem, ibi fixa sint cordis vota, ubi vera sunt gaudia: ibi, quidquid gaudiorum, spectaculorum, coronarum, mansionũ, incolarum ac felicitatis est, curiosiùs intuere, nihil te lateat. Ab imis Divorum Palatijs sensim progredere ad Seraphinos, ad thronum Reginæ cælestis & ad thronum usque DEI, non sine admiratione & extasi singula domicilia, solium cælestis gloriæ, Cælitum præmia & insignia circumspiciendo, non sine gaudio & congratulatione, cum desiderio beati commercij & communionis Sanctorum, cum deploratione tui exilij: *Quamdiu exul, quando Patriæ civis ero!* quis me liberabit de corpore mortis huius?

6. Cælum tecum circumfer, & quod in cælis fieri videbis, hoc præsta in terris. Ibi visio Dei, huic in terra correspondeat fides & memoria præsentis DEI ubique, ac oculus cælestibus, non terrenis intentus. Ibi laus & gratiarum actio; & hæc possunt ac debent in terris etiam exerceri, monẽte Paulo: *In omnibus gratias agentes DEO;* & Dauide præeunte: *semper laus ejus in ore meo.* Ibi lætitia sempiterna de DEO; & hanc in terra haberi posse docuit

cuit Propheta qui dixit: *Ego verò in Domino gaudebo, & exultabo in DEO JESV meo.* Ibi summa pax; & hîc curāda enixè pax cū proximo & tranquillitas conscientiæ. Ibi amor beatificus; etiam hîc amor ardeat. Ibi Angeli videntes faciem Patris, tamen ministrant & custodiunt homines; & tu ad infima te demitte, ac zela pro animabus, & cum Angelis earum salutem promoue.

§ XLII.

Mendicatio cælestis.

Ego autem mendicus & pauper sum Psal: 39.

P. Antonius Valentinus docuit Illustrissimam Barbaram Borromæam mendicare quotidie apud Cælites: fecit illa id magno sensu & fructu, sistens se ut inopem coram B. virgine, coram Sanctis Novi & Veteris testamenti, coram Christi vulneribus. Et tu fac similiter.

2. Augustinus ait: *Mendici sumus, ante ianuam magni Patrisfamilias stamus & posternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere; & ipsum aliquid est DEVS ipse.* Ex quibus verbis Augustini patet, quid cælestis hic mendicus rogare debeat; nempe illud Aliquid: quamvis insuper supplicare liceat de æternis ac temporalibus; pro te & alijs, viuis & defunctis; pro iustis & peccatoribus, pro amicis & inimicis, pro afflictis, pro Ecclesia, pro regnis & communitatibus, pro agonizantibus: pro gratijs efficacibus tibi alijsque. Dauid inquit de se: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini Psal: 26.* Et Christus ait: *Pater cælestis dabit spiritum bonum petentibus se.* En materia mendican-

 dicum

di cum ſeptem donis & 12 fructibus ejuſdem Spiritûs Sancti enumeratis à S. Paulo; & cum alijs virtutibus, ac ut induamur virtute ex alto, ad ferenda adverſa, ad vincenda ardua ac tentationes &c.

3. Irrumpe igitur in civitatem illam cæleſtem (ut docet Bernardus) circumi cæleſtes illas manſiones per omnes cælorum plateas, viſitando, ſalutando, ſupplicando, ut ſuperni illi Conviuæ immittant micam in os latrantis catelli. Vide autem, ne ullum prætereas ex Beatis cæli Civibus, cui non ſupplices. Nam (ut inquit Gregorius) *rogari volunt*; & quærunt ut quærantur. Ordo tamen tenendus incipiens à noviſſimis ad primos; à ſingulis poſtulando id, in quo ſunt divites; ut à Virginum cætu donum puritatis: à Martyribus donum tolerantiæ, fortitudinis & charitatis in DEVM; & ſic de cæteris. Aliquos etiam tibi familiares Sanctos unà cum Angelo Cuſtode adhibe; qui tibi oſtendant Palatium Reginæ cæleſtis, ubi cum Guerrico Abbate ſic illi ſupplica proſtratus: *Mater miſericordiæ, ſaturare gloriâ Filij tui, & dimittas reliquias parvulis tuis: tu ad menſam Domina, nos ſub menſa catelli.*

4. Adhuc quoad modum mendicandi imitare pauperes: oſtendantur vulnera, exaggeretur infirmitas & ſpiritualis cæcitas: inſuper tituli obteſtationum afferantur, poſtulando per mortem Chriſti, per Sanctorum merita, per quidquid orari velint, & efficaciùs poſſint &c. Item conſtanter, perſeueranter pulſandum orandumque. ſi enim ille in Evangelio Paterfamilias ob improbitatem rogantis de nocte tres panes dedit illi; quantò magis Pater cæleſtis? Non liceat hîc dicere: *mendicare erubeſco.* Si illud: *Beati ſpiritu pauperes,* ex Græco textu vertitur ſic: *Beati mendicantes ſpiritu;* etiam mẽdicatio hæc noſtra ad hanc ſpectabit beatitudinẽ.

§ XLIII.

§ XLIII.

Prælibatio cæli in terris.

Guſtate & videte. Pſal: 33.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te! Pſal: 30.

1. GVſtus cæli haberi vix poteſt, niſi amiſſo guſtu terræ. *Sed quid tibi vis in aqua Ægypti, ut bibas aquam turbidam?* quærit Ieremias *c.* 2. Turbidum eſt & ſentina, quo terra & Ægyptus potat. *Melior eſt racemus Ephraim vindemijs Abiezer.* Melior gutta cæleſtis dulcedinis Oceano terrenæ ſuavitatis: plus ſtilla, quàm hoc mare. vnde Richardus ait: *Quod totius mundi copia non ſatiat,* Divinæ *dulcedinis gutta plenè inebriat.*

2. Fit quidem hæc cæli prægustatio tum in SS. Euchariſtiæ uſu, quæ eſt pignus futuræ gloriæ; tum in ſervitio Deiparæ, cùm Gregorius XV. in literis ad Margaretam Regis Catholici amitam datis ſcripſerit: *Angelicis choris intereſſe. & Beatorum gaudia in terris antecapere videtur, qui mortalium rerum contagione ſecretus, ſeipſum B. Virgini devovit;* Tum in contemplatione Cæleſtium: tum in tribulationibus, in in quibus Paulus ſe dicebat *ſuperabundare gaudio,* planè ac ſi tunc iam acciperet menſuram ſuperēffluentem, quæ in cælo datur: tum in pace conſcientiæ, quæ Ieruſalem cæleſtem effingit, cui nomen inditum ſignificat viſionem Pacis: Nihilominus aliter cælum prægustare licet. *Guſtate & videte* quā ſuavis eſt Dominus &c.

4. Quare ut monet Auguſtinus, *immergere illi pelago gaudiorum,* replere & fruere; ac pulchritudini, dulcedini totique eſſentiæ Diuinæ intentus

cum

cum Beatis inhære, cum sensu quodam amoris & gaudij beatifici manantis ex visione beata in singulos Cælites pro varietate meritorum & luminis gloriæ; gaudēdo de singulis attributis, admirādo & laudando cum Cælitibus, adorando cum 24. Senioribus, assistendo cum septem illis Spiritibus ante thronum DEI, inardescendo cum Seraphinis, thronum gloriæ Divinæ sustentando cum Cherubinis (*qui sedes super Cherubim: Sub quo curvantur, qui portant orbem.*) Item appretiando, extollendo, congaudendo. Adhæc ex visione DEI Hominis in similes affectus prorumpe; similiter B. Virginis, & Sanctorum, eorumque gloriæ pro diversitate meritorum distinctæ applaude: ad eandem anhela, aspira, admitti postula: ibi cor defige, ut etiam in te verum sit illud Platonis dictum: *Anima moritur ubi est, vivit ubi non est.* Item Beatorum glorias accidentales, laureolas Martyrum, Doctorum, Virginum: item loci amænitatem & lucem, ubi *lucerna est Agnus*: pretium murorum, iubilum cæleste, & quidquid inibi delectabile ultra cogitationem hominis, avidè considera, arripe, fruere, quantum potes, quantum datur.

4. Gaudium etiam cæleste quasi experimentaliter deliba, de quo tum *Isa: 66. Creo Jerusalem Exultationem, & Populum ejus Gaudium*; tum in Evangelio, ubi dicitur, Intra in gaudium Domini tui; seu quo DEVS fruitur estque beatus; Tum Vincentius Belluacensis luculenter illud describens ait: *ubiq; erit gaudium, gaudium supra, gaudium infra, gaudium circa, gaudium extra: supra de visione DEI; intra de glorificatione: infra, de inferni evasione; circa, de Sanctorum associatione; extra, de mundi renovatione.* Huic ergo gaudio immergere, ut degustatis delicijs Beatorum, fastidias siliquas porcorum. Ubi etiam

cogita,

cogita, quòd ita contentos reddant Beatos cæleſtes deliciæ, ut terrenas nihil reputent, nec cogitatione dignandas iudicent, imò illas reſpectu cæleſtium eſſe veluti cruciatus. Hoc ergo animæ ſenſu cæleſtes has deliba, ut & tu cum *S.* IGNATIO dicas: *Sordet terra, dum cælum aſpicio.*

§ XLIV.

Pactum cum cælo.

Pactum ſempiternum erit eis Ezech: 57.

1. SI mali pangunt fædus cum inferno iuxta illud Iſaiæ: *cum inferno fecimus pactum*; quidni tu cum cælo illud ineas? Gens item cum gente pangit fædera; tu quidni cum gente ſancta, populo DEI, populo acquiſitionis? magnum eſt ac perutile habere fæderatum ſibi cælum. Quò potentior Natio, cum qua feritur pactum, eò ſalubrius. Et hæc cauſa populo DEI fuit ſanciendi fædera cum Romanis; dicit enim Sacer textus: *Et audivit Iudas nomen Romanorum, quia ſunt potentes viribus, & acquieſcunt ad omnia, quæ poſtulantur ab eis:* & audierũt prælia eorum & virtutes bonas, & quia poſſederunt omnem locum conſilio ſuo, & patientiâ, & cæteri dant eis tributum omnibus annis. Vide an hæ cauſæ potiori iure in cælum non cadant, ut & tu ijs ad fædus cæleſte moveare.

2. Pactum videtur feciſſe cum cælo Rex *David* per illa verba & formulam paciſcendi: *Adhæreat lingua faucibus meis, ſi non meminero tui, ſi non propoſuero Jeruſalem in principio lætitiæ meæ:* Etſi enim ibi videatur loqui de Ieruſalem terreſtri, nil tamen impedit, ut etiam de cæleſti intelligatur, maximè

ximè cum alibi in eam totis votis feratur, eiusq; meminerit quasi ex pacto. Imò nullus est in cælo, qui non fecerit pactum cum cælo. nam finis pacti est pax & amicitia cum eo, cum quo paciscimur. at cui pax cum cælo non intercedit, sed inimicitiæ æternæ, excluditur à cælo. Ergo & legationem mitte, *& roga ea, quæ pacis sunt*, pactum ini. Dum non est pacatum cælum âëreum; tonat, fulminat, grandinat, diluvio inundat: ut pacatum tibi sit cælum, pactum faciet.

3. De Pactis tria præcipuè hic tibi revoco, *Primò* Pactum esse vel explicitum, vel implicitum. Hic etsi ad expressum etiam ac explicitum à me urgearis; tamen & implicitum svadeo, ex quasi operantur tum illi, de quibus Paulus: Diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum: tum illi, qui agunt talia, per quæ pax & amicitia cum cælo initur, etsi non adsit expressa intentio amicitiæ, sed virtualis vel interpretativa. *Secundò* In omni promissione, proinde & in pacto semper intervenit, Si; seu aliquæ conditiones, ut etiam Iacob paciscens cum DEO: *si Dominus dederit mihi panem ad moanducandum, & vestimentum quo operiar, erit mihi Dominus in DEVM*, & sic de alijs. Item aliæ conditiones utrinque; quas & hîc tibi licet adijcere. *Tertiò* Pacta vel sunt æterna, vel ad tempus, seu induciæ & armistitium non perpetuum. Sed malè; quando cum cælo non sunt æterna pacta & amicitia, at aliquando tandem contra illud arma & odia resumuntur. Time alia pacta & horre; æterna ineas, ne æternùm pereas.

4. *Pactum in hac re consistet.* Ex parte tua pange amicitiam cum cælo æternam, quam utique cælum libentissimè vult tecum colere: *Pro* cælo te acturum, eiusque ditionibus dilatandis tuendisq; :

Item quod

Item quod Populus cæli, erit populus tuus: hostes cæli, hostes tui; *Item te* cælo non repugnaturum, sed cum Iuda Machabæo dicturum: *sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* Potest etiam pactum institui, ut cum Romanis gens Iudæorum inijt, quod habetur 1. *Mach:* 85. Sic enim illi: *si insliterit bellum Romanis aut Socijs eorum* in omni dominatione eorum; *auxilium feret* gens Iudæorum corde pleno, & custodiet mandata eorum, nihil ab eis accipiendo. *Similiter si* genti Iudæorum prius acciderit bellum, adjuuabunt Romani ex animo. *Illud etiam deduces in pactum*, ut ejus civitatis cælestis tibi concedatur (*quasi indigenatus*) ex parte cæli, ut tibi vicissim suppetias ferat, tecum arma societ, quoties indigueris.

5. Apud Veteres firmari pacta solebant solentque etiamnum iuramentis. In tabulis æneis Romani descripserunt initæ amicitiæ leges cum Machabæis. *Tu pactum tuum* subscribes Sanguine Christi, quo sanguine Theodorus Pontifex contra Pyrrhum Patriarcham Constantinopoleos scripsisse fertur decretum, in calice consecrato calamum intingens. *Item pacta tua* sint jurata pænè instar Davidis: Iuravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ. *Sint sigillata* signaculis septem, id est firmiter in animo roborata. *Adhæc munus* Romanis missum est, Clypeus auri pondo mille, dum fædera cum illis & amicitia sanciretur 1. *Mach:* 14. Etiam è terris mittenda numera ad fæderatam cæli civitatem, quotidie aliquod meritorum augmentum & virtutum exercitium, nec non lucra animarum procurando.

XLV.

Dotes corporis gloriosæ

In animum viatoris translatæ.

Sicut in cælo & in terra. Matth: 6.

1. ESto beatus, antequam Beatus. Sicut in animo licet cæleſtia prælibare gaudia, ita glorioſas præferre dotes, quas etiam ſatius nunc eſt animo imprimere moraliter, quàm corpori glorioſè: prout etiam Chryſoſtomus, *elegit pro Chriſto malis affici, quàm à Chriſto honorari.*

2. Quod *nunc corpus animale, ſurget corpus ſpirituale*, inquit Paulus. Si corpori quædam perfectiones & proprietates ſpiritualium rerum poſtea cō̃cedentur; & Chriſti Corpori modus exiſtendi proprius ſpiritui tribuitur in SS. Euchariſtia, ubi totum eſt Corpus in tota hoſtia, & totum in qualibet hoſtiæ parte; adeoquè exiſtit in loco diviſibili indiviſibiliter; cur non etiam perfectiones Beati Corporis in animum viator transferat, ſi aliquid inde ornamenti animæ accedat? accedet autem, ſi quod corpori decus tunc inerit modo corporeo & ſenſibili, animo nunc miſticè imprimatur.

3. Quinq; ergo beati corporis dotes in animũ & mores transferendæ.

I. Prima Agilitas per alacritatem & promptitudinem tum ad obſequium DEI & animarum, tum ad ſuperiorum imperia. *Ite Angeli veloces:* neſciat tarda molimina impetus gratiæ ac virtutis. Chriſtus ſit idea & calcar, qui, teſte Franciſco Suarez, *in primo inſtanti conceptionis ſuæ voto ſe obſtrinxit ad redemptionem generis humani,* nec voluit *priùs videre lucem, quàm obedientiam:* ideo nomen illi inditum, *Accelera, Feſtina. Iſa: 4.*

II. Nec claritas magis corpus Beati, quàm animam tuam illuſtret; illa inquam claritas, quæ cum operibus tenebrarum nihil habeat commercij. Sit

oculus

oculus lucerna fulgoris, quo significatur puritas & perfectio intentionis: sit claritas in opere, sic luceat lux vestra, ut glorificent DEum, qui vident: Sit claritas & in nocte, & nox sit illuminatio; id est, etiam in aduersis & quodam nubilo mens fulguret, & iustitias quasi lumen accendat. Imitare *DEUM, qui lux est, & tenebræ in eo nullæ.*

III. Impatibilitatem corporis imitetur animus, quoad frenum & dominium passionum, quoad sensum sine malo consensu, quoad tolerantiam adversorum, contra qua sis ut Marpesia cautes contra fluctus, illæsâ animi serenitate in quavis fortuna, sub quovis ictu.

IV. Immortalis quidem per se anima, tamen adhuc immortalitatem corporis etiam in se exprimat. De corpore tunc dicetur: *mors illi ultra non dominabitur.* At peccatum est mors animæ, vel dispositio ad mortem; ergo non regnet peccatum in mortali corpore, non dominetur animo peccatum; sic enim, ut olim corpori, ita nunc animæ mors non dominabitur deterior corporali. Huc spectat si opereris semper meritoria vitæ æternæ, & impeccabilitatem moralem superiùs expositam procures, quæ quædam est mystica animæ immortalitas. Denique sicut tunc corpori mors non timebitur, ita nunc mortis metus ab animo, per supra dicta de mortis laudibus, exulet.

V. Subtilitas corporum in anima Viatoris exprimetur per adinventiones DEO serviendi ingeniosas; vel si cedat animi durities & mala obstinatio: item si in usu frequenti sit illa penetratio, quâ oratio humiliantis se penetrat cælos. &c.

§. XLVI.

Raptus in cælum.

Raptus in tertium cælum. 2. Cor: 12.

1. NOn tantùm à violentis rapitur cælum, sed etiam rapit. Cæli inferiores moventur motu raptûs juxta Mathematicos, seu ad motum primi mobilis. Quà & quòcunque rapit cælum, eundum est, & motu supercælesti in via salutis gradiendum. Datur quidem etiam terræ motus, sed hic malignus plerumq; ac perniciosus, & causa ruinarum, estque ex mala quodammodo causa; nam malum est igni esse non in suo loco, sed intra terræ cavernas, ex quibus erumpere volens sic terram concutit. Si ita est; vide, ne tu moueare motu terræ, sed motu cæli, motu raptûs. Cæli motiones ac rationum æternarum ductum sequere, non terrenarum, seu quæ terram sapiant, & lumen cæleste premant.

2 Extasis potest esse citra raptum in cælum; sed sit extasis cum tali raptu, sit raptus extaticus, qui sit velut alienato homine à sensibus seu sensibilibus, & quasi terræ terrenisq; superstando, infra te proculcando omnia sublunaria, mente defixâ in cælis. Sit hîc in terris corpus, in cælis animus, ut anima solet ibi magis esse, ubi amat, quàm ubi animat. Fiet id, si thesaurum & divitias *tuas* in DEO ac cælo reponas; sic enim ubi thesaurus tuus fuerit, ibi & cor erit.

3. Raptus in tertium cælum Paulus. Parum est, supra terras aliquantum elevari; nec satis in primum vel secundum cælum rapi; non ibi est beatitudo. Cælum aliud aëreum, aliud æthereum, tertium est Empyreum; in primo volucres cæli, in secundo stellæ & planetæ; in tertio sunt Beati. Ergo illuc

go illuc rapiare; cum Beatis est ultima felicitas tua: *quid tibi cum volucribus cæli, vel cum luce siderum, qui potes versari in splendoribus Sanctorum?* Sed tamen rapiare in cælum etiam aëreum; & ibi mira Divinæ potentiæ effecta, tonitrua, fulgura, fulmina, grandinis & pluviæ officinam videbis. Rapiare & in cælum æthereum; ibi stellæ se offerent à stellis differentes in claritate; ibi motus planetarum diversos, & intelligentias cælis affixas intuens habebis, quod discas, & ad amorem Creatoris accendare. Sed tandem in tertium raptu conscende cælum, ubi vide, audi, gusta. Vide singula, quæ in DEO mens fide instructa potest concipere, quæ in Christi Humanitate gloriosa, quæ in gloria B. Virginis, & Sanctorum, quæ in cogitationibus & affectibus Angelicis per æternitatem, quæ in accidentalibus Sanctorum præmijs diversitas, quæ in essentialibus: vide amictum gloriæ, & quod oculus non vidit. Paulus illuc raptus audivit arcana verba; & tu *audi canticum novum, carmen DEO nostro;* audi Cytharædos cælestes canentes suaviter in Cytharis suis, audi carmen triumphale victorum, audi *canticum Virginum, quod nemo alius cantat;* audi laudes Beatorum, quas à Christo audiunt iuxta illud: *Et tunc laus erit unicuiq; à DEO. Gusta* item nectar cæleste, quo inebriantur Beati ab ubertate domus DEI. Rapient tibi hæc omnia & plura alia cor à terrenis avellent, erisque columba non habens cor in terris, cuius cor fixum in cælis: *gemes hic ut peregrinus, ut gaudeas ibi Civis.*

§. XLVII.

Nausea terrenorum.

Nauseat anima nostra super cibo hoc levissimo.
Num: 21.

Sordet terra, dum cælum aspicio. S. Ignatius Loyola.

1. NAuseabant Israëlitæ super manna, etsi habuerit in se omne delectamentum: quam ergo justiùs nauseam moveat bonum carens omni delectabilitate, quale est terrenum? *nam cibus tantùm est cibus*, & non vestimentum, caret ergo delectabilitate vestimenti, & sic de alijs. Imò quale mihi bonum est quidvis terrenum? *Bonum est* ex integra causa; at terrena ô qualem habent misturam malorum? *Bonum tantùm* deberet esse bonum; at pleraque bona terrena cùm malum effectum operentur, & occasionaliter hominem malum reddant aut imperfectum; bona hæc, etiam mala erunt. *Quale mihi* bonum, quod est ut muscipula & laqueus, sedet in insidijs sub obtentu dulcedinis venenum gerentis? *Ad hæc bonum est* voluntati appetibile; sed voluntas spiritualis est, bona terrena sensibilia improportionata illi, adeoquè illius appetitum implere non poterunt: unde etiam *voluptas bonum pecoris* à Seneca dicitur, non verò spiritûs vel animæ spiritualis. Insuper *corporales deliciæ* (ut ait Gregorius) *etsi cùm non habentur, desiderium sui accendant*; tamen ijs fruentem protinus in fastidium per satietatem adducunt, & *in illis appetitus vilis saturitatem, saturitas fastidium parit*. ut mittam, quòd bona terrena communia sint damnatis; & quòd cùm temporalia sint, ad animum immortalem satiandum non sint accommodata. Denique qualia mihi terrena bona, quæ Apostolus plenus Spiritu Sancto arbitratur ut sterquilinium & spurcitias abominandas? Et Nazianzenus de ijsdem ait: *Omnia humana merus metus, risus fluctus, fumus, volatus.* Et S. Cæcilia inquit: *Damus lutum* (id est, terrena) *& accipimus aurum*; id est cælum.

2. Ab-

2. *Abstractionem à materia* scholæ docent. Etiam schola spiritûs docet cor à materialibus & fluxis abstrahere. Nempe amor Divinus igneus est, inditqué animo calorem; at *calor disgregat heterogenea, congregat homogenea.* Bona fluxa, & desitura sunt naturæ diversæ ab anima non desitura, sed immortali; bona sensibilia ab anima incorporea & insensibili; Quidni ergo ab ijs animæ fiat disgregatio, separatio, & abstractio? At verò cum DEO, in cuius similitudinem factus est homo, estqué per gratiam factus particeps naturæ Divinæ, intervenit homini quiddam homogeneum; huic ergo adhærere & agglutinari bonum beatumqué est. Hinc ait Bonaventura: *Amor Divinus est & sequestrativus & unitivus.* Sequestrativus à bonis infimis & perituris; unitivus bono solido, perfectissimo ac æterno, quo beantur Angeli, & ipse DEVS.

3. Origenes inducit S. Magdalenam sic loquentem: *Creatorem quæro, & ideo fastidio mihi est omnis creatura.* Quære & tu Creatorem, & super creatura pariter nauseabis. Nempe maius, imò maximum bonum quærenti sperantique, minus aliud contemptum odiumq; sui creat; & (quod ait S. Laurentius Iustinianus) *capacem DEI, quidquid DEO minus est, non implebit. Solum & Omne Bonum* cor & voluntatem satiare potest; sed hoc *omne bonum* solus est DEUS, qui dixit Moysi de seipso: *Ego ostendam tibi omne bonum:* unum, in quo omnia: unum, à quo omnia, sed illo omnia minora: *unum & omnia, unum super omnia.* Præterea terrena animam beare nequeunt; nam (ut rectè censuit Augustinus) *anima inclinatione ad infima, fit misera; conversatione ad Summum, beatè vivit.* Terram diligis? terra es. DEUM diligis? quid dicam? DEUS es. Deniq; semper expleat appetitum animæ, quod explere potest:

test:

teſt: at *ſolus DEUS explet ſemper*, quia ſolus eſt bonum *æternum*; non item creatura defectibilis. Sanè voluntas careret obiecto ſuo, ſi æternùm permanens deſtitueretur à caducis bonis.

4. Ergo *omne, quod in mundo fluxum eſt, amore æternitatis calcetur*, ut monet Cyprianus. Et de quadam anima dictum: *ſprevit agros, habitura polos.* Monet & Ambroſius: *noli eſſe alligatus terrenis, eſto filius tonitrui:* tremat te terra, non capiat. Monet adhuc graviter Auguſtinus: *Amorem fluentem in cloacam, converte in hortum.* Monet graviſſimè GREGORIUS: *Nihil nos delectet in infimis, qui Patrem habemus in cælis.*

§. XLVIII.

Cælum venale.

Ite ad vendentes, & emite vobis. Matth.

1. DE Roma veteri dictum, quòd eſſet venalis, ſi emptorem haberet; quod non ſine probro de illa dictum à Iugurtha taxante Civium avaritiam. Sed cælum id ſibi probro non ducit. Dives illud eſt, & nullo eget; adhuc tamen venale eſt, & vult ſuis divitijs beatum facere emptorem. Felix, qui venalē hanc Civitatem tam pulchram, tam opulentam; qui regnum hoc regnorum maximum ac æternùm emit & æternùm hereditat. At alij malunt Avernum & Pluti regiam emere.

2. Fatuæ illæ Virgines vel ideò fatuæ, quòd non citò emerent Cælum: diſtulerunt emere, & aditu Cæli ſunt excluſæ. Ite ergo citiùs ad vendentes, & emite vobis, quicunq; meliùs ſapitis. At qui hi vendentes? vendit Cælum Dominus Cæli, Regnatrix Cæli Virgo Mater, Beati Cæli Incolæ eiuſdem hæredes. Hos in vita cælo digna tibi obſtringe; & cælum emes.

3. Pro-

3. Pretium, quo Cælum eſt venale, varium. Aliqui parvo emunt, quibus etiam dicitur: Emite abſq; argento, imò pro nihilo aliqui emunt juxta illud: Pro nihilo ſalvos facies illos: Aliqui magno pretio emunt Cælum, ut ille negotiator Margaritæ, pro qua dedit omnia ſua, & emit eam. Sic emerunt cælum Martyres, ſic magni Heroës & victores ſuî ac mundi. Aliqui diuturno labore. Nam Dij (ut dicitur) laboribus omnia vendunt, proinde & cælum. alij breviori tempore, ut qui ſerò converſi ad DEUM; vel qui minus vitæ ſpatium DEI cultui & virtutum exercitijs impendunt. Omnibus tamen commune pretium eſt, quo cælum emitur *Primò* Fides & bona opera, in quibus tamen cavendum, ne ſit falſa moneta & virtus putatitia. *Secundò*. Nummus eſt tolerantia adverſorum, & cruces. *Tertiò* Nummum triticeum vocat Lorinus SS. Euchariſtiam, quam qui manducat, vivet in æternum. Item alia Sacramenta. Aliqui tamen præter commune pretium, ſpeciale aliud offerunt pro cælo. Sic Martyres, ſic Religioſi, ſic Heroicorum operum conſcij & victores ſuî violenti, ſic pro inimicis cum S. Stephano orantes, qui etiam dicant. Ecce video cælos apertos: ſic excellentis Sanctitatis ſectatores: ſic viri Apoſtolici, qui etiam alijs Cælum venale faciunt. Tu etiam, quamdiu mercatus durat, foro utere, & venale Cælum etiam per ardua compara.

Ad Conſiderationes Cæli ſpectat tum materia illa, *Cælum ſine Purgatorio*, ſed de hoc ſuprà §. 34. tum illa: *Iter Cæleſte*. Ubi occurrent tum illud: Non eſt è terris mollis ad aſtra via: tum illud Auguſtini: Non aſcendit illuc ſuperbia, nullum vitium, &c. Sed in libello inſcripto, Nova omnia de his.

§. XLIX.

Conclusiones.

Ex præmissis hactenus.

Ergo dum tempus habemus, operemur bonum. Gal: 6.
Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Rom: 8.

1. CVm Finis meus, ad quem sum conditus, sit DEUS Deiq; gloria, DEI cultus & servitium, deniq; salus animæ meæ; quid alia mihi vanissima & vilissima pro fine statuam? cui thesaurus ex omnibus gazis conflatus offertur; an ille potiùs ad bracteam plumbi, vel atomum æris aspiret? Nihil mihi deinceps carius fine meo; quia nihil mihi carius esse debet Deo meo, & salute animæ meæ.

2. Par est, ut nihil sic oderis, sicut peccatum, quia nihil deterius & abominabilius, quàm peccatum. Ignis, crux, confractio ossium & omnia tormenta irruant; si absque macula es ante thronum & conspectum DEI, beatus es; nam etiam in hisce malis Beati immaculati in via. Si te reprehendit cor tuum, si macula est in te; miser es & miserabilis, quia DEO odibilis.

3 Quid noxam venialem ut leve quid reputes, quæ etiam Christo tam fuit sub Cruce gravis? Impius esset filius, paterni sangvinis effusor; sed peccata etiam levia Sangvine Christi pro peccatis mortui delentur, qui universaliter à Paulo dicitur mortuus propter delicta nostra, & sangvis eius emundat nos ab omni peccato, ut ait S. Ioannes *ep. 1. c. 1.*

4. Semper tuæ menti inhæreant verba illa, quæ Christus Dominus Patri Ortelio nostræ Societatis svasit animo sæpius revolvere: *Breve, & Æternum.* ô brevitas terrenorum, quantùm prævales

æter-

æternitatis ! at apud insipiẽtes. ô æternitas duplex, infelix, & beata ! beata Iustorum, infelix damnatorum ! Non vis hîc ô Homo, ad horam esse infelix, & velis esse infelix in æternum ?

5. Cogita ut per orbem à tot hominibus in horas & momenta pænè DEUS offendatur ! quantus & quàm in te ac omnes beneficus ! Planè in meta est, ad quem peccatores intenderunt arcum, ut sagittent cor optimi Parentis, illudque graviter & ingratè consaucient ! Nunquid tu non parces cordi in te effusissimè benefico ? non illi hoc solatij dabis, quòd alijs ingratis filijs ad illum collimantibus, tu parcas ? Parce DEO, parce & conscientiæ.

6. Quis iniret viam, quam ad locum latrocinijs infestum nosset deducere ? quis navem illuc velis remisque ageret, ubi certum illi sciret naufragium imminere ? quis sitim restingvere vellet poculo venenato ? aut ponere actionem, ob quam statim in rotam ageretur, vel in ergastulum plenum draconibus & præacutis falcibus ? Et tamen qui peccat, longè graviora eligit supplicia, seu infernum cogitet, seu Purgatorium, quod omnes terræ & Martyrum cruciatus superat ex sententia Sanctorum Patrum.

7. Quid magnum à te exigit DEUS, dum vult ut eum diligas ex toto corde ? vult ut illum præferas bono commutabili & peccato, rei utique tam abominandæ. Magnam scilicet rem præstas, quòd tantæ vilitati ac fæditati (qualis est in quovis peccato) *DEUM pulchritudinem illam novam & antiquam* præferas ! imò ô quantam DEO irrogas injuriam, *dum peccatum DEO præhabes, quasi diceres blasphemè : Melior mihi potiorq́; cloaca fætidissima, quàm DEUS ; melior mihi dæmon, quem sequor, quàm IESUS, à quo recedo.* Non hunc, sed Barabbam & tu eligis !

8. Ex

8. Ex dictis insuper te in Scholam bonæ mortis inscribe: Continuum in vita Purgatorium elige: aspira practicè ad novissima Iustorum: Et quamvis mentaliter debeat esse infernus domus tua; tamen simul sit tua conversatio in cælis, sicquè conjunge infernum cum cælo; replica te, ac simul in cælo & in inferno sit tua mens; in hoc,ut timeas & vites; in illo, ut quæras & regnes. Item fœdera cum cælo, conspirationem contra propriam voluntatem frequenter innova & robora, ac Heros dignus DEO cæloque esse procura.



FAX ASCETICA AD VIAM ILLVMINATIVAM.

Hic vita & mors Chriſti, & alia quærendæ perfectionis documenta proferentur.

PARS PRIMA
Ad Viam Illuminativam pertinens.

§. I.

Academia Virtutis
Seu
Salutaris Encyclopœdia, VITA CHRISTI.

Unus eſt Magiſter veſter Chriſtus. Matth. 23.

1. PRimus *diſcendi ardor, nobilitas eſt Magiſtri,* ait Ambroſius; ſed quid nobilius DEI Filio & MARIÆ? Hunc Magiſtrum DEUS olim pollicitus: *Et non faciam ultra à te avolare Doctorem tuum.* non avolabit, quia ad Crucem affixus eſt. Hæc eſt illius cathedra, etſi ubique cathedram fixit, ubi verbo vel facto docuit, adeoque & uterus Virginis & præſepe ſtabuli cathedra, & tota vita illius doctrina fuit. Hic eſt de quo Propheta: *Qui docet hominem ſcientiam.* Hic ille eſt Profeſſor, quem Pater Æternus commendat illis verbis: *Ipſum audite.* Hic, ſuper cuius prudentia & reſponſis ſtu-

pebant *Doctores*: hic, de quo illud: *Nunquam sic locutus est homo.*

2. In *Discipulis* quidem vix habet delectum hic Magister, nam omnes invitat: *Venite ad me omnes;* sed tamen aliqua requirit ab ijs, qui velint eius esse *Discipuli*. *Primò*, ubi dicitur, quòd sapientia ædificávit sibi domum velut gymnasium, misit servos suos convocans ad arcem: & insipientibus locuta est, *Venite*. Ergo stultus fiat, ut sit sapiens, qui vult esse Discipulus Christi, de quo infra §. XXII. *Secundò* Mitis esto, ut proficias & doctrinam huius Professoris capias; nam dictum est: *docebit mites vias suas*. *Tertiò* Charitas inter discipulos Christi requiritur clarè illis verbis: *In hoc cognoscent, quòd discipuli mei sitis*, si dilectionem habueritis ad invicem. *Quartò*. *S.* Ignatius Martyr pro Christo mortem subiturus dicebat. *Nunc incipio Christi esse discipulus.* non ergo delicatos, sed fortes in bello, & ad dura quæque toleranda paratos requirit Schola Christi. *Quintò*. Sit quisque talis in hac Schola de quo dicatur: *Discipulus, quem diligebat IESUS*. *Sextò Qui non odit patrem & matrem, & qui non baiulat crucem suam post me*, non potest meus esse Discipulus.

3. Novam ergo universitatem aperit seu omnigenæ virtutis gymnasia Verbum Incarnatum, Dominus scientiarum dictus, Doctor justitiæ, qui cœpit facere & docere: cæpit ipse; nam per alios, nondum docere desijt. Omnia docet, & de illo etiam potest debetque dici: *Docebit vos omnem veritatem*; nam etsi id de Spiritu sancto dicatur, tamen de eodem Spiritu dictum: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Gradus seu promotio in hac Academia est *de virtute ad virtutem*, donec videatur DEUS Deorum in *Sion*. Profectus discipulorum

enim

eniti debet ad similitudinem Christi, qui dixit: *sufficit discipulo, ut sit sicut Magister eius*: Exemplum vobis dedi, ut sicut &c. Eniti debet ad similitudinem DEI juxta illud: *Estote perfecti* sicut & Pater vester cælestis. Laureola Doctorum est illa: Qui fecerit & docuerit, hic *magnus vocabitur in regno cælorum*.

4. Prima hîc Schola est Acuta, admirabilis, subtilis: ubi de Incarnatione Verbi sic exinaniti, de illis miris antithesibus instruimur, quòd immortalis prò nobis fiat mortalis, æternus in tempore nascatur, immensus arctetur in corpusculo, & panis transubstantiati fragmento; *virtus* in infantulo *quasi nil operatur, Sapientia nil loquitur, Maiestas illa nullo signo proditur*, ut ait Guerricus Abbas. Eòdem spectant illæ subtilitates. *Qui amat animam suam, perdet eam*: Qui vestrum *maior* est, *fiat sicut minor*. quæ & plura alia vide sub titulo, Paradoxa Evangelica §. XV.

5. Latissima hîc est Schola Amoris: complectitur DEUM, & omnes propter DEUM, etiam inimicum. Nam Incarnatum Verbum delicium generis humani, nimiâ charitate suâ & ad se redamandum accendit, & mandatum novum dat nobis, ut diligamus invicem, sicut dilexit nos; & insuper mandat: Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui vos persequuntur. Denique in hac Schola perfectionem exigit: *Diliges ex toto*. & Petro dicit: *Diligis me plus his*, id est plus quàm aliam rem quamcunque extra me; seu, ut ait Bernardus, *plus quàm tua, plus quàm tuos, plus quàm te*.

6. Sunt hîc & aliæ facultates. Humaniorem vivendi rationem docet illa, quæ apparuit Humanitas Salvatoris nostri DEI, ut abnegantes sæcularia desideria, sobriè & justè & piè vivamus in hoc sæ-
culo.

culo. Rhetorica Verbi artem bene dicendi, & rectæ lingvæ usum informat, de quo dicatur: *Et loquebatur rectè*: & orationis studium sine intermissione commendat. Philosophia est pati, & terrena contemnere; Theologiæ apex est esse humilem, scire & diligere IESUM Crucifixum. Nam etiam prima & potissima eius prælectio ac doctrina illa est: *Discite à me, quia mitis sum ac humilis corde.* Reliqua ad hanc Christi Academiam pertinentia sub hac Face sæpius proponentur.

§. II.

Sequela CHRISTI.

Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Ioan: 8.

1. TRahit sua quemq; voluptas, & dicit, *Sequere me.* Non est voluptas, ut est Christus, & ista eiusdem dignatio & tractio tuî ad se: *Venite post me.* Sequere trahentem, ne audias repellentem, *Discedite à me.* Si non sequeris, recedis: at recedentes ab illo in terra scribentur. Dij trahuntur à Iove aureâ catenâ, ut Poëtæ fabulantur; tu traheris Divinâ, & in funiculis Adæ: à Verbo Incarnato in vinculis charitatis. Ergo fac quod illi pollicentur, qui dicunt: *Trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.*

2. *Tu me sequere. Ioan. 21.* Idem pænè est, ac si dicat: Esto alter ego, esto Christus, vel ut Christus. Inter Apostolos quibus dictum, *Vos qui secuti estis me*, erat Paulus Christum antea persecutus, postea secutus: qualem verò Paulum sequela hujusmodi effecit? respondet ipse: *Ego iam non ego*, sed Christus in me vivit, in Christum sum immutatus. Quod si seque-

si sequela Christi sic mysticè immutat in Christum etiam te induit, & cibat eadem, ut Christum Hinc sequela hæc est Purpura regalis & induit tipi ue. stimenta Christi, quæ varij sibi diviserunt inbar. es; aliqui Christi paupertatem maximè im ivtan do, aliqui humilitatem, obedientiam alij & zelum animarum. Eadem sequela estcibus regius & Christum sequi, est vesci regali cibo, quo Rex ipse Christus vesci dignatus est, saturatus opprobrijs & illusionibus. Quare contraria vitæ Christi reputes ut offam vilioris palati, ut centones mendicabulorum, à Creaturis solatia mendicantium.

3. Sequela Christi est propria prædestinatorum ad cælum; *quos prædestinavit conformes fieri imagini Filij sui*, ut loquitur Paulus. Vis signum prædestinationis? Christum in te exprime: *hoc refulgeat in corpore, quod præfulsit in capite*, quod est Christus. Unde dum quis cæli atria pulsat dicitq;, *Domine aperi nobis*; statim consideratur imago animæ pulsantis & dicitur: *Cuius est hæc imago?* si relucet in ea bene Christi effigies, cælum ad se animam illam pertinere non dubitat & admittit; secùs excludit: *Nescio vos*. & grave erit audire à Christo, quod ait Ambrosius: *Non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam.*

4. Sequela hæc facit, ne judiceris, quia Christus est Iudex, qui non judicatur, sed iudicat; at sequela hæc te Christo assimilat, & (ut etiam illud huc transferam) simile non agit in simile. Insu per sequentibus Christum promittitur, *Iudicabitis*; nec illis dicitur, Iudicabimini: *Vos qui secuti estis me*, sedebitis iudicantes 12. tribus Israël. Deque sequela hæc jam in se aliquid præmij gaudiique cælestis præsefert, ubi etiam sequemur Agnum, quocunque ierit.

5. Porro ſequela Chriſti verſabitur non tantùm in comitatu illi præbendo in montem Thabor, ſed in montem Golgothæum Crucis: item circa tria illa pænè à Chriſto olim in terris inſeparabilia, Paupertatem, Cõtemptum ac humiliationem, Dolorem cum prodigioſis patientiæ exemplis: quare illud cogitandum: non eſt ſervus maior domino ſuo. Item ad hanc ſequelam pertinebit imitari, qualem videris Chriſtum erga Patrem æternum, qualem erga ſeipſum & carnem ſuam, (qua de re Bonaventura: *In tantum me dilexiſti Domine, ut te odiſſe Videreris:*) qualem denique erga homines, etiam inimicos &c. &c.

§. III.

Regnum triplex.

Abdicatio: Inauguratio.

Non regnet peccatũ in Veſtro mortali corpore. Rom: 6.
Regnabit in domo Iacob in æternum: Luc: 1.

1. REgem ſequi lubet. ſed quem? nam multi regnum ambiunt animorum. *Mundus dicit: Ego regnabo. ſuperbia ſimiliter Vult dominari tibi,* & ſic de alijs non tam regibus, quàm regulis & tyrannis, de quibus utinam ad te etiam accommodari poſſit illud: *Et erunt tyranni, ridiculi eius!* vide ergo, cui te regno ſubdas. Si DEUS & Chriſtus eſt Dominus tuus naturalis, non potes te eius regno & dominio ſubtrahere circa gravem injuſtitiam. Ergo hunc Regem ſæculorum immortalem ſequere, ut in eius regno ſedeas *cum Senatoribus terræ.*

2. Regna Regeſque varij. Statua illa notiſſima

Nabu-

Nabuchodonosoris illa describit: quædam lutea, quædam ferrea & ærea, quædam argentea & aurea. *Terreum mundi regnum* est in arena & pulvere situm; & venient flumina, & irruent venti, & subvertent illud: idem regnum fragili gaudet sceptro,& ex clivo tumoris vertiginem capiti & præcipitium parat: corona illi florea, quæ citò marcescit. *Regnum peccati ferreum* ac æreum, tum quia sæpe indurat & cor obstinatum reddit iuxta illud: *Induratum est cor Pharaonis*; & alijs dicitur: *Duro corde & incircumcisis cordibus*: Tum quia durum est peccati jugum, quod experiuntur, quos illius vetusta servitus premit sub Principe tenebrarum; de quo regno Paulus: *Non regnet peccatum in vestro mortali pectore*; in quo sceptra gerit cæca ad æternas rationes voluntas. *Regnum argenteum & aureum est DEI & Christi*, cuius regni metropolis aurum mundum, & de incolis eius dicitur: Tanquam aurum in fornace probavit eos: regnum hoc regnum omnium sæculorum, in quo Rex Regum Christus, cui dicitur: *Tu es ipse Rex meus & DEUS meus.* Indignè DEUS olim & Samuel tulit quòd Israel Regem sibi dari voluerit; indignè, inquam; quia postulantibus à Samuele Regem Israëlitis, Dominus Samueli dixit: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* sic vult esse Rex noster DEUS; & qui priori duplici Regno Regiq; se dedidit, abiecit DEUM, ne regnet super eum.

3. *Nolite me facere Regem, quia non sum medicus, & in domo mea non est panis, neq; vestimentum*; quidam se apud Isaiam sic excusat à regno. Tria hæc, esse medicum, habere panem quo alios etiam, nempe subditos alat; vestimenta, quibus eos operiat, Regi congruunt. Carent his Regna mundi, & peccati. quomodo enim ibi medicina, ubi sola venena?

 nena?

nena? quomodo ibi medicus, ubi animorum parricida? Nec panibus abundat, sed siliquis porcorum pascit mundus & voluptas, & peccatum est uva fellis & botri amarissimi. Vestimento etiam hæc regna carent & spoliant; nam prima stola est Gratia ceu vestimentum salutis, quo hæc regna exuunt. Sed apud Christum & in eius regno hæc tria sunt affatim. Christus medicus; hinc omnes quærebant eum tangere & sanabantur omnes: idemq; dicebat de se, *Non est opus medico sanis, sed malè habentibus.* Abundat eius regnum panibus: est in domo eius panis, quo ad vitam æternam alimur: est vestimentum, tum gratiæ ac innocentiæ vestis, tum ipse iuxta illud, *Induimini Dominum nostrum IESUM Christum.* Ergo de primis illis Regibus dicas, non de Christo: *Nolumus hunc regnare super nos.*

4. Qui in regno est Christi, est & servus illius, & simul Rex: nam de tali servo Christus in Apocalypsi dicit: *Dabo illi sedere in throno meo:* & *Ipsorum est regnum cælorum.* quare dum ad servitium suum & sequelam Christus te vocat trahitque, perinde est ac si dicat tibi: *Veni, coronaberis;* seu ad coronam iustitiæ te invitat. Et alia quidem regna coronas tibi ostentant, & illis alliciunt; sed vide coronande, cui coronæ caput submittas, quam excutias. Regnum mundi coronam superbiæ offert, ut eam vocat scriptura; sed juxta eandem, *Væ coronæ superbiæ!* Regnum peccati dat pro ratione peccati corollas; ut myrteam floreamq; voluptas dicens: *Coronemus nos rosis,* sed simul spineam; nam voluptates Christus spinis comparat & divitias, ubi ait: *Aliud cecidit in spinas.* &c. sed huiusmodi coronatis Regia perennis in inferno, temporalis est in Purgatorio, vel in terris adhuc.

5. *Regnum Christi non est de hoc mundo:* nihil in

eo mol-

eo molle, nil delicatum : leges huius regni mundo contrariæ, nihil ad pompam & magni nominis existimationem captandam refertur: Thronus Regius in hoc regno Crux est, corona dumis horrida, sed quæ in laureolas & coronam auream ac rosas immortales immutatur ; sceptrum hîc gerit solida probitas sita in ferendis iniurijs, superandis arduis, in paupertate spiritûs & rerum, in expugnanda rebellione carnis, sensuum, amoris proprij & mundani. De Christo Archangelus dixit: *In domo Iacob regnabit.* Iacob supplantator fratris, primogenita eius & primam Parentis benedictionem illi ademit, luctatus cum DEO, pater fuit tribuum duodecim, & de illo dictum: *Iacob dilexi.* In tali Iacob regnum Christi est.

6. *Abiecit te Dominus, ne sis Rex ;* dictum Sauli. dicatur & mundo & peccato: non est mihi voluntas in vobis, vobis non serviam. Abdica ergo duo hæc regna, nec ijs subesse, nec in ijs dominari ac coronari velis. Sufficit ad eorum horrorem, quòd Princeps in ijs regnis sit diabolus ; sufficit, quòd contra regnum utrumque Christus pugnauerit, qui dixit: *Ego vici mundum ;* & ille est qui tollit peccatum mundi. Quare in tertium Christi Regnum inaugurare. Nec iste ambitus crimen est, sed velle esse maiorem in hoc regno, apex est virtutis & honoris. Quantò studiosiùs curabis illa regni insignia proximè indicata, tantò dignior regno es, cuius conscensus gradum tibi faciet ad regnum Beatorum, cuius non erit finis, cùm tamen priora regna finem habeant & sæpe infelicem.

§. IV.

Sacra Antithesis :

Seu

Oppositio & contrarietas hostilis mundo.

Vos autem non sic. Luc: 22.

1. PUlchra hæc cum mundo inimicitia, quæ amicum constituit cælo ac DEO: nam facilè te constituet in apice virtutis, quæ te in DEI cor insinuat. Inde qui non est hostis, sed amicus mundi, est contrarius DEO: nam *amicitia huius sæculi inimica est DEO:* ut dicit Apostolus. Qui non est contrarius mundo, est hostis virtutis. Nam totum mundi ingenium virtutem oppugnat & extingvit, quia totum fertur in triplicem illam concupiscentiam nempe oculorum, & carnis, & superbiam vitæ. Qui non est hostis mundi, est hostis sui ipsius. nam mundus dolo animos capit & perimit, in fronte amicus, à tergo hostis; initio blandus, in fine tyrannus, & extrema gaudij luctu temerans: sternit rosas, impellit in spinas: per plana tantisper deducit, mox in præceps deturbat. Quare imprudentiæ notâ laborat, qui non contrariatur mundo. Nam prudentiæ est, nôsse quem diligas, & dolum fucumque internoscere, ne incautum dolus capiat & conficiat; nec permittere sibi specie aliquâ illudi, & vitro pro adamante. at mundus totus in dolis est, & specie decipit seu figurâ, quæ præterit; quare imprudens est, qui de talis amici versutijs & fraudibus certior factus, illi se committit, & non potiùs ab eius amicitia resilit: maximè cùm par sit in eum cor inimicum gerere, qui impedit à summo Bono. Quis enim non videt, quot ad hoc impedimenta mundus objiciat per voluptatem, divitias, super-

ſuperbiam & alia? Denique qui eſt inimicus mundi, odit gravem inimicum DEI.

2. De Chriſto mundani quidam dicunt in libro ſapientiæ: *Contrarius eſt operibus noſtris.* Primus nempe Chriſtus, qui contrarius mundo fuit: primus qui ei repugnare docuit pugnando contra illum & vincendo, dixitq; : *Confidite, ego vici mundum.* Quis hoſtem non reputet & velut contra hoſtem non agat, contra quem Chriſtus pugnat, & ille cum Chriſto? Sed mox Apoſtoli ſecuti ſunt Dominum, qui dum contrarios ſe mundo exhibent, eius odium incurrunt; ideoq; illis dictum: *Quia de mundo non eſtis, propterea mundus vos odit.* & unus ex illis clamat: *Nolite diligere mundum.* Quot deinde millia ſucceſſerunt, qui contrariam mundo vitam geſſerunt, mundum conculcârunt! Quot Aſceteria & Religioſorum clauſtra, tot ſunt contrariorum mundo domicilia, qui omnes à Chriſto huiuſmodi inimicitias cum mundo didicerunt, poteſtque huc illud trahi: *Facti ſunt hoſtes eius in capite.* Caput noſtrum Chriſtus, in quo hæc hoſtilitas eſt inchoata & conſecrata.

3. Nec meretur amicitiæ fœdera mundus. nam ſtultus eſt ſtultosq; efficit. Stultus, quia ſapientiæ, quæ Chriſtus eſt, contradicit ac repugnat. Stultos efficit; quia terrenæ ſapientiæ præceptis imbuit, quæ ſtultitia eſt apud DEUM. Laborat judicio, quia æſtimat, quæ minus æſtimanda ac æternis præponit caduca & momentanea: cæcus ad interna & æterna, lippus ad perfectiora chariſmata, ſurdus ad Chriſti promiſſa & conſilia. Adhæc impoſtor eſt, qui fuco & externo rerum colore decipit & decipitur, atque augentibus ſpeculis. Deinde craſsâ nimis ignorantiâ laborat, qui nec DEUM novit iuxta illud: *Et mundus eum non cognovit.* Item

qui amicus eſt illius, amicitias dæmonis init,eiuſq; fit ſubditus: Nam dæmon appellatur in Evangelio *Princeps mundi huius*. Egregio ſcilicet Principi te ſubdis,amice mundi!

4. Quare hoſtilem animum indue contra mundum, ſitque tibi *poſitus in ſignum, cui contradicas.* Hoſtilitas hæc & oppoſitio ſit tum in ſenſu & affectu contrario, tum in effectu & re ipsâ. Nam ut ingenium mundi eſt, ferri in exteriorem rerum apparentiam, honore & celebritate nominis capi, eique inhiare,faſtum & arrogantiam intus & extra alere, ſeſe vindicare, ſpecie trahi & rerum cortice, non nucleo, præſentibus inhærere & ſenſuum oblectamentis: Sic ſenſus hoſtilis contrarius eſſe debet, & ea vilipendere, quæ ille æſtimat, quibus inhiat; & reipsâ contrarium ſectando in honoris contemptu & confuſionis ac iniuriarum tolerantia. Unde quidquid iuxta ſuum ingenium agere mundum viderimus, dici nobis putemus: *Vos autem non ſic*. Ubi etiam advertendum, Sacræ huius Antitheſis duplices eſſe affectus, alios poſitivos, alios negativos; ut offerre ſe ad oppoſita mundo mundique votis ac beatitudinibus, de quibus David: *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt*. Item deſiderare eadem oppoſita, gaudere de illis, ſi obtingant: triſtari de oppoſito illis, idem oppoſitum fugere, nec illi ullatenus affici: non agere, per quod illa mundo appetibilia conſequamur &c.

5. Nota hîc duplicem poſſe ſpectari mundum, nempe mundanum ſeu ſæcularem, & Religioſum. Nam & in ſtatu religioſo locum poteſt habere ambitio, & alia proportionaliter, quæ in mundo. Ergo contra utrumque mundum erit pugnandum, parumque intererit viciſſe primum, ſi vincaris à ſecundo: imò *Odibilius eſt, fugiſſe mundum, & in domo virtutis mundum quærere.*

§. V.

§. V.

Metamorphosis in CHRISTVM.

Donec formetur Christus in vobis. Gal. 4.

1. NOn solùm tibi dicit Christus, *Sequere me*, ac ut sis ei similis, exigit; sed etiam vult, ut in eum transmuteris, requirit quandam identitatem, ut tibi dici possit: *Tu es Christus*, tum quia ad Christi amorem obligaris juxta illud: *Qui non diligit Dominum IESUM, anathema sit*; at verò amor transformat quodammodo in dilectum: Tum quia B. Virgo facta est omnium Mater sub cruce per compassionem, ut dixit Christus Brigittæ; proinde quisquis fit filius MARIÆ, necesse est, consequenter sit ut Christus: tum quia nos Christus vocat amicos (*vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis*) *at amicus alter ego*. Quare esto ut Christus, formetur in te Christus.

2. Invidiæ illa vox est, quâ quidam conqueruntur de cælesti Patrefamilias: *Et pares illos nobis fecisti*: Christus non tantùm nos alijs pares esse exoptat, sed etiam sibi ac DEO. *Estote sicut Pater cælestis &c.* Porrò vitæ sanctitate ad quandam cum Christo unitatem perveniri posse, patet ex Ioanne Baptista, cuius sanctitas effecit, ut putaretur esse Christus, etsi ille contrà reponeret: *Non sum ego Christus*. Item etsi clamet Propheta: Domine quis similis tibi? tamen alius respondet; *Qui separat pretiosum à vili, quasi os meum erit*, dicit Dominus. Ergo esto ut Ioannes; eris ut Christus: Separa pretiosum à vili; eris ut os Christi, illi geminus: Amore item transmutêre in Christum; quia juxta Dionysium, *amor habet vim transformativam: qui enim amat, amato identificatur*, ait Abulensis; proinde quantò plus crescit hic in Christum amor, e-

tiam

tiam beata hæc crescit Metamorphosis. Nempe *qui adhæret DEO, unus spiritus est cum eo*, teste Paulo.

3. *Factus est DEUS Homo, ut homo fieret DEUS*, inquit Augustinus. Fiat, fiat. Quanta dignitas, quòd pulvis & testa de Samijs terræ possit transire in DEUM! sed ut hoc fiat, duo te facere oportet. *Primò* exue, quidquid te hominem arguit, & carnem sapit, nec jam acquiescas carni & sangvini; & sicut in Christo non patebat exterius immensa illa Maiestas (nam per omnia nobis similis fuit absq; peccato) sic in te nulla appareant humana vitia. *Secundò* debes alterari & procurare dispositiones ad formam Divinam Christi. Porrò omnis dispotio ad Gratiam DEI sanctificantem, est dispositio ad formam DEI, seu ad participandam naturam Divinam & ad DEUM recipiendum juxta illud: *si quis diligit me*, sermones meos servabit, *& ad eum veniemus* &c. At verò dispositio alia ad Christum in nobis formandum est, maxima similitudo vitæ Christi.

4. Proxima & maxima cum aliqua re similitudo facit, ut eam ab alia non discernamus. Exprime Christum quàm maximè potes, sed non prius Gigantem, quàm parvulum; esto ut parvulus ille, qui datus est nobis, *parvulus in præsepio, immensus in cælo*. Exprime & magnum, quam eius magnitudinem describit Augustinus dicens: *Ioannes minutus est capite, Christus crevit in cruce*. Christus positus in signum, cui contradiceretur, Christus novissimus virorum, Christus mitis & humilis corde: Christus egenus pro nobis factus, passusque.

Exprime hunc magnum, ut sis
Christus alter.

§. VI.

§. VI.

Decretum & executio Incarnationis.

Verbum caro factum est. Ioann: 1.

1. SEmper homo DEO eguit, aliàs creante & trahente; sed maximè eguit *DEO* saluante. Vivere non poterat homo, nisi in carne viveret, ac moreretur DEUS. Virus hauserat per peccatum mortalitas nostra, cui mederi non poterat, nisi Sangvis & vita Christi: DEUS quidem poterat sanare voluntate condonante, sed maluit justitiâ ad æqualitatem satisfaciente, & suprà; illud etiam reo beneficium conferens, ut sicut homo totum perdiderat genus, sic homo in DEUM assumptus repararet. ô dignitas hominis redempti! ô dignatio DEI Hominis redimentis!

2. *Misericordia eius super omnia opera eius.* In alijs operibus DEI relucent tum sapientia, tum omnipotentia, ut patet: at opus nostræ salutis (de quo Propheta: Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud) manifestat quidem omnia vel plurima DEI attributa, ut sapientiam in tali adinventione & reconciliatione suî generi humano; Iustitiam item per Personam Verbi Incarnati æqualem, DEO offenso satisfaciendo; & sic de alijs; tamen misericordia & charitas maximè hîc elucet: tum quia ubi maior afflicti miseria & indignitas miserationis percipiendæ, ibi maior misericordia; at hîc æternùm infelix fuisset genus humanum, nisi Incarnatio succurrisset, & quidem DEI inimicis, ideoque miseratione indignis: tum quia tanta erat indigentia, ut illi à nulla pura Creatura subveniri potue-

potuerit, ideoque de Christo dicitur: *Liberabit pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adiutor:* misericordia ergo magna Domini, *quòd non sumus consumpti.* At ubi misericordia magna nimis, & charitas magna nimis, quam ideo Paulus appellat *charitatem nimiam*, eamq; satis illud exaggerat: *sic DEUS dilexit mundum*, ut Filium suum Unigenitum daret! Sic Filius dilexit, ut se ultro offerret! mira utrinque bonitas & amor, & tradere Filium usque ad formam servi ac opprobrium Crucis; & acceptare hæc omnia Filium ex amore: exclamandum: *ô mira tuæ circa nos pietatis dignatio!* ut servum redimeres, Filium tradidisti: & seipsum Filius, oblatus nempe, quia voluit.

3. *DEUS ipse veniet, & salvabit nos*: sic de illo prædictum. Et venit, dixitque: Holocaustum pro peccato non postulasti, *tunc dixi, Ecce venio.* Multiplex in hoc Verbi dignatio erga nos reluxit. *Prima*, quòd Verbum exinanitum usque ad formam servi: quòd Verbum abbreviatum. *Secunda*, quòd *Emmanuel*, nobiscum DEUS, inter homines visus & cum hominibus conversatus, cum inimicis utiq; ceu cum fratribus, testatus sibi esse delicias, esse cum filijs hominum. *Tertia*, quòd non Angelos apprehenderit, sed semen Abrahæ. *Quarta*, quòd carnem assumpserit passibilem & morti obnoxiam, cùm potuisset impatibilem & immortalem. *Quinta*, Quòd tam diuturnam in utero moram & latebram pertulerit, & Fæminâ circumdante virum, non horruerit illius uterũ, ac tulerit esse illius! disce latere à DEO, & tantis dignationibus responde.

4. Quid ad hæc te hominem par est agere? *Primò* gere te ut decet consangvineum & concorporeum Christi: gere te in carne quàm sanctissimè ac purissimè,

ſimè, ne dæmon exprobret Filio DEI: Ecce qualem carnem aſſumpſiſti! quàm ſceleſtorum naturam! *Secundò, Dignare eſſe humilis* propter te, *quia DEUS dignatus eſt eſſe humilis* propter eundem te, ut admonet Bernardus. *Tertiò,* Exue te ipſo illo, qui fuiſti, & ſis alius velut noviter incarnatus, novus homo, nova creatura. *Quartò,* Diuinitatem indue Divinosq; mores ac perfectiones, cùm DEUS humanitatem induit. Illius Incarnatio ſit tua Deificatio; dum ille fit homo, tu eſto velut DEUS, exprimendo *D*EUM Divinaque attributa & nomina; quò ſpectant, quæ dicuntur in Face tertia de Imitatione DEI, & in hac Face ſecunda de Idea perfectionis §. XLIII. *Quintò,* Quantùm id ſvavitatis tibi conciliare debet, quòd hic Emmanuel, nobiſcum DEUS eſſe & in terris commorari velit ac dignetur! de Cælis à regalibus ſedibus veniens, noſtrum mapale & vallem miſeriarum eligat! *Sextò:* Si illi tantæ deliciæ ſunt eſſe cum filijs hominum, ut ita cum illis ſe arctè uniat & conglutinet, quantum curare debes, ut illi delicias præſtes, & ſcenas ac convictum hilarem, nec eum contriſtes peccatis. *Septimò,* Cognatus es Verbi tuam carnem aſſumentis; vive dignè hac cognatione Divinâ. *Octavò,* Cole ſpecialiter novem menſium moram Incarnati Verbi in utero Virginis, ſeu dierum 246. Tam diu ibi incluſum latuit ſiluitq; Verbum, tantillum & tantùm! Imitare hanc dignationem. Non horruiſti Virginis uterum: Beata viſcera MARIÆ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium. Gratulare Virgini tantæ Maternitatis titulum & privilegium: cole & Gabrielem magni conſilij Angelum.

§. VII.

§. VII.

Vnionis Hypoſtaticæ imitatio.

Verbum Caro factum eſt: Ioan: 1.
Ero ſimilis. Iſa: 14.

1. DEUS quia naturâ ſuâ bonus, ideò ſuî maximè diffuſivus communicat ſe homini modis inenarrabilibus & ſupernaturali ratione, per gratiam inhærentem animæ habitualem, per Eucharistiæ Sacramentum, per viſionem beatificam in cælis, per Incarnationem. Prima illius unio nobiſcum eſt moralis, altera Sacramentalis, tertia Intentionalis, quarta Perſonalis ſeu Hypoſtatica. Tres primæ communes nobis, quarta Chriſto propria. Sed tamen qui omnia nobis cum Chriſto donavit, ad omnia vult nos admittere, quatenus licet, vultque nos Chriſto ſimillimos eſſe, & conformes fieri imagini Filij ſui. Quare etiam unionem Hypoſtaticam nobis exprimere ſeu imitari licet, ac ſaniori ſenſu, quàm arrogantia Luciferi dixerat, illud proponere: *Ero ſimilis Altiſſimi* Filio. *Ecce Adam, quaſi unus ex nobis*, dicit Beata Trinitas. Ego modum in imitatione proprietatum Unionis Hypoſtaticæ ſitum proponam.

2. Unio Hypoſtatica in Chriſto non patitur ſubſiſtentiam humanam, ſed tantùm Divinam. Amitte & tu ſubſiſtentiam tuam, id eſt, exi à teipſo, ſubſiſte in DEO, illudque coneris animo tuo imprimere, quod S. IGNATIUS Societatis noſtræ Parens, qui dicebat (ut ſuprà memini) ſe non poſſe vivere, ſi quid in ſe non ex omni parte Divinum ſentiret vel adverteret.

3. Aliter communicat DEUM naturæ humanæ hæc Unio, quàm aliàs: nam videnti DEUM facie ad fa-

ad faciem se DEUS communicat unitque per claram suî cognitionem ac intentionaliter, per Gratiam Sanctificantem moraliter & affectivè; at per hanc unionem Physicè, ita ut una eademque Persona sit DEUS Homo. Quantò strictior unio cum DEO, tantò es beatior. quare tolle impedimenta strictissimæ cum illo Unionis.

4. Unio illa facta est immediatè in Persona, non in Natura; seu facta est ad aliquid Proprium Filij, non verò naturæ Divinæ, nisi mediatè. Et tu da teipsum, non tua tantùm, & ultra communia pluribus obsequia (ut etiam natura Divina communis est toti Trinitati) da aliquid speciale DEO.

5. Unio Hypostatica secundùm aliquos est ut forma sanctificans humanitatem, & secundùm omnium sententiam communicat Humanitati Sanctitatem Verbi. Quisquis ad unionem cum Verbo aspirat; aspiret ad sanctitatem eximiam imitatricem Divinæ.

6. Unio Hypostatica communicat denominationes ab attributis Divinis, quas potest Humanitati communicare, ut sanctitatem &c. Quò verior est Unio amoris, eò maior est communicatio bonorum inter amantem & amatum. Sic ergo tuum amorem erga DEUM explora.

7. Unio tamen Sacramentalis, per quam in nobis Christus manet, & nos in Christo, vocatur à S. Chrysostomo quædam extensio Incarnationis & Unionis Hypostaticæ, ubi etsi non sit par unio nobiscum, tamen est nova & specialis transformativa nostrî in Christum. Vide ergo quomodo te ad hanc disponas: imitare sanctissimam Christi Humanitatem Personâ Verbi sibi unitâ dignissimam.

§. VIII.

§. VII.I

Occupatio Verbi in Vtero Virginis Matris.

Operatus est salutem in medio terræ. Ps. 73.
Non horruisti Virginis uterum! Hymn: SS. Amb: & August:

1. DE quibusdam dicit sacer textus: *Erraverunt ab utero.* citò nimiùm errare cæperunt. At Christus de se ait. In te proiectus sum ex utero, *de ventre Matris meæ, DEUS meus es tu.* Nempe Humanitas Christi DEO semper adhæsit etiam in utero. Tuus uterus est ille, de quo in scripturis DEUS loquitur: *Qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea vulva:* Item Ecclesia & Religio tibi uteri vicem præstat ut Mater; ergo vide quomodo te exemplo Verbi Incarnati in hoc utero geras, ne erres ab utero, sed in DEUM proiectus ab utero.

2. Præcursorem Domini in utero ad adventum VERBI Incarnati ejusque inibi occupationem triplicem. *Prima:* repletus in utero Spiritu Sancto & gratiâ, eius augmentum pluribus actibus ibidem probabiliter post primam gratiam meruit. Pulchra occupatio! *Secunda:* Cognitio DEI & Christi in montana eiusque domum advenæ. *Tertia:* exultatio in gaudio de DEO. Sic & tu in utero triplici proximè memorato occuperis. *At Verbi in utero* occupationes duplices, aliæ communes toti Trinitati, aliæ propriæ Verbo Incarnato; communes fuêre, creatio animarum rationalium, conservatio, & gubernatio mundi, operationes DEI ad extra ut Auctoris naturæ & Gratiæ, & operationes ad in-

ad intra Divinæ, ut cum Patre ſpiratio activa Spiritus Sancti. Propriæ Verbo Incarnato mox exponentur. Itaque & in utero ſcivit ac meminit ſe fuiſſe DEUM, ac egit, quæ ſunt DEI: & tu in utero tuo age, quæ te ac ſtatum tuum concernunt.

3. *Amor eſt actuoſus & ſemper mobilis*, ut ait Dionyſius Areop. Nempe amor operatur magna, ſi eſt; ſi autem operari renuit, amor non eſt, teſte Gregorio. At amor Verbi in carne & utero quantus & qualis in Patrem! quantus in humanum genus! Fuit ergo & in utero actuoſus, etiam tunc negotium ſæculorum egit, & operatus eſt ſalutem in medio terræ, id eſt; in utero Virginis, terræ benedictæ. Nam in eius voluntate ſanctificati ſumus teſte Paulo, quâ tunc ſeſe obtulerat ad redimendũ genus humanum ex præcepto in Pſalmis indicato: *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, DEUS meus, volui & legem tuam in medio cordis mei. Pſ. 39.* Hinc quæ tunc in eo deſideria ſalutis humanæ, & læſi juris Divini reparandi! etiam tunc dicebat: Coarctor, donec perficiatur. Diſce & tu diligere, diſce terra ſubdi legi Divinæ, diſce anguſtias pati, dum ſic coarctatur immenſus: diſce latere ad horam, cùm ille tantus lateat novem menſes.

4. Interrogatus pòſt à Romano præſide Chriſtus: *Quid feciſti?* tu illum non judicantis genio, ſed utilis notitiæ & inſtructionis gratiâ de occupationibus eius in utero interroga: Quid feciſti? *Triplex eius interna occupatio* tunc occurrit. *Prima* reſpectu Patris æterni, nempe recognitio Dominij ſupremi & ſuæ ſubiectionis in Humanitate aſſumpta: humiliatio ſuî ut hominis reſpectu Divinæ naturæ, adoratio Deitatis: gratiarum actio pro donis Humanitati illi conceſſis: zelus gloriæ

Paternæ, oblatio ſuî pro ſalute generis humani. *Secunda* reſpectu Beatæ Matris. Fomitem in ea totaliter extinxit, gratijs & ſolatijs illam in immenſum auxit, patuitque primò ſuper omnes in illa benedictâ, quid ſit habere in ſe inhabitantem DEUM: Tunc intravit IESUS in caſtellum, & mulier hæc benedicta excepit illum in domum ſuam; & qui creavit illam, requievit in tabernaculo eius, & illa experta eſt uberem hoſpitis & hoſpitij huius gratiam, cùm domus pudici pectoris templum repente DEI fieret. *Tertiò*, operationes Animæ Chriſti quatenus iam tunc beatæ, erant illæ: viſio beatifica ſuper omnes, amor beatificus, fruitio & gaudium &c. At ego quid faciam tibi ô cuſtos hominum, & Salvator? Erravi ab utero, & hucuſque erro, ac perſiſto pænè otioſus. Sed diſcam operari ad intra bono uſu potentiarum internarum, & ad extra recto uſu ſenſuum exteriorum. Qualis deinceps erit mea cum *DEO* occupatio! qualis cum proximo!

§. IX.

Infantia Salvatoris.

Parvulum dedi te in gentibus, contemptibilis es tu valde. Abd: v. 2.

1. FEſtum Amoris apud Athenienſes fuit celebre. Chriſti natalis, feſtum amoris eſt, nam Chriſtus verior *amor & deliciæ generis humani*, quàm olim dicerentur Titus & Gordianus. Etiam ad infantuli huius vagientis conſpectas lacrymas dicere licet: *Ecce quomodo diligebat eum*, id eſt, hominem! Amor Puſio pingitur: & hîc Metamorphoſim fecit Amor, qui de Gigante illo Parvu-

lum

lum fecit, cui dicitur: *Noli timere, Vermis Iacob, contemptibilis es tu valdè.* Quod si amor ignitus est, tuus in fœno infantis Christi amor ignem concipiat. nam Christi amor nec in hyeme friget: etiam bruma apud illum est amoris æstas. Amor refingat te in hunc Parvulum: loquere ut hic parvulus, sapias ut hic parvulus: cogites ut hic parvulus, cole parvulum hunc ut Regem: nec enim hîc illud valet: Væ regno, cuius Rex Puer est!

2. Nobis natus datusque apud Isaiam dicitur. *Noster* ergo specialiter *Christus est*; *& hæc proprietas cuiq; etiam Pauperrimo permissa*, cùm alibi *Meum* ac *Tuum*, frigidum verbum fit, & malorum fons perennis. Infanti huic dicere licet: *DEUS meus es tu, DEVS cordis mei, hæreditas mea præclara es mihi* Sic licet esse proprietarium. Invade ergo hanc proprietatem, ac ut tuam possessionem tibi vindica Christum.

3. Textus aliqui Sanctorum Patrum te emolliant super hoc Infante. *Primò*, S Fulgentij dicentis: *Quis est iste magnus & Parvus, humilis & sublimis; parvus in præsepio, immensus in cælo; vilis in pannis, pretiosus in stellis: Qui portatur ut parvulus, adoratur ut DEVS.* adoratur à Virgine Matre, adoratur ab Angelis, de quibus illud: Et adorent eum omnes Angeli eius: adoratur à Pastoribus, à tribus Magis: qui procidentes adorauerunt eum & tribus muneribus coluerunt. Et tu adora eum in spiritu & veritate, & vagientis lacrymas siste ac absterge. *Secundò* S. Bernardi: *quantò pro me vilior, tantò mihi carior.* Et: intolerabilis est impudentiæ, ut *ubi se exinanivit Maiestas, vermiculus infletur ac intumescat!* Puer facilè placari potest. *Tertiò* S. Leonis: *Bethleem prælegit nativitati, Hierosolymam Passioni. Quartò S.* Francisci: *Amemus pue-*

 rum

rum de Bethleem. *Quintò* ex Antiphona Ecclesiæ: *Intuemini, quantus sit iste*, qui ingreditur ad salvandas gentes, & ipse est Rex iustitiæ. S. Bernardus quantam voluptatem ex hoc verbo capiebat! *IESVS Christus Filius DEI nascitur in Bethleem Iudæ!* Cyprianus ait: *sic nasci voluit, qui voluit amari.*

4. Stabulum Schola affectuum & documentorum. 1. Iuvat inprimis cum Gabriele expostulare: Dixisti, *Hic erit magnus*; hiccine magnus, qui parvulus datus est nobis? huc ergo ille decrevit Gigas? Dixisti Angele, *Regnabit in domo Iacob*; at hicne regalis thronus, præsepium? *Ergo Rex es tu*, Infantule? Angeli dicunt, *Evangelizo vobis gaudium magnum*, natus est Salvator: at quale mihi gaudium, dum plorat contemptus, nec diversorio receptus amor? 2. Et sui eum non receperunt. *Non erat ei locus* in diversorio. Alijs quibusque erat locus, non item Christo. Væ, si non sit ei locus in corde tuo, quamvis in hoc sæpe fortassis incommodior locus Christo, quàm in stabulo: mavult proinde aliquando in pecudum ergastulo hærere, quàm in tabernaculis peccatorum. 3. Ex omnibus quæ circa Infantem videris, profice; hîc tibi scholam defige. Ex lacrymis, illud Monicæ dictum ab Ambrosio cogita: *Impossibile est, ut Filius tot lacrymarum pereat.* Item ex his lacrymis balneum tibi appara, hîc *lavare, ut munderis.* Ex nocte etiam (in qua *omnipotens sermo tuus Domine de regalibus sedibus venit*) lucem novam hauri, dum tanta mysteria DEUS occultat. Ex præsepio item & Fascijs, ex Pastoribus alijsq; stude proficere: esto Discipulus Pueri IESV, præsepe pro cathedra occupantis. 4. Christus nascens vocatur *magni consilij Angelus*: quod verò istud magnum consilium? Vide quid infans hic consulat facto, etsi non clamet

clamet verbo. Angelus hic legatus eſt de cælo: Puncta legationis habes in eius vita & doctrina. Et quia legatus hic venit è cælo; nova cæleſtia ex illo cognoſce, ut cæli ſtudio inardeſcas. 5. Naſcente Domino alta in terris pax, & ab Angelis denuntïatur. Nondum Chriſtus ibi natus, ubi pax non eſt. at pax non eſt, ubi nec bona voluntas, ſed iniqua. 6. Duo adhuc cogita; tum illud: *niſi efficiamini ut parvulus iſte*, non intrabitis in regnum cælorum; Tum illud: *Nolo mollius tractari à DEO* & hominibus, cùm tam durè accipitur hoſpes in terris DEUS, nec Pater cæleſtis illum delicatè mundum ingredi patitur. 7. Denique plurimùm te docebunt, & amorem erga Infantem hunc inſtillabunt aliæ circumſtantiæ Nativitatis; puta tempus & locus, aſſiſtentia & parentes. Locus, aliena domus, Bethleem, ſtabulum: tempus, nox & hyems, deſcriptio mundi tunc facta; aſſiſtentia, MARIA & Ioſeph; & cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.

5. Naſcitur in nobis & ex nobis Chriſtus. in nobis per amorem: ex nobis per prædicationem, ſeu ſi illam matrem induerimus, de qua Chriſtus: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* ubi pulchrè Gregorius ait: *Qui Chriſti frater eſt credendo, mater efficitur prædicando: quaſi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit; & Mater eius efficitur, ſi per eius vocem amor Domini in proximi mente generetur.*

6. Circumciſio, & Nomen IESU docet 1. *Pulchrius parêre*, ubi lex etiam non obligat; & Princeps quoad vim directivam ſuis legibus tenetur. Non eſt abolita *circumciſio cordis*. Etiam ubi peccatum non eſt, adhiberi poteſt remedium peccati. Ubi eſt amor, citò ſe exerit proditque. 2. Si anni

initia Christum cruentat: quid decursus anni totius? 3. Tituli pretiosi in terris, sangvine parantur: minori pretio apud cælum veneunt. At DEO nil terra dat gratis, ne nomen quidem; DEUS tamen dicit: *Venite, emite absq; argento;* & tot ab illo *gratiæ gratis datæ.* 4. Nomen alij inane gerunt, & crimen immane: DEI nomina ex merito. IESUS salvator, quia *salvum fecit populum suum* à peccatis eorum. IESU nomen est *oleum effusum;* effundit sese; & sicut, ut ait Bernardus, *oleum est cibus, lux, medicina*: fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem; sic & IESUS. 5. Quilibet annus sit IESUS, seu Annus Salvator aut salvans. Societas sit cætus, in quo Salvatores quodammodo mundi inhabitent: quilibet in ea curet esse ceu Salvator mundi sub IESU Nomine. Cogitet illud, & sibi accommodet de Christo dictum: *Tantò melior Angelis, quantò differentius* præ illis *Nomen* hæreditavit.

§. X.

Bethleem in SS. Eucharistia.

Transeamus hinc usq; Bethleem. Luc. 2.

1. NOn vacat Christo dicere: *Nolite me constituere Principem, quia in domo mea non est panis.* nam & Bethleem eius natalitia Domus Panis est, & SS. *Eucharistia, quâ ad delicias nutrimur,* nova est Bethleem & domus Panis, ubi etiam (ut loquitur Augustinus) *incarnatur & nascitur Christus in manibus Sacerdotis*: Homo & homo natus est in ea. Hic est Panis vivus, qui de cælo descendit: utinam cor, in quod descendit, non sit stabulum & præsepe; sed nec diversorium commune omnibus

mnibus, ac turbæ obnoxium, & ingratum, quod Christum exclusit!

2. *Nequaquam minima* Bethleem: civitas David. Non minima, quæ maximum capit DEUM. Dilatare & tu, ut recipias eundem meritò intra te. Esto & Civitas David: nam id regale virtutis nomen est, & viri secundum cor DEI. Dic cum eodem Davide: *ô si quis mihi daret aquam de cisterna Bethleem!* Ibi est fons vitæ Christus qui ait: *Si quis sitit, veniat ad me; & ego reficiam.* Sæpe *minimum apud homines, magni fit apud DEUM,* ut Bethleem minima in sensu humano.

3. Esto Bethleem magnetica. Bethleem traxit & evocavit ad Christum Angelos, dictumque: *Adorent eum omnes Angeli eius.* Bethleem traxit & Orientis Reges: *venimus cum muneribus adorare eum.* Traxit & Pastores, qui dicebant: *transeamus usq; Bethleem* & videamus hoc Verbum. Trahe ad DEUM, & ad cultum usumque frequentem SS. Eucharistiæ alios: Veneremur cernui, ubi DEUS Homo loco fasciarum alligatur speciebus Panis & vini.

4. Denique asellum & bovem in se famelica effingat anima, laboriosâ actione pro DEO & animabus: ad fænile aspiret & ad pabulum, ubi Verbum Caro; at omnis caro fænum. Hæc est pulchritudo illa, de qua *Ps. 49. Et pulchritudo agri mecum est.*

§. XI.

Stella, Gratiæ excitantes.

Vidimus stellam eius. Stella antecedebat eos. Matth: 2.

1. BIs Stellam Regibus Orientis accendit cæ-

 lum.

lum. tibi tot stellas, quot Gratias excitantes immittit toties. Dic & tu: *Vidimus stellam, & Venimus*: Vidi, Veni. Stella dat videre quò venias; sed parum est videre, nisi pervenias. sequere ductum præeuntis stellæ; eveniet tibi quod Regibus: *Et invenerunt Puerum cum Matre eius.*

2. Stella hæc illuminat & longè, & propè: in Oriente remoto, & in Iudæa prope Bethleem. Adest Gratia & his qui longè, & his qui prope; tamen & illis dicitur: *Approximate DEO*, & *Dominus appropinquabit vobis.* Cæpit autem stella illa in regione Arabum & Sabæa videri; nam Reges Arabum & Saba adduxit. Arabia dives, Sabæa regio odorifera: relinquat tales regiones, qui velit ad Christum pervenire, eumq; videre; quem huc gratia excitat, contemptum terrenorum persuadet. Tamen eadem stella non lucet, ubi turbatur Herodes: nam lumen cæleste extingvit ambitio: & insuper novâ luce de cælo vix est opus, ubi quis habet Moysen & Prophetas.

3. *Stella hæc lingua cæli* ab Augustino vocatur, orator feliciter persuadens tam longinquum iter, & moram extra patriam ac regnum: svasit pro DEO colere Pauperrimum Infantem. Sic & maxima, & difficilia persvadet lingva cælestis & Gratia. Et tu esto stella; trahe ad Christum plurimos, maximè ab Oriente primæ ætatis, timorem eis amoremquè Divinum instillando. Sis ut Gratia excitans è veterno vitiorum: sis ut Gratia prima; in nobis, sine nobis; sine quæstu nostro. Esto stella una ex illis: *Qui erudiunt ad iustitiam multos, fulgebunt sicut stellæ* in perpetuas æternitates. Stellæ aliæ sunt *primæ*, aliæ *secundæ* vel *tertiæ magnitudinis*: tu ad perfectiora aspires, ut illustriùs

luceat

luceat lux tua, & inter primæ magnitudinis sidera coram DEO accenseare.

4. Stella hæc exorta, ut *Christus adoraretur à Magis, timeretur à malis*, ut loquitur Augustinus. sic lucet eadem & terret! Gratiæ & illuminent & terrorem animo incutiant. nam lux erit in pœnam, si non ambules in luce, nec juxta lumen inditum opereris. Addit Hipponensis Præsul: *Quid erit tribunal iudicantis, si sic terrebant cunabula Infantis?* Denique stella hæc suo perfuncta officio non apparuit ampliùs. Præstò sis & tu alijs, quamdiu est necesse; aliàs latendum, cùm non est opus, ut in publicum prodeas: In nocte luce, in die late: seu dum terræ alia non est lux, lux esto; & ex te fiat lux.

5. Vocat stella ad adorandum, ad munera offerenda; nec unum, sed plura, & quæ DEUM decerant exprimantvè. Intentio sanè est sancta: *Venimus adorare*, adorare utiq; *in Spiritu & veritate*, & cum effusione sui & rerum suarum etiam pretiosissimarum; ideò dicitur: *Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera*. Tota vita debet esse adoratio DEI & huiusmodi digna DEO oblatio tuî ac rerum tuarum: vive latricè & sacrificè. *Offer illi tria illa munera*; tum bona corporis, animæ, & fortunæ; tum fidem, spem & charitatem, tum cultum cordis, oris, & operis; tum vota tria religiosa: tum tres virtutes eximias, charitatem, humilitatem, omnimodā mortificationem; charitatem cum zelo gloriæ Divinæ & animarum conjunctam &c.

6. Denique stella ducit ad Christum aliâ viâ; sed redire docet aliâ, non ubi Herodes hostis Christi. Aliter jam vivendum, qui Christum semel cognovit. Certè illi tres Reges Sancti fuerunt postea, & ut Sancti coluntur, & etiam respectu illo-

rum

rum Christus dicitur *Rex Regum*: quia DEO & illius voluntati semper fuerunt subjecti, cujus jugo svavissimè semel se subjecerunt. *Vade & tu fac similiter.*

§. II.

Ægyptus, Innocentes.

Ex Ægypto vocavi Filium meum. Ose. II.

1. INnocentes cæduntur: Christus recedit in Ægyptum. Felix Innocentia, quæ ipsi Christo pænè dat vitam, & Redemptorem quasi redimit! sed quid dico, Christus recedit? toties cadit, quot infantes cæsi. *Dies hic non tam fugæ Christi, quàm multiplicis mortis ejus & amoris, ac nova Parasceve.* Dicuntur tunc cæsa quatuordecim millia infantum; *toties tunc pro te cæsus obijt Christus*, qui in illis singulis putabatur occidi, & optabatur occidi: nam illuc ferebatur ambitiosa crudelitas. *Crudelis sanè ambitio, quæ Christum enecat!* nec nocet, nisi sibi: nam infantes cælo transcripsit, se terrarum objecit odio.

2. In Judæa cadunt Innocentes, in Ægypto simulacra, & idola veniente Christo. Felix ruina, ubi cadunt idola, & cultus dæmonis vel Creaturæ loco Dei, quam sic colunt, quibus Deus etiam venter est, vel Creatura loco Finis ultimi. Sic non sine fructu inter barbaros & in medio nationis pravæ est versandum! si exis in Ægyptum, seu inter sæculares homines versaris, Christus esto, destrue idola, ædifica altare DEO vero. *Ubi Christus est, ruant idola.* nequit in corde esse Christus & Dagon.

3. Imò si in Ægypto es, seu inter mundanos & malos; *fuge Ægyptum*, esto tunc in Ægypto, & eandem fuge: esto morâ, fuge moribus: nihil in te

Ægy-

Ægytum redoleat, nec ollæ vel abominationes Ægyptiorum sapiant: sit discrimen inter Ægyptum & Christum, vel eum qui est Christi. Denique *si es in Ægypto, non sis absq; MARIA.* nam ibi dicitur: *Accipe Puerum & Matrem ejus;* Angelus neutrum separare jubet. Sed nec Iosephum abesse decet: adsit præstò nutritius IESU, nutriat parvulos, ne dicatur: *Parvuli petiêrunt Panem, & non erat, qui frangeret eis.* ejus obedientia animo imprimatur, cùm nocte ire jubetur, in ignotam regionem; non inquirit de tempore: Usque dum dicam tibi: cæca ibi obedientia.

4. *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* ita est vocatio nostra; ex Ægypto vocatio Divina. nec Christus ibi permansit; & Iacob Patriarcha sua etiam ossa inde transferri post mortem jussit. *non est securum aut volupe in Ægypto degere, quando & mortuis ibi malè.* Sed ex Ægypto venit in Nazareth Christus. Nazaræus vocabitur, sanctus, Floridus. *Nazaræi* certè *candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphyro pulchriores.* Talis debet esse vocatus ex Ægypto, venire in Nazareth, Nazaræus esse, & non debet denigrari facies ejus super carbones, seu conscientia.

5. De Ægypto dixit Seneca: *In Ægypto nemo aratorum aspicit cælum.* nempe nemo amatorum mundi cælestia considerat, nec illi cælum sapit: contentus est suo turbido Nilo ac limo terræ. Si talis est Ægyptus, magnum DEI donum est, ex Ægypto vocari. *Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.*

§. XIII.
Ætas CHRISTI.

Vitâ

In mensuram ætatis plenitudinis Christi. Eph. 4.

1. NUlla ætas Christi absque encomio; nam ita quamlibet transegit, ut decuit Verbum in carne. Quatuor ejus ætates, Infantia, Pueritia, Adolescentia ac juventus, virilis ætas. *Senium Christus vivere noluit*, vel ut florem ætatis pro te in Cruce impenderet; vel ut vitæ longævioris amorem in alijs extingveret; cùm vita immortalis possit tam brevi spatio comparari, ad quam comparandam hîc vivimus. Et quò illi senium, cui longius ac felicius ævum & durationem dat æternitas? Ætatem viri, etiam cælo reservamus, ubi occurremus omnes in mensuram ætatis plenitudinis Christi; at in terris omnem ejus ætatem exprimere gloriosum est. vivimus annos Christi, vivamus & vitam Christi.

2. Laudatur Mater septem Machabæorum, quòd *fæmineæ cogitationi masculinum animum inseveret*, dum filios ad patiendum pro legibus Divinis hortaretur: item Tobias *quòd nihil puerile gesserit in opere suo*, seu quòd maturitatem viri vel senium quoddam morum in pueritiam transtulerit; quæ laudes perinde est, ac si dicant: Puerîles anni fuerunt, sed in ijs ætas viri vel senis eluxit moresque: fæmina fuit, sed virum crederes in animi magnitudine. Si ergo laudabile est alienam in se ætatem cum laude conjunctam transferre, ætatem alienam vivere; quantò magis, si Christi ætatem in annos vitæ tuæ mysticè transferas? Nulla ætas Christi sine exemplo; quare quælibet ad nos clamat: *Exemplum dedi*, ut quemadmodum ego, ita & vos faciatis. Fac secundùm exemplar. Ergo vive ætates Christi quatuor.

3. *Vive infantiam Christi.* Christus Infans, Vir simul fuit in infantia! nam dictum est *Fœmina circumdabit Virum.* Virum robur & facta, infantiam in te probet vitæ morumque innocentia, & nullus in malum linguæ seu fandi usus; à non fando enim enim infans dicitur. Item Christus Infans in panniculis, in præsepio, in Ægypto, in Nazareth: quas virtutes hæc nomina non redolent! quas non ubique sparsit! Habet vel ipsum stabulum miram ejus virtutum fragrantiam.

4. *Vive Pueritiam Christi*: si IESUS Puer; Pudeat maturum esse & non *parvulum malitiâ* (quæ Phrasis Pauli est) cùm *DEUS ex Gigante Puer, vermis & non homo.* Puer autem *crescebat.* Gigas crescit adhuc; & tu ex pumilione decrescas, nec proficere cures? Et illum *oportet crescere*, & te non minui vel deficere: *Proficiebat ille sapientiâ & gratiâ apud DEUM*; tu deficis, & desipis? Pulchrum fœdus sapientiæ cum gratia & sanctitate. talis in Christo, talis in te esto sapientia. At Puer hic in templo inventus. *Dominus in templo sancto suo, in his quæ Patris eius sunt.* Item *inter Doctores audiens inventus*: non semper doce; etiam disce. Item avulsus à Parentibus tam sanctis. quid aliæ amicitiæ, quantùm deserendæ, si tam sancta etiam relinquitur, *nec Christus invenitur inter cognatos & notos?*

5. *Vive adolescentiam & iuventutem Christi.* Ille in laboribus à juventute sua; tu otio consenescis? Tribus ultimis annis patuit maximè, triginta annis ferè latuit. Plura in operto facienda, quàm quæ extrà patent; & *Pater qui videt in abscondito, reddet tibi.* De annis Christi ab anno duodecimo tacent Evangelistæ; rationem affert Cajetanus: *Quia nihil tunc singulare videbatur agere, sed communis tunc eius erat vita.* Siletur ergo de ijs annis in tempore

& in cælo, quibus *nihil singulare geris*? sed tamen satis te erudit hæc Christi ætas, in qua dicit: Adolescentulus sum ego & contemptus, justificationes tuas non sum oblitus. Satis erudit, cùm de illis annis audis: *Et erat subditus illis: Crescebat gratiâ: In his quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Nonne hic est faber?

6. *Vide Christi ætatem, etiam virilem. Vir fuit potens opere & sermone, operatus est salutem* in medio terræ, *cœpit facere & docere*, Ecclesiam fundavit & novam legem Gratiæ, mundum redemit, seipsum bis sacrificavit, in cæna & in Cruce; & tamen *tantus vir tam humilis corde, tam mitis, novissimus virorum*, non habet ubi caput reclinet, pertransijt benefaciendo, & *bene omnia fecit, bene omnia dixit*. Ecce Uir, *Oriens nomen eius* Oriens sol noctem & tenebras discutit; & tu lucem contine & sparge, esto oriens. Vir ille *Oriens, & pòst moriens*; sed sic oriatur in corde tuo, ut non extinguatur. Vir hic vitam finivit in Cruce, & tu virum hunc effinge; semper esto in Cruce, aut ultro quæsitâ, aut oblatâ; & alia decora hujus Viri æmulare.

§. XIV.

Omnis Iustitia.

Sic nos decet implere omnem Iustitiam. Matth. 3.

1. OMnem dicit *iustitiam*, non partem Iustitiæ. Hinc per Davidem dicitur de DEO: *Iustitias dilexit*; non justitiam tantùm particularem, sed omnes. In multis mutila est nec plena justitia: nec justitias accendunt; nec justitiam: exhibe tu in justitia & sanctitate omnia Deo, qui vult & facit ipse

ipſe perfecta ubique omnia. Nam ſi *alicubi iuſtus ſis, ſed non ubiq; ſi iuſtus aliquando, & non ſemper*; non das illi juſtitias, quas diligit, omnes. Imò nihil quodammodo illi das, ſi non omnem Iuſtitiam. nam ubi non eſt totum perfectum, eſt negatio perfectionis, quæ utique nihil dat DEO; nam negatio nihil eſt ejus, cujus negatio.

2. Homo, parvus mundus, quòd in eo compendiosè omnia, quæ in vniverſo: omnes in eo gradus ſunt ſubſtantiæ creatæ: habet eſſe, vegetari, ſentire, intelligere. Hinc *homo omnis creatura* juxta Gregorium in illud: *Prædicate omni creaturæ*. Ergonè quoad alia homo ſit omnia vel omnis; & non quoad virtutes, quæ ſunt in quocunque? Non ſit perfectior in naturalibus, quàm moralibus. Quare quidquid in aliquo pulchrum, quidquid virtutis videris, in te transfer: *omnis iuſtitia aliena, ſit tua*; tua ſit affectivè, tua per approbationem & complacentiam, *tua per deſiderium, tua per conatum*. Sic S. Antonius magnus quemcunque aliquâ virtute excellentem vidit, eum imitari ſtuduit. Et Angelos imitari licet decetque, ut ſis omnis creatura.

3 Contra quaſdam virtutes delinquitur tum per exceſſum, tum per defectum. Contra Iuſtitiam latè ſumptam pro ſanctitate & virtutum plenitudine aggregata, magis delinquitur per defectum. nemo enim nimiùm juſtus; imò *qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*. Defectus autem contra hanc juſtitiam fit vel per actus poſitivè contrarios juſtitiæ & ſanctitati omnimodæ; vel per negativos, nempe per carentiam plurium virtutum vel gradum virtutis cujuscunque: (*ut ſciam quid deſit mihi Pſal: 38*) ſeu per hoc, quòd non attigerit ſummum virtutis. virtus enim non in ſummo, eſt virtus adhuc quaſi cum defectu; quia illi aliquid ad ſummum deeſt,

& ali-

& aliquid ferè ex contrario ineſt. Nam actus remiſſi virtutum ſunt ſicut remiſſa qualitas in ſubjecto, ubi ſi tantùm ſunt quatuor gradus caloris, adſunt alij quatuor gradus frigoris; & ſi non ſit calor ut octo, ſemper eſt aliquis gradus frigoris, & defectus caloris in ſummo. Quare & virtus non in ſummo, eſt cum aliquo defectu ſaltem ſummæ perfectionis, ideoque non omnis juſtitia, quia adhuc aliquo carens gradu juſtitiæ. Ergo ſtude omni juſtitiæ ſine defectu.

4. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Nihil ita armat, ſicut virtus: ſed in hac ſpirituali militia non ſatis eſt munitus, cui non adeſt præſtò omnis armatura. Si enim unâ virtute in aliquo gradu polleas, & alicujus defectum in te patiaris; oppoſitum virtuti in te deſideratæ vitium te proſternet. Virtus pugnat contra vitia: quot ſunt vitia, tot hoſtes, qui te impugnant: omni hoſti debes te opponere ac oppoſita gerere tela, quæ virtutes ſunt. ergo omnes contra omnia, ſingulas contra ſingula debes gerere. Sic Gregorius dixit: *Dominus noſter contraria oppoſuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, elatis præciperet humilitatem.*

5. Iuſtitia *eſt virtus ad alterum.* vide ut omnis virtus, quæ eſt ad alterum, inſit tibi. quidquid alijs debes, redde: DEO amorem, reverentiam, ſervitium & ſubjectionem, laudem & gratiarum actionem & omnia; *redde, quod debes.* Superiorioribus obedientiam & obſervantiam ac timorem? *redde quod debes.* æqualibus charitatem, auxilium ſpirituale & corporale, omne quod tibi; inferioribus etiam illud Chriſti debes, *Et erat ſubditus illis*: creaturis uſum ad finem ultimum per modum mediorum, non abuſum per modum finis; *redde quod*

debes

debes, ut ſit in te omnis juſtitia & omnis virtus ad alterum. Sed ô quàm in te *diminutum tale omne !*

6. *Iuſtitia ſicut montes DEI:* ſic quandam juſtitiam exaggerat David. Sunt montes maiores & minores, accliues & declives ; ſed montes DEI intelliguntur altiſſimi, & intelligi per illos poſſunt Sancti, de quibus illud : *Levavi oculos meos in montes,* unde veniet auxilium mihi. Et illud: *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* Sit tua juſtitia & altiſsima & omnium juſtorum ; juſtitia, ſicut montes DEI. alioqui non adeo ſapit declivis juſtitia & vallibus concava, quas utique vult DEUS exæquari ac impleri, juxta illud : *omnis vallis implebitur.* Sic nos decet implere omnem juſtitiam.

7. Omnis juſtitia non tantùm ſit quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum. nam monet ſcriptura : *Iuſtè, quod iuſtum eſt, exequêris* Non eſt omnis juſtitia, dum *bona non benè,* juſta non omnimodè juſtè fiunt. Omnia *quæ placita ſunt ei, facio ſemper : & omnia, & ſemper.* & omnia placita, & modo placito. Sic etiam Paulus monet : *Omnia veſtra in charitate fiant : omnia,* ſubſtantiam operis indicant ; modum, *in charitate.* Sic & Lucas de Zacharia & Elizabeth : *Erant,* inquit, *iuſti ambo incedentes in omnibus iuſtificationibus Domini ſine querela.* En modificata juſtitia : *in omnibus , ſine querela.* David totis viribus ſaltavit ante Dominum : cauſa ex Abulenſi eſt : *Quia erat vir valde Deicola.* En modus. *valde.*

§. XV.

Paradoxa Evangelica.

Non omnes capiunt verbum iſtud. Matth: 19.

1. CONſtantinus Iunior Cæſar, ex Platone pulchrè dixit : *Difficilia, quæ pulchra,* difficilia & in-

& intellectu sæpe, & sæpius effectu. nempe laudem pulchritudini imminueret ipsa facilitas. Nihil pulchrius, quàm quod animum venustat; & licet quælibet virtus animo pulchritudinem conciliet, tamen quò virtus rarior, eò animus ab illa pulchrior; at virtus rarior, quò difficilior, & cuius rationem non omnes capiunt. Et tales virtutes in Evangelio instillatas Paradoxa hîc dicimus. Sed tu contende ad hæc difficilia, quia pulchra.

2. *Ingeniosam sanctitatem & non rudem tantùm atq; agrestem* nobis instillant Sacræ literæ. & pulchrum est in virtutibus etiam, ut in alijs vulgum excedere: pulchrum, si etiam in virtute ingenium exerceat Christiana sanctitas. nisi ita esset, non laudaretur ille, cui promittitur: *Fructum adinventionum suarum comedet.* ad ingenium inventiones pertinent non obviæ, quas & virtus admittit, & Scriptura exigit. Nam abnegare intellectum in obsequium fidei, inducere animum ad actus heroicos, sunt adinventiones non obviæ, nec omnes capiunt verbum istud: ut & Apostoli mysterium Crucis & Passionis Dominicæ ante eandem Passionem prædictæ non poterant capere, *& erat verbum hoc absconditum absconditum ab eis,* & non intelligebant, quæ dicebantur à Domino. Ergo ad sanctitatem ingeniosam & tu aspira; de qua hîc sub §. XXIV.

3. Pleraque in Evangelio videntur Paradoxa, sed in illis summa relucet sapientia & veritas. *Humanæ quidem sapientiæ illa* (ut loquitur Gregorius) *fatuum quid sonant*, & gentibus stultitiam; sed mundus potius desipit, qui arcana hæc ore Altissimi indicata non penetrat, nec admittit Sapientiæ increatæ oracula, in quibus est Philosophia Christiana. Profero illa:

Pri-

Primum: Qui odit animam suam, in vitam aeternam custodit eam: Qui amat animam suam, perdet eam. Sic amor est, ut pereat anima; odium animæ, ne intereat, ut miratur Augustinus!

Secundum: Recumbe in novissimo: Novissimi primi. Grande id mundanæ superbiæ Paradoxum. Consentit tamen Christi sententiæ veritas & Augustinus dicens: *Magnus esse vis? à minimo incipe. cogitas magnam exstruere fabricam celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.* Ad idem Paradoxum spectat illud: *Qui vestrûm maior est, fiat sicut minor;* & qui præcessor est, tanquam ministrator.

Tertium: Beati qui persecutionem patiuntur: Beati mites & Pauperes. Paradoxum id; nam non omnes beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. sed Crede Evangelio, crede Christo.

Quartum: Vende omnia & da Pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. Planè id paradoxum: Nihil habebis, & omnia habebis: abijce thesaurum, & habebis thesaurum: exue te omnibus bonis, & dives eris. At verè omninò; quia pro thesauro terrestri habebis DEUM & cælum, quo quid ditius?

Quintum: Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proijce abs te; si pes, abscinde eum.

Sextum. Septimum: Qui non odit Patrem & Matrem, non est me dignus: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos persequuntur, & orate pro persequentibus vos. Iubentur diligi inimici, & odio haberi cognati in via DEI nobis se opponentes? nempe *inimici hominis, domestici eius.* Quid illud? Cùm feceritis omnia, quæ mandaverint vobis, *dicite, Servi inutiles sumus.* Cùm *percussus fueris in unam maxillam, præbe & alteram.* Plura licet in Evangelio videre: sapit, qui hæc animo insculpsit,

psit, & factis exprimit. Hæc verò an non est ingeniosa nec vulgaris sanctitas ?

4. Apud Patres etiam plurima sunt salutaria Parodoxa Tale illud Augustini : *Disce non diligere, ut discas diligere : funde, ut implearis.* nempe ut intret mel, effunde acetum : *funde quod habes ; ut habeas, quod non habes.* Illa etiam Ægidij Abbatis pulcherrima sunt Paradoxa & verissima : Iactura temporalium, lucrum tuum est : *ut bene videas, claudendi sunt oculi : ut benè audias, aures sæpius obturandæ. ut bene comedas, ieiunandum ; ut bene quiescas, vigilandum est.* Si tibi moriaris, Christianè victurus es.

§. XVI.

Thaumaturgus

Seu

Mystica adumbratio miraculorum CHRISTI.

Fecit mirabilia in vita sua. Eccli: 31.

1. DEUS Pharaonis Moyses dicitur ratione miraculorum in Ægypto patratorum coram indurato Pharaone. ubi ergo vis patrandi miracula, ibi nota quædam Divinitatis. Eja serve DEI, esto ex illis, quibus dicitur Ego dixi, Dij estis. at DEUS de se ait : *Quid quæris nomen meum, quod est mirabile ? Omnipotens nomen eius,* qui facit mirabilia magna solus. Ad vim ergo patrandi miracula aspires, illa inprimis : *Fecit mirabilia in vita sua, qui potuit transgredi, & non est transgressus ;* facere mala, & non fecit.

2. Miracula virtutis maiora sunt prodigijs quibusque & portentis. Vnde de Gregorio Thaumaturgo

turgo quidam scripsit: *cùm tot admiranda patrasset, adhuc seipso nihil mirabilius effecit*: Miracula tantùm nobis pariunt admirationem; at virtutis miraculum etiam Christo, qui miratus fidem Centurionis dixit: *Non inveni tantam fidem in Israël.* Adhæc mira operantur & Dæmones, applicando activa passivis; at virtutis prodigia nulla patrare possunt voluntque. Et Iudas (ut de illo Aloysius Iuglaris) *dæmones fugare potuit, fugere nunquam*, quod tamen virtus præstat Denique Augustinus sic inducit loquentem Christum: *Discite à me non mundum creare, non mortuos scíscitare. sed quia mitis sum & humilis corde*; quòd hoc sit insignius quàm illud. Sic igitur Thaumaturgus esto; sic videare admirabilis; nam alia, quæ mirantur homines, talenta naturæ & fortunæ, miraculum virtutis non attingunt.

3. Aliqui habent vim patrandi miracula actualem & partialem, aliqui quasi habitualem & universalem. Non satis est, si uno tantùm vel altero vitæ actu sis mirabilis & laudabilis, sed semper & in quovis loco; non in actione tantùm, sed in modo actionis: non in executione tantùm, sed & in sublimi intentione; non in cursu tantùm operis, sed & in decursu: non in te tantùm, sed in alijs; habitu virtutis contracto ad facilè etiam, & libenter ac hilariter operandum ac tolerandum, non tantùm patienter: Denique ut omnia possibilia credenti, sic in omnibus thaumaturga sit virtus. Sic ergo universalem vim miracula virtutum patrandi habere cures. Porrò etsi nullus thaumaturgus omnia possibilia miracula faciat; tamen hic noster omni possibili modo virtutis & perfectionis audet omnia facere, vel desiderat. Nempe ex toto corde, totâ virtute, totis viribus jubemur diligere &c.

4. Christus inquit: *Et maiora horum faciet.* quod licet de miraculis intelligatur, tamen referri potest ad animi prodigia, quæ alijs potiora sunt. Ego aliqua mystica huiusmodi miracula proferam Christi miraculorum æmula, si non maiora dicere licet. *Primum*: Facere *ex aqua vinum*, hoc præstat modus sublimandi actiones etiam indifferentes ad altius meritum per intentionem sublimiorem & modum agendi singularem. at multi aquam DEO propinant & actiones ex se & ex modo agendi vilissimas; vino præstantiore dignius palatum DEI. *Secundum*: Dare *mutis loquelam, surdis* auditum, *claudis* gressum. Non minus est miraculum, in sensuum usum inducta rectitudo in se & in alijs, imò loquelæ usum tibi adime, cùm silendum potiùs est: surdus esto ad ea, quæ melius est non audire, & sic de alijs oppositis recto usui sensuum, & eris mihi quidam Thaumaturgus. *Tertium: Mortuos suscitare* & morbos pellere. Maius est *vivere semper DEO, mori peccato*: maius item, è veterno peccati & sepulchris concupiscentiæ scelestos extrahere; nam *peccatorum conversio* juxta Augustinum *est opus Excelsi*; juxta Chrysostomum est *maximum miraculum*, imò *præstantius* esse censet idem, *animæ per peccata mortuæ vitam restituere, quàm revocare ad vitam mortuorum corpora.* Denique Augustinus dicit: *Hominem te fecit DEUS; si tu facis te ipsum iustum, melius aliquid facis, quàm facit DEUS.* ubi intellige de tua cooperatione ad salutem cum auxilio gratiæ. *Quartum*: In alijs rebus creatis, ut in tempestate sedata, panibus multiplicatis est miraculum; sed *potius quid* putatur, si *tu obedis Creatori, quàm si tibi venti*; si comprimis passiones animi indomitas, potius, quàm tempestates; maius item est, si augeas incrementa frugum justitiæ tuæ

& alie-

& alienæ. *Quintum*: Memoriam mirabilium DEI vocamus SS. Euchariſtiam: maximum miraculum, quòd panis verbo DEI mutetur in Chriſtum. Tu ſi in eundem muteris amore transformante, grande exprimes miraculum, & mutationem.

§. XVII.

Transfiguratio Myſtica.

Hæc mutatio dexteræ Excelſi. Pſal. 76.
Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Philip: 3

1. DIcatur de te: *Quantùm mutatus ab illo!* Configurare ergo corpori claritatis Chriſti, ſolem induere amictus lumine, quod *luceat & ardeat.* Sed hæc *transfiguratio ſit ſeorſim*, & tu in ſolitudine cordis ſeu ſequeſtratione illius à terrenorum ſtudio. nam tumultus & turbæ frequentia mutationem ſæpe impedit. *Fit eadem in monte.* nam valles & infimorum amor virtuti obſtant: altiora quæſieris, nec humi repe. *Fit in monte Thabor*, quod interpretatur Electio & Puritas. juvat enim ad transfigurationem illuſtrem tum electio illa: *Elegi abiectus eſſe in Domo DEI*, quàm habitare in tabernaculis peccatorum; tum electio illius dilecti votorum tuorum, qui dicitur *Electus ex millibus. Si electio eſt actus præconſiliati* juxta Philoſophum; præconſiliari non poteris, ut melius quid eligas, quàm ſit ferventer ſervire DEO & in puritate cordis.

2. *Ut ſol, ut nix.* Candor lucis æternæ ſic transfiguratur; nec candor eſt ſine luce, nec lux ſine candore. Dicebat Gregorius: *Nec caſtitas ſine bono ope-*

no opere, nec opus bonum aliquod est sine castitate; & munditia adsit, & lumen veritatis in operatione. Sit ergo lucerna lucens & ardens, sed in candida cera. Tamen candor animi & puritas debet esse *ut nix, non* verò *mera nix*, quæ facilè liquefiat & evanescat: similitudo candoris tantùm à nive transferatur, non instabilitas candoris & virtutis, aut etiam frigus. Item Sol esto, ut sol in virtute sua, dum nihil obstat: *Sol* esto, id est, *Vas admirabile, opus Excelsi*; esto sol, qualis in vultu Christi, sine mutatione ortûs & occasûs. sanè illustria opera, intentio excelsa, est ut sol in auge positus; ex qua non declinet. Denique sol esto, qui oritur super bonos & malos.

3. Sol in vultu; nix in vestimẽtis, id est lux animæ, candor corporis & exterior viuendi ratio sit inculpata. Ex vultu dignoscimus & dignoscimur. Sic intentio & conscientia distinguit lucem à tenebris, & filios lucis à filijs tenebrarum. Beatus, cui cessit in vestimentum candor, & ambulat ut illi in Apocalypsi amicti stolis albis! nam mali amicti sunt velut diploide confusione suâ: habent, unde erubescant, cultus illorum rubeus, qui etiam Christo induxit vestem coccineam. Sangvis certè Christi dealbat, non rubefacit. unde aliqui dealbâsse dicuntur stolas suas in sanguine Agni.

4. Elige, quomodo transfigureris, an ut in Christus in monte Calvario, an ut in monte Thabor. Sed si sapis, illa transfiguratio in Christum Passum, illusum, Cruci affixum, à te exigitur, estque causa alterius. Et sanè pulchrius est illis Christi illusi insignibus indui, dum vivis, quàm glorificari. amor etiam ille Christi in mensus in Calvario monte tibi exhibitus vult pariter & Christiformiter redamari. Denique Paulus dicit:

Quos,

Quos, prædestinavit, vult DEUS conformes fieri imagini Filii sui Crucifixi.

5. Variam tibi Transfigurationem adhuc propono. *Prima transfiguratio in Angelum lucis*, sed vera, non phantastica & illusoria, prout dæmon etiam se transfigurat. Vive Angelicè, ô Conviva Angelice; sis ut Angelus in carne, sit in te Angelica puritas, sis unus ex illis, de quibus dicitur: Ite Angeli veloces: sit omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sint opera illustria digna Seraphico contubernali: sit locutio Angelica, Seraphicus amor in DEUM. *Secunda Transfiguratio in DEUM*, sis ex illis, *Ego dixi, Dij estis*. Esto non ad instar Luciferi, similis Altissimo, quoad expressionem eius quorundam attributorum in moribus, ut quoad viscera misericordiæ DEI super alios, quoad curam illius, ut sicut in DEO est omnis perfectio quam in illo est melius esse, quàm non esse, sic in te. Sed de hoc tum hîc §. 43. tum in Face viæ Unitivæ §. 17 Huc serviet illud: *DEUM diligis? DEUS es*. Item illud Dionysij: Tu autem Divina dicendo, Divinus efficere. Sic affici, Deificari est. *Tertia Transfiguratio in Christum*, quæ fit etiam in SS. Eucharistiæ debito usu; de quo Christus ait apud Augustinum: Tu mutaberis in me. Huc conducit Christi omniformis imitatio. *Quarta* Transfiguratio per Metempsichosim quandam in *Sanctos* primos tui Ordinis, vel alios, ob quorum in vita sanctiore expressionem dicas, vivo jam non ego, sed vivit in me Ignatius, Vivit humilis Franciscus, &c.

6. Denique audi in monte Thabor vocem multiplicem. *Prima est Petri*: *Bonum est nos hîc esse*. melius in Cruce. Dictum hoc Petri reprehendit sacer textus. *Nesciebat, quid diceret*. Et plures eidem

dem reprehensioni sunt obnoxij, qui ibi felicitatem suam bonumque proprium reponunt, ubi non est: dicunt *bonum est hîc vel ibi esse*, cùm non sit. *Altera vox* Christi cum Moyse & Elia. *Loquebantur de excessu, quem completurus erat in Ierusalem*, seu de Passione obeunda, & excessu amoris in Cruce nobis ostendendi, & ostensi. Hæc audi, & ad nimiam charitatem accendere. *Tertia vox* Patris Æterni: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite*. Duo adverte: *Bene mihi in eo complacui*; nemo in ulla re sibi meliùs complacet, quàm in DEO & Christo IESU; in alijs non item. Adverte & ad illam exhortationem: *Ipsum audite*; & audi quæ docet Christus verbo & opere. Nam & facta illius, verba sunt & suam linguam habent.

§. XVIII.

Miles sub aquilis CHRISTI.

Milita bonam militiam. 1. Tim: 1.
Sicut Aquila provocans pullos ad volandum, & super eos volitans: Deut: 32.

1. MUltùm interest, quem Ducem sequaris. *Dux Christus, antidux diabolus.* Nemo non militat, dum vivit; nam militia vita hominis super terram; sed militat vel sub Duce Christo, vel sub pseudoduce diabolo: vel contra illum, vel contra hunc. At malè militatur sub cæco duce; nam & miles cæcus ad imperia sub cæco ductore, quid nisi præcipitia & cladem ac ruinam speret? Lucifer autem cæcus est; nam priuatus visione beatâ, ad tenebras damnatus, lumen amisit. Væ item sub molli duce militi; nam deliciæ enervant
vel

vel fortissimi robur; nec cælestis laurea invenitur in terra svaviter viventium: Lucifer verò dux mollis & imbellis; in Paradisi DEI delicijs fuit, & ibi cecidit: una illum profligavit superbia. Tu Ducem hunc maximè cave, qui non ducit, sed seducit: ducit, ut seducat; nec tecum est, sed contra te; apud quem stipendium mors; præmium militare, interitus. Et talis est Dux est orcigena, talis signifer cum tribunitijs superbiæ, avaritiæ & voluptatis copijs. Denique horror est, si dicatur, quòd sis sub vexillo diaboli.

2. Dux Christus super omnes. Pulcherrimum, cuius Dux ipse DEUS, ut dicatur: *Dux fuisti in misericordia populo tuo.* Dux in columna ignis & nubis: nam diu noctuque pugnandum est sub hoc duce; juxta illud: *Domine, memores mandatorum tuorum etiam in somnis resistimus.* Quamvis qui sequitur hunc Ducem, non ambulat in nocte & tenebris; Lucerna est & Agnus: ibi tenebræ regnant, ubi Dux idem, qui Princeps tenebrarum. Ergo quod dictum Simoni Machabæo, tu dices Christo: *Tu dux noster eris*, pugna militiam nostram. Qui miles est Christi, est ut Dux Christus; nam se Duci suo conformat; & ipse *Dux* hoc à suo milite requirit, dum illi exemplum dat, dicitque: *sufficit servo, si sit sicut Dominus eius.* &c.

3. In huiusmodi militia varietas relucet: *alij cataphracti*, quibus galea salutis, lorica justitiæ, scutum inexpugnabile æquitas, & gladius verbum DEI: *alij Velites*, & equites phraretrati; quorum cuilibet dicas: *Sagittæ tuæ acutæ*, populi sub te cadent: alij sunt adhuc in exercitio militari, alij ad sarcinas. Sed ubique & in omnibus te proba Duci tuo, ut monet Basilius. Non esto gregarius, sed strenuus inter primos miles, nec illud tibi in-

hære-

hæreat, quòd *nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur*, ut canit Lucanus.

4. Leges huius militiæ & officia. 1. *Quò Dux, eò miles:* Militi huic dicitur, sequere me. 2. *Quæ insignia Ducis & cibaria, eadem militis sunto.* dura omnia Dux iste perfert, etiam miles ferat: sufficiat militi, si sit sicut *Dux* eius. 3. Horum militum arma *mille clypei, omnis armatura fortium*, dicuntque: In quo quis audet, audeo & ego. 4. Eorundem *Christi militum virtus est*, generosus in ardua ardor, heroica fortitudo in expugnatione amoris proprij & mundani, paupertas & despicientia sui, amor crucis; nam & Christus pugnavit *orbemq; domuit non ferro, sed ligno* crucis. 5. Eidem militi incumbit *stratagemata adhibere & cuniculos*, excursiones, irruptiones, vigilias, ne qua præda fugiat animarum, ne laureæ occasio cælis effluat, ne non ubique Christus & pietas triumphet. Eorundem militum est, se & alios propugnare, pugnare ad dexteram & sinistram, per infamiam & bonam famam; item in hostilia castra irruere, nempe oppugnare cohortes Voluptarias sub ductrice Libidine collectas; oppugnare cohortes Idololatricas sub duce Avaritia militantes, & cohortes Luciferianas sub ductrice superbia & ipso duce superbiæ emeritas. Eia milites Christi, eripite tot captivos hosti, Orco tot animas: vincite Christo & per Christum.

5. Stipendia militaria, *tum corona iustitiæ*, quam dabit Dux in illa die bonum certamen certanti, & coronabit eum qui legitimè certaverit; *tum* illud: *Vincenti dabo sedere in throno meo*, sicut & ego vici & sedeo in throno Patris mei: *tum tribulationes;* nam hæ coronam nectunt & perficiunt, ut sanctæ Liduinæ ostensum ab Angelo. Denique *amor nunquam*

nunquam fecit ſtipendium, ait ille; & amor ſolus Ducis optimi in hæc bella acuet. nam *Dux in lorica; tu auſis ſtertere in pluma? ille in ſpinis; tu velis degere in roſis?*

§. XIX.

Doctor Humilitatis.

Diſcite à me, quia ſum humilis corde. Matth: 11.

1. VNus eſt Magiſter veſter Chriſtus, ait ſacer textus. Multa hic Magiſter docet; *unum eſt neceſſarium*, quod univerſa lex docet & Prophetæ, *nempe charitas; alterum*, quod ſpecialiter docet Chriſtus, *eſt humilitas virtus Chriſti* juxta Bernardum. illam mandatum vocat, hanc etiam ſuam doctrinam; nempe illam ſpecialiter docuit à Natiuitate ad ultima, verbo & exemplo, dixitque; *Diſcite à me &c.* Utinam tamen omnes ſint docibiles DEI quoad hanc doctrinam! ſuperbia illam non capit, & plerosque vertigo capitis invadit, qualis in Lucifero. *Luciferianorum eſt ſuperbia, quæ* tamen *ſe* humilitatis obtentu *palliare appetit, ne vileſcat.*

2. Gymnaſium hoc aperuit Chriſtus, ad quam pertinent cæli Candidati. nam qui ad Superbiæ claſſem pertinent, è cælo cum ſuo doctore proſcribuntur. Porrò in ſchola hac Chriſti nemo ſic proficit, ut illam deſerere nunquam poſſit. *Semper* ſit ſtudioſus humilitatis, & diſcipulus Magiſtri Chriſti, quisquis degit in terris, & in ſpe Paradiſi: ſi extra hanc ſcholam abit, jam eſt *ſub Dæmonis magiſterio*, nec promovendum ſe ad cælum putet. Hinc ſcies, *quis ſit diſcipulus Chriſti, quis diſcipulus diaboli.*

3. Ratio perpolitur in ſcholis; ſed ſine humilitate

litate nullus est rationis usus: delirat, qui est sine illa; nam est sine sapientia Christi, vel est sapientiâ instructus oppositâ sapientiæ Christi: non est recta ratio; ubi nec recta scientia, nec recta conscientia. Quæ enim ibi rectitudo, unde præcipitium in barathrum cum Lucifero? Rectiùs habet ratio sub Doctore Christo, de quo est illud: *Non faciam ultra auolare Doctorem tuum.* nam alij avolant, quia sunt ut pluma, quos ventus rapit. Doctor superbiæ avolavit è cælis, nec redibit: Dux humilitatis Christus manet in æternum, quem oportet suscipere cælum.

4: *Qui insipiens est, declinet ad me; & egentibus sensu dixit, Venite.* Qui caret suo sensu, hic capax est doctrinæ Christi. Eget sensu, quisquis nec illud didicit: *Quid habes,* quod non accepisti! nec illud: *Uniuersa vanitas omnis homo* vivens. Docebit tamen Christus & talem venientem ad se, adeò ut dicat breui: *Optaui, & datus est mihi sensus.*

5. Doctor hic cathedram fixit primò in utero Virginis, ubi exinanivit semetipsum humilians se & formam serui accipiens: deinde in stabulo, ultimò in patibulo Crucis. Facto disertiùs docuit hanc virtutem seu uberiùs; nam etiam hæc schola non auditoribus eget, sed factoribus. Exercitatione opus est, & *nemo peruenit ad virtutem humilitatis, nisi per viam humiliationis.* In sua verò cathedra Doctor hic inculcat tum illud: *Quantò maior es, humilia te in omnibus;* tum illud: *Qui* se humilat, exaltabitur: tum illud: *nisi* efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in cælum.

6. Sensim & per gradus ad huius doctrinæ comprehensionem pertingitur. Gradus sunt hi juxta S. Ignatium nostrum: *subdere se legi Diuinæ & humanæ, sub graui vel leui noxa obliganti,* ita ut nullum

nullum bonum malumve creatum te ab hoc abstrahat gradu seu dimoveat. *Insuper*, ut Christo humili & despecto sis similior, etsi par DEI gloria foret in tuî exaltatione & depressione; tamen velle potiùs despici & insipientiæ titulum amplecti.

Gradus alii eiusdem doctrinæ & humilitatis ex S. Thoma sunt hi: *spernere cuncta*, *spernere nullum*, *spernere sese*, *spernere sperni*, imò & amare sperni.

Alij gradus tres: *subdere se maiori, nec præferre æquali*: *subdere se æquali, nec præferre minori*: *subdere se minori, sicut Christus, qui erat subditus illis*. Alij gradus sunt hi: *Fuga* ambitionis, *fuga* præsumptionis, *fuga* hypocrysis, *fuga* jactantiæ, *fuga* magni nominis, *fuga* æstimationis tui ipsius, sed potiùs vilipendi velle & teipsum vilipendere ratione tui nihili, ratione peccati, ratione ignorantiæ naturalium & supernaturalium, ratione propensionis ad malum; ratione tot fæditatum animæ & corporis.

7. *Societatis nostræ humilitas* præter dictos gradus habet insuper, *quòd* nulla sit eminentia personarum ac exceptio in mensa & confessibus: *quòd* per undecimam regulam summarij Constitutionum nostrarum præscribatur, ut stulti haberi velint, & falsa testimonia pati non datâ causâ: *quòd* manifestationem conscientiæ faciant Superiori vel alteri designato etiam extra Confessionem: *quòd* sese subijciant Superiori cuicunque ut Christo, etiam medico, coquo, campanæ propter Christum: *quòd* cedant juri famæ suæ quoad delationem defectuum à quocunque in ijs notatorum extra confessionem: *quòd* exercitia humilitatis varia habeant in duplici probatione, etiam in sacerdotio:
quòd

quòd ſeſe demittant ad puerorum eruditionem, catechiſmum, & in fimo jacentium ac patibulariorum auxilia ſpiritualia: *quòd* agreſtes adeant, incarceratos & Xenodochia &c.

8. Modus ſanandi ſuperbi juxta Baſilium eſt, ſi credat illi ſententiæ: *DEUS ſuperbis reſiſtit.* timeat, qui adverſarium habet DEUM. Succumbet tam potenti æmulo.

§. XX.

Spiritus CHRISTI
&
Sententia Sanctorum,

Seu ſenſus de ſeipſo humillimus.

Quid dicis de te ipſo? Ioan: 1.
Venit Ieſus peccatores ſalvos facere, quorum ego primus ſum. 1. Tim 1.
In ſpiritu humilitatis ſuſpiciamur à te Dne. Dan: 3.

1. NOn eſt in te minor *abyſſus nihili*, proinde & contemptibilitatis, quàm in DEO ſit abyſſus contrarij nihilo Creaturæ. Quidquid enim per naturam abyſſaliter ineſt DEO & neceſſariò, idem neceſſariò non eſt in te. Et illa Divina Abyſſus inſcrutabilis eſt *quâ maior non*; & tua. Quid ſe igitur & quo ulli præferat abyſſus nihili tam immenſa, cùm nihil æſtimabilitatis habeat immenſum chaos ſolius vilipendentiæ? Si dicas, aliam abyſſum maiorem eſſe in peccatore ratione peccati, quæ eſt maior & deteſtabilior abyſſus; *inprimis tu in utraq; abyſſo es, & nihili,* & peccati: deinde ſupra

illam peccati abyſſum nil habet abyſſus nihili, quo ſe præferat, quia merum nihil eſt, & ſolius miſeriæ ac contemptibilitatis chaos, & nullius æſtimabilitatis. Denique quòd alter magis peccaverit, quàm tu, magis te id debet humiliare; quia id arguit infirmiſſimas vires tuas, quæ niſi fuiſſent præventæ gratiâ naturæ vires ſuperante, vel niſi ſubtractæ fuiſſent tibi à DEO occaſiones tuæ ruinæ, ruiſſes in omnia flagitia; quâ efficaci gratiâ & ſubtractione occaſionum caruit alter ille, & ſponte liberèque corruit. Certè *magis B. Virgo inde ſeſe humiliabat, quòd fuerit præſervata à peccato, quàm S Magdalena ob ſua peccata,* ut ſenſit quidam recentior Aſcetes.

2. *Quantò quis ſanctior, tantò humilior.* Patet id in Sancto Sanctorum Chriſto, in B Virgine, in S. Ioanne Baptiſta. *Idem* ſymbolicè exprimit arbor gravida, & ſpica inanis; illa demittitur, hæc attollitur. *Nempe* neceſſariò debet ſanctitati ineſſe humilitas, & in omni actu virtutis & gradu ſanctitatis imbibi; nam virtus placet, at diſplicet virtus ſuperba. *Adhæc* quantò quis propior luci, meliùs videt: at ſanctior, luci, quæ DEUS eſt, propior eſt; plus ergo habet luminis, ut videat ſuum nihilum & iniquitatem ſuperbiæ: quia iniquum eſt ſibi arrogare ſanctitatem, quæ eſt donum DEI, & à ſupernaturalibus auxilijs dependet, ſine quibus nil præſtari poſſe meritorium vitæ æternæ, eſt indubitatum. *Item* arbor ſimul mittit radicem deorſum, & ramum ſurſum; profundiùs ſerpit, dum in ſublime erigitur. *Et Luna Eccl. 43.* dicitur luminare, quod minuitur in conſummatione; quia decreſcit, cùm pervenerit ad perfectionem ſeu plenilunium. Sic qui ad culmen perfectionis aſcendit, per humiliationem ſe demittit, & quaſi diminuit, ut rur-

ut rursus crescat. *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor*. Denique majorem superbiendi ansam habuit apostata Angelus ex donis naturæ & gratiæ; tamen illi superbire non licuit citra damnationem.

3. Humilitas est egressus à DEO in seipsum, non quidem exitus à DEO supra DEUM, vt facit Superbia; sed à DEO ad DEUM, de abysso DEI ingressus in tuam abyssum, ac si dicas: Quis ego sum, & quis tu Domine? *tu qui es, ego qui non sum*. Item est exitus à DEO infra DEUM & infra omnia. Qui sic egreditur, cælum ingreditur.

4. Humilis se infra omnes abijcit velut omnium vilissimum & postremum; nempe (ut ait S. Thomas) *secundùm id quod suum est, quantum ad id, quod est DEI in proximo*. Imò humilis etiam infra peccatores omnes abjectissimos se reponit, tum quia dicit Scriptura: *Qui se aliquid putat esse, cùm nihil sit, ipse se seducit*; nihil autem cui se præponat, cui non subijciat? Tum quia secundùm id quod ex seipso homo est & habet; est tantum nihil, & peccator, rueretque in omnia flagitia & alienis majora, nisi DEUS præservaret: Tum quia hic sensus de seipso vilissimus DEO placet, cui utique placet veritas, & non diligit mendacium: Tum quia, ut monet religiosissimus ille scriptor, *non nocet, si te omnibus postponas; nocet autem, si vel uni te præferas*: Tum quia quantumcunque depresseris te infra alios, nunquam ad humilitatis & humiliationis Christi mensuram pertinges; conare ergo saltem, quantum maximè putes; nam illum imitari tibi incumbit.

5. Sanctorum exemplo, qui de seipsis humilimè senserunt, adhuc te humilia. S. Paulus Apostolus de se dixit: *venit IESVS peccatores salvos facere, quorum ego primus sum*: at tu non melior Paulo, nec ei æqua-

ei æqualis, qui etiam dicit: *Ego sum minimus* Apostolorum, nec dignus vocari Apostolus. S. Augustinus se vocat *Primum & postremum peccatorem*. S. P. Ignatius *postremum mortalium* se dicebat: omnes gratijs datis meliùs usuros; etiam tyronem postremum sibi exemplo & stimulo esse ad virtutem. S. Philippus Nerius dicebat: *Nisi me gratiâ tuâ prævenires Domine, tui lateris vulnus ego hodie dilatarem,* & te ut Iudas venderem: Idem nil dignum æternâ vitâ se egisse, nulli proficuum asserebat. S. Dominicus ante urbium ingressum flexo genu DEUM rogabat, ne urbem illam puniret, eò quòd ipse *mortalium scelestissimus* eam intraret: S. Franciscus se *mortalium nequissimum* sentiebat. S. Borgias se *ad pedes Judæ* indignum jacere reputabat. S. *Catharinæ Bononiensi* nec Angelus persvasisset facilè, illi aliquid inesse boni, nec in inferno suis abominationibus parem locum reperiebat; ibi enim est aliquid boni, nempe Iustitia Divina; in se verò mera malorum colluvies, omnis boni expers. Hæc Sancti dicebant *æstimandi affectione, non mentiendi præcipitatione*, ut ait Bernardus. Par affectio Coriarium Alexandrinum Antonio magno majorem effecit: nam cùm ab eo rationem vivendi exquireret Antonius, respondit sese, dum quoscunque homines obvios haberet, cogitare, omnes in Paradisum ituros, se verò in infernum. Inspice & fac, sentique juxta exempla, quæ proposui.

6. *At verò dona DEI,* & cùm aliquid laudabile videris facere, *ne te efferant, hæc cogita*: Tum quia dona DEI, & opera bona agis DEO quasi scriptore manum pueri ducente; unde *DEUS dum coronat merita nostra, coronat munera sua*; quid enim est, quod non accepisti? interrogat Paulus. Tum quia pauca & exigua sæpe sunt illa, quæ agis, vel

habes, seu in se spectata, seu comparatione alienorum: Tum quia ab illo repeti possunt, à quo profluxerunt: Tum quia DEUS bonorum nostrorum non eget, unde ait Chrysostomus: *DEUS tuâ laude non indiget; ab æterno sine illa fuit, unde contempsit*: Tum quia si hoc, quod habes vel facis, est egregium; at id destruit actus superbiæ, & magis te hic dehonestat, quàm actus bonus exornet: Tum quia bona nostra sunt limitata, deficientia, nec sine aliquibus nævis frequenter: Tum quia per nullos tuos actus bonos potes exhibere DEO æquivalens pro offensis ejus gravibus; & majus est, quòd deliquisti, quàm quod exhibes bonum: Tum quia nescis, an actus illi sint supernaturales (nec an odio & amore sis dignus) si verò sint, non potes illos elicere sine auxilio DEI speciali, imò nec alios actus non supernaturales sine concursu causæ primæ; nam universaliter dicitur de DEO *Eph: 1. Qui operatur omnia in omnibus.* quare dic cum Guilelmo Parisiensi; *Vade, gloria, ad eum, cujus es*: Tum quia plura & maiora, quàm tu DEO exhibeas, tibi promittit DEUS, id est, seipsum: *Ego ero merces tua magna nimis*: tum quia nescis, an perseverabis in hoc bono & alio maiore: Tum quia ex te nihil habes, nisi nihilum tui & peccatum; en quàm præclarus es! Tum quia Christus monet; *cùm feceritis omnia, quæ mandaverint vobis, dicite, servi inutiles sumus*: Tum quia juxta Augustinum *diabolus superbiâ & invidiâ diabolus est*; vide ergo, ne in eum tumore transeas: tum quia nec es, nec eris, ut Christus & B. Virgo, tamen illi tam humiles, etsi ille in lumine Beatorum omnia in se præclarissima viderit, qualia non sunt in te: tum quia quæ benè agis, respectu Divinæ dignitatis ac præmij infiniti est velut nihil & leve: Tum quia

actus

actus quo tibi complaces in bono actu, est quid creatum & deficiens, actus verò quo DEUS amaret tuum actum bonum, est DEUS ipse seu actus complacentiæ Divinæ æternus; quid ergo eligas potiùs tuo actui bono in præmium, an æternum hoc, & DEUM actum purissimum, an tuum actum complacentiæ peccaminosum & periturum? Denique non sis ex ijs, qui *confidebant in se tanquam iusti*. Tres titulos tuos semper recole: *Nihilum, peccatum & universa vanitas*. nam Scriptura dicit: *universa vanitas omnis homo vivens. Psal. 38* &c.

7. P. Cornelius Vischæus (qui etiam mortuum suscitâsse dicitur) sic dicebat: *sicut DEUS mundum ex nihilo condidit, ita in effectibus spiritualibus vult omnia efficere ex nihilo, id est, ex homine, qui nihil est, & nihil se esse reputat* juxta illud: *Substantia mea tanquam nihilum apud te*; quod si de substantia, hoc est, de rebus grandioribus censet, multò minus de alijs minoribus, velut de accidente. Concludo sententiâ S. Thomæ qui ait: *Qui delectatur risu & dissolutione, qui appetit honores, qui agrè fert vilem de se opinionem; etsi miracula faceret, non est perfectus*. Intellige id, superbe, & sufficit; uti & illud, quòd dæmon semel Christo dixerit, *Mitte te deorsum*; Filijs hominum semper dicat: *Attolle te sursum*.

§. XXI.

Scientia Sanctorum.

Dedit illi Scientiam Sanctorum. Sap. 10.
Sapientiam Sanctorum narrent populi: Eccl: 44.

1. DAri Scientiam Sanctorum patet tum ex loco citato Scripturæ; tum quia exigitur daturque

turque timor Domini, de quo 28. *Iob* dicitur: *Ecce timor Domini ipsa est sapientia; & recedere à malo, intelligentia.* Porrò si Rex ille Assyriorum (ut habetur in libro Danielis) ephebos, qui possent stare in eius Palatio, elegit eruditos omni sapientiâ, cautos scientiâ & doctrinâ; etiam Rex cæli vult servos suos esse instructos Scientiâ Sanctorum.

2. Hæc Sanctorum scientia est habitus conclusionum Practicarum, quæ inferuntur ex cælestibus præmissis, & ex Christi ac Sanctorum instantijs. *Item* Sapientia hæc procedit per causas universalissimas, quia docet operari juxta æternas ac æternæ veritatis rationes, omnibus ad eam sapientiam contendentibus communes. *Eadem scientia* est *contemplativa cælestium, vix memorativa terrenorum: Speculativa* æternorum, tamen *simul Practica*: nam hic discipulus vel servus *sciens & non faciens* plagis *vapulabit* multis. Item hæc scientia subalternatur scientiæ Beatorum: nam quod illi obtinent in re, nos in spe per motus similes supernaturales in DEUM; & principijs cælestibus *doctrina hæc innititur, non principijs merè politicis*, vel apparentibus & in speciem veris, nec ad æterna conformibus; *qualia Principia sunt: sequi ductum naturæ & propensionis: sequi alios imperfectiores, nec id agere, quod per leges & lumen è cælo inditum debetes, sed quod ab alijs etiam tepidis fieri vides, ceu illi sint agendi regula:* item alia similia principia, quæ nec tutam gignunt scientiam, nec bonam conscientiam.

3. *Obiectum scientiæ Sanctorum* est DEUS & quod placet DEO, etsi displiceat sensui & mundo. Quamvis autem universaliter feratur in omnia in quibus voluntas DEI bona, beneplacens & perfecta cernitur, tamen ad singularia & supra vulgi virtu-

tem aspirat, juxta illud: *Vos autem non sic;* non sicut alij imperfectiores, sed ut illi, quibus dignus non erat mundus, ut ait Paulus.

4. *Ars artium est ars amoris Divini* juxta Bernardum. At scientia Sanctorum hæc est ars artium, in hac se primùm & potissimùm exercent. Et quia amor hic est ingeniosus, est fortis, non mollis; sapientiam loquitur, quæ est inter perfectos, cuius hæc sunt dogmata: *Non sapere secundùm carnem: sapere ad sobrietatem: scire IESVM crucifixum: scire uti temporalibus ad æterna, lucrari æternum momentaneo, non quiescere finaliter nisi in æternis vel ad æterna: non frui utendis: temporalia intueri ut transeuntia cum tempore, velut radios* à sole, rivulos ab Oceano immensæ bonitatis & dulcedinis DEO, ut atomos ex Mundo increato prodeuntes: Item *nosse uti tempore, aggregare merita & sublimare ac industrias id præstandi excogitare: esse contrarium mundo, cupiditates frangere: nec terrena, nec altum sapere: subijcere se omni creaturæ propter DEVM, esse stultum propter Christum.* Hæc sunt huius Scientiæ placita, hæc principia.

§. XXII.

Schola Sophomoriæ

Seu sapiens stultitia.

Stultus fiat, ut sit sapiens. 1. Cor: 3.

1. TAlium stultorum *non est infinitus numerus*, sed exiguus. Pulchrius tamen est inter hos inscribi, quàm inter Doctores terræ. *Fatuitas hæc non caret Patrono*; quia DEUS illam approbat, qui, quæ stulta mundi, elegit; estque hæc stultitia propria

pria *Personarum promotarum vel promovendarum ad cælum*. Pulchrum est, si quis in hoc sensu dicat tibi, *Fatue*. Scripsit nonnemo *Encomium stultitiæ*; hæc sola, de qua hîc agimus, encomium meretur stultitia.

2. Ante Christum pauci in hac schola fuêre David de se ait: *Quia non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini*. Satis sapiens hic illiteratus, quando illi occulta sapientiæ DEI manifestantur! idem tamen finxit amentiam apud Regem Achis; sed hîc non fictam adstruimus. Post Christum in veste alba derisum ut stultum, in hac schola perfectissimi fuêre Apostoli, qui de se aiunt: *Nos stulti propter Christum*; qui etiam gentibus crucis mysterium prædicârunt, quæ gentibus est stultitia. Ex eadem palæstra fuêre Simeon Sali, Iacoponus, & alij, quorum derideri visa est simplicitas. Tu huic stultorum syllabo te inscribe, ne inter illos, qui serò sapiunt, conqueri contingat: *Nos insensati*; vitam illorum æstimabamus insaniam! at ô felix insania! nolim aliter sapere, quàm hi insani sapuerunt computati inter Filios DEI.

3. Hec illa est stultitia, quam toties nobis suadet S. Ignatius: *velint*, inquit, *ob Christum illusum, insipientiæ titulum amplecti; stulti haberi & existimari*. Nempe huius scholæ auditoribus illud Christi axioma tenendum: Non est discipulus super Magistrum; sufficit illi, si sit ut Magister eius. Si ergo gentes ob crucem stultitiam Christo impingunt; quid velit discipulus Crucis Christi? dicat cum Davide: *Ludar, & illudar ac vilior fiam* &c.

4. Actus *Sophomoriæ* describit Beda sic inquiens: *sapiens illa stultitia est, rapta reddere, propria relinquere, visibilia contemnere, pro invisibilibus mori desiderare, seipsum abnegare*, Domini sequi vestigia

concu-

concupiſcere. Exercitium ergo huius ſapientis ſtultitiæ poteſt eſſe negativum vel poſitivum. *Negativum eſt*, non jactare ſcientiam, nec aliquid extra promere, quò honorificè ac doctus habeare: non propulſare de te opinionem minus docti vel minus prudentis: non optare magni fieri vel celebrari: non inhiare laudibus nec ijs obleƈtari: non vindicare injuriam; non acquieſcere carni & ſangvini. *Poſitivum*: ut exercere quatuor illa ex S. Thoma allata: ſpernere cuncta, ſpernere ſeſe, ſpernere ſperni: item quærere & amare ſui contemptum & deſpicientiam: noviſſimum locum tenere, & ambire: eſſe contrarium ingenio & ſapientiæ mundanæ: terrenis nuntium remittere, vincere in bono malum. Eadem ſapiens ſtultitia abnegat intellectum in credendis myſterijs fidei; in obedientia cæca erga Superiores cum abnegatione voluntatis & judicij proprij, ratione cuius *obedientia dicitur privare diſcretione inter divitias diſcretionis*. Sane non talibus fatuis ſponſus dicit: Neſcio vos; ſed tales intrant cum eo ad nuptias, & cum prudentiſſimis.

§. XXIII.

Prudentia Servorum DEI.

Fidelis ſervus & prudens Matth: 24.
Eſtote ergo prudentes. Matth 10.

1 LAudatur in Evangelio villicus iniquitatis, quod prudenter in rem ſuam feciſſet; quid ſi & in rem domini ſui? Potior prudentia, quæ in utrumque eſt intenta. Imò ſat eſt in rem Domini ſui, qui eſt DEUS, prudenter agere; hoc ipſo ſat

tuæ

tuæ rei providisti. Quod si ubi prudentia est in rem DEI, amor servi in Dominum cæli proditur; ubi intendit quis in rem suam, est amor suî; tamen prudentia spiritûs, non omnem excludit amorem suî, sed per bona, quæ DEO solerter procurat, non negligit sua; studetque DEO, quia bonus in se & illi ipsi.

2. Prudentia est *recta ratio agibilium:* eius actus sunt, rectum judicium de rebus agendis, rectum consilium. Porrò ad rectum judicium hoc loco requiritur rectitudo appetitûs, juxta regulas amoris Divini & rationes æternas. Nam alioquin (ut ait Angelicus) *appetitûs affectio corrumpit æstimationem prudentiæ;* adeoque *duo scopuli sunt prudentiæ;* nempe judicare de rebus non prout sunt, sed prout apparent; & judicare de rebus secundùm affectum, quo in eas ferimur. hinc discrimen sumes inter prudentiam secundùm carnem & secundùm DEUM.

3. Pulcherrimè Prudentiam servorum DEI describit Hugo Victorinus, & juxta illius modos tuam explorabis. Dicit ergo ille: *Hæc prudentia iudicat inter diem & noctem*, id est, *inter bonum & malum! eligit bonum, malum reprobat. Eadem iudicat inter diem & diem:* quia inter bona eligit, quod melius est; inter meliora optimum. *Item iudicat inter noctem & noctem:* quia inter mala fugit peius, inter peiora fugit pessimum. *Præterea iudicat inter omnem diem:* quia omnem arripit bene merendi occasionem: *iudicat inter omnem noctem,* quia fugit omne malum morale, & omnem talîs mali occasionem. Hæc Hugo laudatus.

4. Adhuc tamen inter prudentiam & prudentiam debes discernere. Est enim *alia prudentia politica,* quæ respicit ad lumen rationis, & finem habet

natura-

naturalem, nec semper laudabiliter intentum. *Alia prudentia* juxta Bonaventuram *est Purgatoria*, respicitque lumen fidei, etsi aliquo affectu naturali ducatur. *Tertia* juxta eundem *est prudentia purgati animi*, quæ agit secundùm lumen intelligentiæ, nec afficitur creaturis, sed soli DEO; & *sic affici, deificari est*. Hoc illud est lumen, quo se caruisse conqueruntur infelices illi *Sap. 5.* Erravimus, lux intelligentiæ non luxit nobis. atque hæc tertia prudentia servorum DEI est, quam etiam D. Thomas dicit esse cognitionem practicam de medijs ad DEUM perveniendi. Non est hæc in peccantibus; quia etiam juxta Philosophum 3. *Ethic: Peccatum est summa imprudentia.*

§. XXIV.

Ingeniosa Sanctitas.

Psallite Deo nostro, psallite sapienter. Ps: 46.

1. DAri sapientiam Sanctorum proximè innui; nunc illam exigo sapientiam, quâ quis non simplices ac obvios sectatur modos DEUM colendi, sed modos exquisitos & ab ingenio Divini amoris petitos, & magnis DEI servis conformes, per excellentiorem operandi modum. Movet ad hunc summa DEI dignitas & maior omni laude; & quia jubemur eum *diligere ex tota mente*, totisq; viribus; denique quia huiusmodi solertia *fructum adinventionum suarum comedet*, ut loquitur Scriptura.

2. Scriba doctus in regno cælorum profert de thesauro suo nova & vetera. Veteres & omni ævo receptos DEO serviendi modos sectari est laudabile; sed novos insuper DEO profer de thesauro cordis,

cordis. Apertis thesauris offer ei aurum: alibi æs vel argentum DEI aræ infertur. Danda dilecto poma nova & vetera; nempe etiam novi aliquid ad gustum suum DEUS requirit, nec ingenium amoris est huiusmodi fructuum sterile.

3. Sancti aliqui sunt, ut aliqui inter eruditos: alij notæ & doctrinæ inferioris, alij Doctores acuti, subtiles, admirabiles, Angelici, Seraphici. Sic in schola virtutis alij hærent in gradu infimo, alij æmulantur charismata meliora. His tu accede, & dic: *Adÿciam super omnem laudem tuam*, quæ ab alijs tibi datur: serviam in intellectibus manuum.

4. *Modi ingeniosæ Sanctitatis.* Primus est in Industrijs P. Gasparis Druzbicij, tum operando ex intentione variorum finium sanctorum, tum ex motivo plurium virtutum, & cum intensione juxta proportionem Arithmeticam vel Geometricam semper maiorem, tum cum appropriatione alienorum bonorum actuum, tum cum transformatione nostrî in alias Creaturas, pro quibus & cum quibus DEUM laudemus, tum operando cum dilatatione & extensione desideriorum, tum latissima & intentione, cum ratihabitione omniũ bonorum actuũ, tum per substitutionem cuiusvis actus pro pluribus sanctissimis cuiuscunq; Sancti actibus, & per hunc supplere volendo, quod defuit in tuis aliorumq; actibus digniùs DEO & illi acceptiùs peragendis, & per hanc actionem retractando omnes etiam alienos quoscunq; malos actus, tum agendo te toto, tota universitate; tum ex voto, tum semel pro semper &c. *Secundus modus* est per modos tum ab alijs, tum in hoc libro sparsim indicatos. *Tertius* per singulares modos singulis actionibus sublimandis adinventos. Item per adinventas occultas etiam, nec non heroicas tuî vi-

ctorias

ctorias: per ſublimiorem intentionem, & ſingulares gloriæ Divinæ procurandæ modos. *Quartus* per plures idem fieri procurando, quos ad DEUM deduces. item per continuanda poſt mortem ſancta aliqua adinventa ac inchoata.

§. XXV.

Docta Sanctitas.

Seu Vnio Doctrinæ cum virtute.

In doctrinis glorificate Dominum. Iſ: 24.

1. DOctrina bona eſt, ſed melior charitas & virtus. DEO non acclamatur à Seraphinis, Sapiens, Sapiens, Sapiens; ſed ter Sanctus: quia *maximis anteſtat titulis, eſſe Principem virtutis,* ut Ambroſius ſenſit. item *Scientia deſtruetur*; charitas nunquam excidit. Imò & Philoſophus ait: *Scientiâ meliorem non fieri hominem, ſed virtute.* Adeò ſola ſcientia non ſufficit ad decus homini; longè felicior & glorioſior, ſi cum virtuti fœdus ineat, nec id rumpat.

2. DEO tamen dicitur: *Qui ſedes ſuper Cherubim,* utique ſapientiſſimos Angelorum. Solium ergo DEO dat paratque aliqua ſapientia, ſed Cherubica. Eſto tamen Cherub cæleſtis; nam & Apoſtatæ Angelo dicitur: *Et tu Cherub*; ſed privatus amore DEI, ſolâ ſapientia naturali inſtructus. Doctrina ſine charitate eſt etiam Cherubini infernalis. tu eſto Cherub collateralis Seraphinis, ut ſapias ſimul & diligas. Super talibus Cherubinis ſedet DEUS, dicitque cuilibet: *Ponam in te thronum meum.* Nempe volupe DEO eſt, ubi eſt *Sapientia*

Sancto-

Sanctorum, & quidquid sit de cæleſtibus Cherubim ſeu Angelis, certè inter homines DEUS libenter ſdet ſuper Cherubim, & ſuper Seraphim.

3. *Agreſtis ſanctitas*, ut ait Hieronymus, *ſancta ruſticitas eſt inferior doctâ ſanctitate;* tum quia contenta ſæpe eſt infimis, hæc intenta ſummis; tum quia ſi agreſtes ſanctos humilitas exornat, major eſt humilitas honorata doctiorum; tum quia Eccleſiæ plus prodeſt docta ſanctitas, quæ pro Eccleſia arma contra hæreſes gerit, & pro virtute contra vitia, & erudit ad juſtitiam multos. hinc Eccleſia gratias agit DEO, quòd illam per Sanctos *mirâ eruditione clarificet, illuſtret meritis & doctrinis:* hinc & in cælo eſt *Doctorũ laureola*, quâ caret virtus agreſtis.

4. Dari doctam Sanctitatem, tot Sanctorum Eccleſiæ Doctorum nomina, eorumq; docta volumina, cultusque eorundem in Eccleſia probat, Danielque illos cælo inaugurat, eisque ſplendorem firmamenti in decus æternum deſignat. Iſaias etiam docet poſſe *in doctrinis glorificari DEUM*, dum ad id invitat. Et talem unionem doctrinæ virtutisq; ſuadet *Rationale Aaronis*, cui inſculptum: *Doctrina & Veritas;* quaſi unum ab altero ſejungi non debeat, doctrina & virtus veritatis, quo nomine etiam epiſtolæ Ioannis charitatem vocant. Denique *DEUS ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur* dantque gloriam doctæ *cogitationes:* ſed idem ſimul *Dominus virtutum.* Sic ille doctam Sanctitatem adamat, & ſcientias virtutibus innecti cupit. Alioquin illud nobis ex Auguſtino obverſari deberet: *ſurgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinâ in noſtras vitiis volutamur &c.*

5. Scopulus doctrinæ vitandus triplex. *Primum* indicat Paulus: *Scientia inflat.* ne inflet, cogita Chriſtum Sapientiam Patris, & tamen humilem

corde: cogita, quòd maior sit scientia in damnatis Angelis, doctisque Ethnicis condemnatis; ut & in illo Doctore Parisiensi, *qui se iusto iudicio DEI accusatum, iudicatum, condemnatum dixit.* item quòd manca sit scientia, quæ se humiliare nescit, de datis cælitus donis intumescens: item quòd maius sit dedecus à fastu & ambitione sapientis, quàm decoris à sapientia. ut mittam quòd res minutas hi sapientes nesciant. *Alter scopulus* colligitur è dicto *S.* P. Ignatij, qui Iacobo Tirio adolescenti in literas effuso cùm iactura aut minore cura Divinorum, cælitus illud monitum ingessit: *Minùs doctrinæ, plus spiritûs.* nempe potius apud aliquos est doctrinæ studium, quàm virtutis, & spiritualia opera aut perfunctoriè fiunt, aut intermittuntur. *Tertius scopulus est* nimius sciendi appetitus, qui temperandus est per virtutem *Studiositatis,* moderativam appetitûs cognoscendi, & applicativam voluntatis, ut idem fiat ex debito fine ac circumstantijs. ad eandem spectat affectum studlj indere inter tædia, & temperare sibi ab inutilium doctrina & effusione nimia in doctrinam; unde Studiositati opposita sunt vitia, curiositas per excessum, negligentia per defectum.

6. Ex doctrinis gradus ad DEUM faciendus. nam Augustini sententiâ, *in cognitione rerum non vana & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia & semper permanentia faciendus.* Addo Caietani discursum: *sicut omnis scientia animæ ordinatur ad felicitatem & finem ultimum; sic Creaturæ cogitatio ad cognitionem DEI.* Gradus hic struitur, vel considerando varietatem scientiarum ac ingeniorum à DEO datam, vel varietatem & ingenium discursuum ac inventionum; vel fontem considerando,

rando, ex quo omnis doctrina profluxit, juxta illud: *omnis sapientia est à DEO*

7. *In doctrinis glorificate DEUM*: ergo non vos ipsos. huc spectat puritas intentionis in studijs juxta notam illam ex Bernardo doctrinam: *scire ut ædifices charitas est: non verò scire, ut scias, quæ curiositas est: nec scire, ut sciaris, quæ turpis vanitas*; nec scire, ut quæstum inde facias. Ordinetur doctrina ad maiorem DEI gloriam, maiorem DEI notitiam, & inde amorem, ad salutem animarum, & ut melius instrumentum evadas ad animas juvandas & gloriam DEI promovendam &c. &c. Glorificabis adhuc DEUM in doctrinis *secundò*, coniungendo actum studendi vel docendi cum exercitio aliarum virtutum; nimirum præmissâ oratione ac intentione sanctâ inchoando studia, in oratione finiendo, in cursu actionis ad DEUM mentem elevando, actionem hanc DEO offerendo, in dubijs ad DEUM recurrendo, vanitatis omnis studium ab animo excludendo, DEO omnia tribuendo & gratias eidem agendo, si quid successit, imò etiam dum non successit; tædium DEO offerendo & tolerando, mortificationum usum & divinorum studium non intermittendo, per singulos apices & puncta, quæ legis vel scribis, DEUM intendendo laudare, diligere, glorificare cum maiori & maiori intensione. &c. *Item* Crucifixus sit tibi loco libri & bibliothecæ, ut sancto Bonaventuræ, & alijs. *Tertiò* glorificabis DEUM in doctrinâ, si eâ utaris ad gloriam DEI & salutem ac zelum animarum, ad fidei defensionem pro ratione talenti à DEO dati. Discentes B. Virgo cuidam apparens comparavit Martyribus: at quis DEUM glorificat, si non Martyr? *Quartò* glorificabis DEUM in doctrina, si ad ideam Sanctorum qui simul doctrinâ floruerunt,

runt, attendas, eamque quoad sanctiorem modum discendi vivendique ab illis adhibitum ex primas. Vide qualis S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, Suarez magis æstimans unum quadrâtem meditationis, quàm scientiam totam, & alij tum nostri, tum alieni.

§. XXVI.

Solitudo interna.

Cum Regibus terræ, qui ædificant sibi solitudines. Iob. 3.

1. ETiam Regibus solitudinem persuadet dignitas: soli hi in Palatio sæpius, rariùs apparent in publico, & ex abdito reverentiam intendunt. Sic solitaria amat esse dignitas! Etiam reges affectuum ac cælorum futuri, faciunt sibi solitudinem; nam illis svasit Christus: Tu autem cùm oras, *clauso ostio* ora, &c. Et discipulos duxit in montem excelsum *seorsum*: & puellam excitaturus à morte, tibicines & turbam tumultuantem ejecit, *Recedite*.

2. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens?* Desertum mentis, delicias animo infundit, DEO se magis communicante illi, qui se à creaturis magis sequestraverit. quare & admirationem cælo parit, dum quis ita versatur in terris, ac si in solitudine esset. At qui desertum anin æ init, relinquit seu deserit omnia, DEUM solum in corde gerens; unde etiam hæc deducitur solitudo: ita ut *desertum cordis* sit, in quo nihil est, nisi DEUS solus. *Et neminem viderunt, nisi solum IESUM.*

3. Nec sine cæli favoribus hæc interna est solitudo. Israelitas vide in deserto, ubi Dux fuit illis

DEUS in columna nubis per diem, ignis per noctem: ibi cibus Angelorum illis datus, Panem cæli dedit eis. Sic solitudinem amat & in misericordia coronat DEUS!

4. At *nil prodest solitudo corporis, si defuerit solitudo mentis.* Hæc solitudo dicit te tantùm, & DEUM, seu solitudinem DEI: seu DEUM solum & nihil non propter Deum. Felix anima, quæ hâc solitudine gaudet: sufficit illi DEUS absentibus omnibus alijs, & alia omnia non sufficerent absq; DEO. Dicebat Elcana Annæ conjugi suæ: *Nunquid ego tibi melior non sum, quàm decem liberi!* DEUS verò plus quàm omnia.

5. Suasit hanc solitudinem DEUS S. Philippo Nerio dicens: *Philippe, in Urbe Româ, ut in deserto vivendum est.* Svasit Hieronymus cuidam: *Adhibe tibi in Urbe solitudinem, & remotus ab hominibus iungere DEO.* Et de seipso dicebat idem: *oppidum mihi carcer, solitudo Paradisus.* Svadet eandem & describit Bernardus *serm: 40. in Cant: secede* (inquit) *mente non corpore: sola indicitur tibi spiritûs & mentis solitudo. Solus es, si non communia cogites: si despicias, quæ multi suspiciunt: si fastidias, quæ omnes desiderant: si iurgia devites, si damna non sentias, non recorderis iniuriarum: alioquin nec si solus es corpore, solus es.* Hæc ille.

6. Ut hâc solitudine fruaris ubique & semper, etiam in media hominum & negotiorum frequentia; excedat & exterminetur è corde tuo omnis creatura, quæ non propter DEUM diligitur: excedat omne desiderium, omnis amor & gaudium, quod non est de DEO, vel juxta DEUM. Nam *Zelotypus est Sponsus tuus*, non vult in corde tuo extraneum: *despondi* enim *vos uni Viro* Virginem castam exhibere Christo: *& felicior es DEO ad momentum*

solo,

olo, quàm creaturis per æternitatem. Nimis beatus es, si tecum etiam solus DEUS; alioquin *nimis avarus es, si tibi DEUS non sufficit.* Denique indignum est, ut cor alteri tradas potiùs quàm DEO. Sit ille *DEUS cordis tui*; sit in corde tuo inscriptum: *Soli DEO.* vel *Regi sæculorum immortali soli DEO*: Neminem autem vide, nisi solum IESUM, dum es in monte Thabor seorsim. Ergo sæpe sinum cordis excute, an aliqua creatura mentem non occupet, & vide ne deinceps sit ulla conventio luci cum tenebris, DEO in corde cum Belial, vel cum creatura.

§. XXVII.

Libertas interna:

Quâ libertate Christus nos liberavit: Gal: 4.
Vbi spiritus, ibi libertas. S. Hieronym.

1. AUrea hæc Libertas est, ut illa servitus dura & ferrea, de qua Augustinus conqueritur: *Ligatus eram non ferro aliquo, sed meâ ferreâ voluntate: constrictum me tenebat dura servitus.* In hac servitute est, quisquis non est DEI: *non enim sic subiectus est, qui se soli DEO subiecit*, teste Paulino. non est autem DEI, nec dicit illi cum Viro secundum cor DEI, *Tuus sum ego*, cui, dum venit superbia, dum venit ira, aliudque vitium, & dicit, *Meus es tu*, non est animus contradicendi, estque ut mancipium suarum appetitionum & affectionum cordis. Vnde magna pars Libertatis est, de qua hîc agitur, ex dicta servitute sese eximere.

2. Non potest gratis constare libertas: hanc si æstimas, omnia parvo æstimanda sunt. *Quem delectat vera libertas, ab amore rerum mutabilium liber*

esse appetat, & procuret, ex sententia Augustini. Vide, quo ære libertas hæc aurea veneat: tu teipsum captivas, tu libertate donare potes. Sicut *Crates Cratem libertate donasse* dictus, dum argentum & opes in mare abiecit; sic tu, si te nulla teneat catena inordinati affectûs & amoris rerum hujus mundi, te in libertatem asserueris. Cùm item servilis sit omnis passio; liber eris, reductis affectibus è cũctis locis, ubi captivi tenẽtur, ut timendo, quæ non oportet; amore prosequendo, quæ non expedit; dolendo vanè, gaudendo vanius. En altera pars internæ libertatis omnino urgenda.

3. *Una est catena, quæ nos alligatos tenet, amor vitæ*, ait Seneca. Dicam ego plures esse catenas & vincula, quibus libertas nostra astringitur; neque liberi sumus, nisi dirumpamus hæc vincula, & tunc DEO accinamus cum jubilo: *Dirupisti vincula mea*, tibi sacrificabo hostiam laudis. Præter proximè dicta, omnis affectio ad creata, quæ tibi cor rapit & affectum, nec te juris tui esse sinit, quin de illa tantùm cogites, & ad eam aspires, etsi affectio sit ad rem non malam, libertati huic adversatur: servitus est talis affectio. *Nempe* concupiscentia boni minuit libertatem, quia minuit indifferentiam ad illud obiectum, ad quod sic traheris, ut subinde minùs resistere posse tibi videaris. Quare non tantùm est insistendum libertati à lege peccati, item vitiosis habitibus & passionibus inordinatis; sed etiam curandum, ut in bonis actionibus sis planè libertatis compos, nec sis servus illius actionis vel devotionis. Et hoc insinuat illud Psaltis Regij dictum: *Voluntariè sacrificabo: Et ex voluntate mea confitebor ei.* en in bonis libertas voluntatis plena. Hinc & S. Ignatius monebat nostros, *ne sese traderent negotijs, sed commodarent.*

4. Vo-

4. Vocavit nos DEUS *in libertatem filiorum DEI.* si filiorum; ergo non simus mancipia: non filij Agar, sed Isaac; non filij ancillæ seu servæ affectionis, sed liberæ. Duo sunt affectus, qui nos sibi mancipant; *Amor & Timor*: amor vel indebitus obiecto, vel quoad modum minùs ordinatus: timor itidem. Si horum affectuum sumus mancipia; raptamur per devia, per abrupta. at qui sunt in libertate filiorum DEI, amor eorum est ut filiorum; nihil item amant nisi DEUM vel in DEO: nihil timent, nisi DEUM & peccatum. alium *timorem foras mittit charitas*, teste Divo Ioanne.

5. Denique adverte libertati internæ multùm officere tum particulares amicitias, quæ sæpius sunt conventicula malignantium, & cor ac affectum procul dubio auferunt: tum in ijs, qui animabus deserviunt, munerum acceptatio, imò & in alijs; unde illud vulgò dicitur: *Libertatem perdidit, qui beneficium vel munus aliquod accepit.* Proinde lex nostra præscribit, ne pro ijs officijs, ad quæ vi Instituti nostri tenemur, quidquam accipiamus, ut cum maiori libertate nos possimus Divino & animarum obsequio impendere. En multiplex libertas interna. Non habent hanc, quos *sub peccati* vel affectionum inordinatarum *iugo vetusta servitus premit.*

§. XXVIII.

Regnum Iustitiæ

Seu

Dominium Passionum.

Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Gen: 4.

1. DOminium tibi offero & regnum, quod intra te situm est. *Esto dominus* non fratrum (ut dictum Iacob) sed affectuum tuorum. Nec ego primus tibi id Dominium trado, sed DEUS pridem, dum Caino dixit: *Sub te erit appetitus tuus & tu dominaberis illius.* Dominari te appetitui iubet, non servire. Turpe, si servus sis, ubi dominus esse posis & debeas: infame, si servi ignavissimi tibi dominentur. Hoc est quod dicit Bernardus *ancillam dominari, dominam ancillari!* Dominium proprium alij tam avidè ineunt; tu avidius tuum ini; quia tuum maius. nam *dominari terræ minus est, quàm dominari animo*: illud dominium commune plurimis; hoc rarissimum & proprium Heroum cælestium, & Principum animarum. Id verò Dominium est Iurisdictionis maximè, & coërcet inordinatos animi motus; etsi dominium etiam Proprietatis dici queat, quatenus dat posse liberè disponere de proprijs affectibus, seu liberè illis uti, non præcurrente libertatem ullo huiusmodi affectu. *Ergo dominare* in medio affectionum cordis tui.

2. *Apathia* quidam meritò reijcitur ab omnibus, seu insensibilitas quædam ullarum passionum, animi in sapiente vel iusto; quia nec hæ dedecent, cùm & naturaliter obveniant; &, si rationem dominam illis præficiamus, ad moderationem adduci & ad virtutum officia revocari possint, & sic etiam laudem præmiumq; mereri; Tamen potest virtutis, & inprimis DEI beneficio illuc perveniri, ut passiones non præcurrant rationem, & voluntatis imperium; atque adeò, quoddam dominium Passionũ obtineatur citra rebellionem. Nam aliqui

aliqui dicuntur in scriptura Reges ; & Christus Rex Regum, Dominus dominantium, non utique tantùm regum aliquarum regionum & Provinciarum ; sed etiam eorum, quibus dicitur : *Regnum DEI intra vos est.* Hi autem mystici Reges benè intelliguntur Reges affectuum suorum, potentes virtute. Et magni sancti hoc dominium habuisse leguntur, inter hos *S.* Ignatius nostræ Societatis Auctor, de quo processus Canonizationis testatur, *eum passionum dominio potitum* fuisse : certè pro libitu illis usus, cùm ratio exegit. Quid? *illi potuerunt hoc* dominium occupare ; *tu non poteris?*

3. *Esto Dominus. Gen: 27.* svadeo id dominium: nam nullum eo gloriosius : gloria enim alia regnorum vana & apparens, hæc solida ; *omnis gloria filiæ ab intus.* Nullum eodem tranquillius ; imò alia regna bellis infesta rarò pacem colunt ; hîc perpetua animi pax & tranquillitas, nullum hoc optabilius ; quia animi bona semper potiora in re, proinde & in voto esse debent. Nullum hoc fortius ; nam alia regna muros & arma frangunt : hîc homo seipsum vincit, quæ victoria potior, robur etiam maius exigit. Adhæc continuum ver & serenitas optabilis : sed superat hanc serenitas mentis in vultum etiam & frontem redundans, quâ hoc dominium fruitur ; ita ut Olympo monti simile videatur, quem nulli venti & procellæ aëris perturbant. Item ut pulchrum terrenis Regibus, habere in comitatu & satellitio magnos Principes ; ita si tu Rex & Dominus affectuum sis, auges pompam Regis Regum, qui tam illustre famulitium habes, nempe subiugatos tibi affectus. n Age, & dominare.

4. Pedum positione dominia capiuntur. *at anima non incedit pedibus, sed affectibus* ; hi si inordi-

 nati

nati deponantur, dominium hoc obtinetur. Sed rationi fasces & dominium committatur: illa regnet, illa præcellat ac dirigat, illius ductum affectus sequantur; & dominium hoc obtinebis pacatissimum. Equus freno, navis gubernaculo, animi motus, ratione reguntor. Et quoniam passiones concitantur ex apprehensione boni vel mali; ratio præluceat in prosecutione boni & fuga mali: illa bonum illud, & malum exploret. Quare non primâ rerum apprehensione, nec affectu ad res duci debes, sed rationi acquiescere, qui hoc dominium affectas. Mali etiam habitus & prava consvetudo sensim tollantur, ut facilius passiones coërceat ratio. Nam à pravo voluntatis habitu etiam arma capiunt; unde Augustinus inquit: *cupiunt, timent, lætantur boni & mali; sed illi bene, isti malè, sicut hominibus seu recta, seu perversa est voluntas.*

5. Perfectio huius dominij in hoc consistet; si, ut in Christo Domino fuerunt, *propassiones* sint *potiùs, quàm passiones*: nempe si usum rationis non antevertant, & assumantur, prout rationis arbitrium assumendas statuerit. Ut verò illuc pertingatur; præter orationem pro hoc dono ad DEVM effundendam, juvabit præter proximè dicta, victoria sui in exurgentibus huiusmodi affectibus. Item meditatio sæpius instituta de passione illa, & contra illam, quæ nos infestat. Maximè tamen & inprimis hæ passiones freno indigent: *Amor, tristitia, iræ, timor & desiderium.* Sint hæ aliæque sub te, & tu domineris illis.

§. XXIX.

§. XXIX.

Operari interius.

Omnis gloria filiæ Regis ab intus. Psal: 44.
Absq; eo quod intrinſecus latet. Cant: 4.

1 BOmbyci intra ſuum follieulum operanti quidam inſcripſit: *Operitur, dum operatur.* Aliqua & nos agimus, quæ patent; plura inſuper ſint, quæ in operto facimus bona quæ *Pater* noverit, *qui videt in abſcondito.* Quare velut bombyx operiamur, dum operamur, maximè actus internos. at bombyx intus ac in operto pretioſus net ſericum, quo aulam & Reges tegit. Non careant majore pretio & tua, quæ intus agitas; cogita hæc in paludamentum Regis cæleſtis itura, qui dicat de te (quod de Martino Turonenſi) *Hâc me veſte contexit.*

2 Dum vivis, in theatro es ac ſcenam exhibes, cuius ſpectator DEVS. Cor primas partes in hac ſcena agit, cuius inſpector DEUS juxta illud: *Dominus autem intuetur cor.* Et tunc longè exactior eſſe debes in operibus internis; quia externæ actiones etſi in cultum DEI dirigantur, tamen eæ potiſſimùm ſunt *ſpectaculum hominibus*, qui tantum ea vident, quæ extra apparent; at internum ſpectaculum totum ſolius eſt DEI; excellentiorem habet Spectatorem & ſolum, de quo dicitur: *Tu ſolus nôſti corda filiorum hominum:* *DEVS totus oculus*; eius tamen obiectum *non color* ſuperficialis, ſed totum *cor & cogitatio.*

3. Operationes DEI *aliæ ad intra, aliæ ad extra.* Quæ ad extra, ſunt in tempore, & finitæ; quæ ad intra, ſunt æternæ & infinitæ: per ſecundas creaturam producit & conſervat, ac concurſum eâ

præbet;

præbet; per priores, Divinæ Personæ producuntur, & sine illis DEVS esse non potest: sine te fuit ab æterno & potuit esse. Operare ad extra etiam tu, *operare ad intra*. sed internæ actiones maius pretium habent, à quibus externæ suum valorem & pretium sumunt, & tota ratio meriti ab his desumitur; adeoque opus externum sine interno, corpus est sine anima. Quare *quò operatio ad intra melior*, puta, intentio, & applicatio interna, & quidquid intus potest dare rationem maiori merito, eò & externa actio pretiosior. imò & sine externo actu operare intus, quæ noveris placitura DEO; sicut ab æterno DEUS tantùm ad intra operabatur, & post æternitatem à parte ante respectu mundi creati, tunc primum opera ad extra fecit, quæ novimus & miramur.

4. Monet Bernardus: *Concham te exhibe, non canalem.* ac si diceret: Non totas animi opes profer in publicum, sed ita præclaros hosce fontes virtutum sinas exteriùs effluere, ut plus se contineat intra pectus. Nimirum aliqui sunt velut canalis, qui totum profundunt exteriùs jactabundi. tu concha esto, quæ aliquid de fonte derivat; non totũ, ut canalis. Sit plus int⁹ bonorũ, quàm extra emanet.

5. Sancta quædam Persona, in excessu mentis intuita cælestem gloriam B. Aloysij Gonzagæ, exclamauit: *O quanta est gloria Aloysij Filij Ignatij, quia operabatur interius!* Non est dubium, quin multa præclara mortificationis, modestiæ & sanctæ conversationis extrà ediderit exempla hic Beatus; tamen interior operatio maximè in eo prædicatur & coronatur; imò & in alijs. nam & in sponsa laudantur alia, *absq; eo quod intrinsecus latet*: & B. Virgo conservabat omnia verba conferens in corde suo. Ergo & tu operare interius.

6. De

6. De quibusdam Scriptura inquit: *Cogitatio eorum apud Altissimum.* Habent suum Ubi & locum cogitationes; sed sanctæ apud DEUM residens. Sic illi de se: *Quære me in latere Crucifixi: Conversatio nostra in cælis.* Intus instrue gradus, quibus ad Altissimum ascendas juxta illud: *Ascensiones in corde suo disposuit.* Ego gradus tibi indico rectæ internæ operationis, quâ in cor Divinum ascenditur.

Inprimis reformandæ sunt cogitationes, ut de quavis dicatur: *Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi,* DEUS: fiet id, si seclusis vanis, incongruis & vagabundis, mens pulchris & sanctis cogitationibus occupetur ac imbuatur semper & inter externa negotia. Quò etiam spectat memoria præsentis DEI, pia inter agendum & antè reflexio, mentisque elevatio in qualibet actione cum congruis considerationibus & actibus internis.

Secundò reformandæ intentiones cordis, exclusis vanis & indebitis finibus, omnia in finem supernaturalem ex motivis supernaturalibus, ijsque perfectioribus & defecatioribus dirigendo.

Tertiò reformandæ affectiones internæ, tum passiones, ut sint subordinatæ rationi, nec eam præcurrant; tum alij actus voluntatis, ne discrepent à voluntate Divina, legum, rectæ rationis, à ratione officij & statûs, ac perfectionis.

Quartò reformanda, quæ tum ad internam abnegationem judicij voluntatis attinent, tum ad aliam internam mortificationem; tum ad internam puritatem: tum ad internam animi pacem ac compositionem, ad internam devotionem, & ad res cum spiritu peragendas spectant.

Quintò assuesce ad cogitationes sanctas multis modis.

modis. *Primus* est, si cogitationes sanctas congruas actioni & proportionatas assumas. v. g. culinæ focus ignes Purgatorij vel gehennæ refricet: amænior locus Elysios cæli hortos, aut amissas Paradisi delicias: mensa lautior Eucharisticum epulum vel famem damnatorum, aut egenorum, vel fel oblatum Christo, & sic de cæteris. *Secundus* si actionibus adiungas multiplices affectus; ut gratitudinis, confusionis tuæ, oblationis, desiderij, postulationis & considerationis. v. g. vestem induendo gratitudo pro vocatione; confusio quòd te hâc veste minùs dignè gerass; oblatio tui ad ea, quæ Vestis hæc & vocatio requirit excitetur. *Tertius.* Si sententias ex S. Scriptura vel Patribus congruas actionibus in mentem revoces. v. g. dum lumen vides: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*: vel *DEUS lux est, & in eo tenebræ non sunt ullæ*, vel: *Lucerna eius est Agnus* vel. *Filij lucis sitis.* vel: *orietur vobis Sol iustitiæ &c.* *Quartus.* Per varios actus internos inter eundum vel agendum, ut est renovatio intentionis, memoria præsentis DEI, renovatio votorum & propositorum, actus virtutum aliquarum, ut adorationis internæ DEI, & Hyperduliæ MARIANÆ, actus amoris Divini & Contritionis, laudis & gratitudinis, variæ oblationis, actus compensativi interni tot offensarum DEI per orbem totum, & postulatio, ut censent offensæ Divinæ, suspirium pro animabus Purgatorij & pro agonizantibus &c. *Quintus.* Ante actiones præcedat prævisio agendorum vel fugiendorum in actione; in actionibus reflexio varia; post actionem examen eiusdem, & contritio de defectibus in eadem commissis, ac oblatio eiusdem actionis intinctæ in sangvine Christi, in unione meritorum eiusdem.

§. XXX.

§. XXX.

Minimorum magnitudo:

Seu Parva non ſunt parvi pendenda.

Qui in minimo fidelis eſt, & in maximo erit. Luc:16.
Minimum pro magno placeat tibi. Eccli. 29.

1. MUlier illa *in capite* gerit *coronam ſtellarum* duodecim, cum interea luminaria magna inferiùs lucere cogantur, & ſol cum paludamento per terram trahatur, Luna ſe in pavimentum ſternat. *En ut minora etiam ſidera curantur, & in capite coruſcant!* I nunc, & minima contemne, quorum pretium tibi hæc minimorum ſiderum in coronam redacta celſitudo commendat.

2. *Ex atomis tumuêre montes*; canit recens Poëta. ita eſt: parva immenſam molem conflant & erigunt! Continuum quodvis ex atomis Zeno componit; & tamen hæ atomi quantos montes, quàm immenſum mare, quàm proceras arbores, quantam terræ vaſtitatem conſtituunt & latè proferunt! Omnino boni malique faſtigium à minimis incipit, velut atomis, minora mala neglecta habilitant ſenſim ad maiora. *Iuſtitia* cuiusdam dicitur *ſicut montes DEI* excelſa; at ex atomis tumuêre montes, ex minimis, & minimorum cura.

3. *Via lactea* in cælis *Via Heroum* à Poëtis dicitur, & in ſcripturis *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens.* At via lactea paucas ſtellas primæ aut ſecundæ magnitudinis habet, ſed ex minimis & nebuloſis confertiſſima viam Heroibus in cælos pandit. nempe *per minima itur ad aſtra.*

4. Ruth etiam ſpicas colligit; & *DEI cor in*

uno

uno crine & uno oculorum ictu vulneratur. tanti vel minima ducit obsequia! Quanquam non videatur exiguum, quod DEUS æstimat amatque actu amoris æterno & infinito, quia Divino: non exiguum, quod æterni regni pretio est venale. *Pro nihilo salvos facies illos,* ait Psaltes Divinus. nempe minima etiam & quæ pro nihilo habentur, suntq; nihil respectu præmij infiniti, æterno præmio reponuntur. Sic ille etiam actus, qui oculis humanis vilescit, sæpe est magnus coram Domino! non est ergo satis consultum, modica spernere, tam in actionibus meritorijs, quàm demeritorijs.

5. *In tenui labor, at non tenuis gloria,* ut canit Maro. Nam & peritia artis in parvis ostenditur; & natura in minimis admirabilior. Sculptoris laus est non in eo, quòd magnam arborem prosternat, sed quòd minima segmenta in ea scitissimè resecet, subtilissimas cavitates & convexitates faciat. Et sementis exigua est; tamen in nulla parte plantarum maior est efficacia, dicique potest: *Gloria Libani data est ei:* & gemmam exilem malis, quàm c[illegible]tem Rhodopæiam. Sanè apud DEUM magna gloria est minimorum. hinc enim ait: *Quia in modico fidelis fuisti,* super multa te constituam. Et partem chlamydis à S. Martino rescissam apud cælites prædicavit: *quòd illum hâc contexerit.* Item drachmâ unicâ inventâ, ut exultat! Thaidi pænitenti & sic tantùm oranti; *Qui me plasmâsti, miserere mei;* aureum in cælo thronum dedit. Insuper curare minima ob eorum pretium jubet: *Colligite fragmenta,* ne pereant. Denique *Eccl: 29.* monet: *minimum pro magno placeat tibi.*

6. Est quædam Religio Minimorum fundata à S. Francisco de Paula. id quidem nomen illa Religio studio & professione humilitatis obtinet; cæ-

cerùm

terùm alio sensu quemlibet decet religio & observantia Minimorum, id est minima non temnere aut negligere. Sis ergo & tu sic religiosus; Zela pro minimis, nec sis ille, qui modica spernit. Parva prosunt, parva obsunt: bombyx tot aulas vestit, apis mundi lautitias condit, & cerâ nos illustrat: aliquas urbes talpæ & ranæ subruerunt: & *parva necat morsu spatiosum vipera taurum.* Quare modica pensanda tum in bonis, tum in malis. In bonis tum quoad actus aliquos in leviori & minùs plausibili materia vel occasione eliciendos; tum quoad exiguas etiam tui victorias & mortificationes: tum quoad minimas temporis particulas bene impendendas, tum quoad quasuis minimas occasiones propagandi cultûs Divini & obsequij animabus præstandi arripiendas, tum quoad minores etiam actus religionis & devotionis non omittendos, tum quoad observationem regularum etiam minimarum. nam *qui solverit unum de mandatis minimis, minimus vocabitur in* regno cælorum. At in malis & defectuosis etiam cum minima DEI offensa quidvis coniunctum studiosè vitandum: item imperfectiones non peccaminosæ, quæ tamen exteriùs offendunt, vel communi hominum societati pariunt molestiam. Sanè in malis quæ levia sunt, auferri à nobis pudorem sentimus, cùm maiora per se cautelam & attentionem pariant; quare vigilantiam minima requirunt. Imò Sanctus noster Ignatius dicebat plus periculi latere in minutis contemnendis, quàm in maximis; quia horum damnum statim apparet, & curari citiùs potest; at minimorum injuria nonnisi longo pòst tempore advertitur, & cùm inolita consvetudo difficultatem vincendi parit, vel ad maiora audentiores facit. In Personis nec minima vilipendatur,

tur, quia pretium Divini Sangvinis in illa est, & in qualibet Christus latet dicens; *quod minimis meis fecistis, mihi fecistis.* in ijs quorum salus quærenda, non sis acceptor personarum, sed quicunq; auxilio eget, curam illius habe.

6. Minimus apud seipsum, maximus sæpe apud DEUM. tantum pretium est minorum apud Altissimum! *Qui recumbit in novissimo loco,* huic dicitur; *Ascende superiùs.* Sic minima grandescunt! Coram hominibus alia magnos reddunt: coram DEO eminentia virtutis & profunda humilitas. Eminet, qui se deprimit. Humilitas est velut telescopium, quod per vitrum artificiosum formicam exhibet velut Elephantum. Non minorem vim habet intima suî demissio, ac vitra illa augentia: etiam illa Minimos in suo sensu, grandes efficit in Divino. Certè B. Virgo ut esset Mater DEI, teste Bernardo, *humilitate meruit.* tanta est *Minimorum* hujusmodi *Magnitudo* apud DEUM!

§. XXXI.

Vsus temporis & abusus.

Dum tempus habemus, operemur bonum. Gal: 6.

1. NEc tempus, nec dimidium temporis tibi effluat sine lucro. *Carò mihi valent stillæ temporis,* ait Augustinus. Certè *stilla hæc* quælibet *ceu Scylla,* naufragium salutis potest inducere, aut ad salutis portum perducere. Momentum etiam æternitatem beatam parat; quantulum, quantam, Usum temporis laudabilem seipso cælum præmiatur, malum sæpe infernus plectit: prout tempus tempus vitæ impenderis, sic recipies. Exigitur usq;

usq; ad ictum oculi, quidquid *temporis* expensum; *cuius* proinde *unius honesta avaritia est* ad benè operandum, teste Seneca.

2. *Mensura temporis* optima *est motus cœli;* nam alij motus deficere possunt, nec semper fiunt regulariter; secus motus cælorum, qui fit ab Intelligentijs. Optimè tempus impenditur, si commensuratur cælo, seu si transigatur, sicut placet cælo, atque ex ductu cælestium rationum ac intelligentiæ cælestis: si in actionibus huiusmodi effluat, quibus comparetur cælum, & illa inibi *mensura conferta & coagitata & supereffluens,* ut ait Sacer textus.

3. *Ad operandum sumus in Baptismo conducti,* ut sentit Origenes, ita ut nullus dicere possit, *nemo nos conduxit.* Etiam horâ vacare non sinimur, unde illud de quibusdam: *Hi novissimi unâ horâ fecerunt:* imò & *momentaneum tribulationis* æterno gloriæ rependitur proventu, ne momento etiam vaces. Age, ad quod conductus es *ex denario diurno:* iniustus es, nisi contractui huic facias satis.

4. In illo Paralytico 48. annis ad Piscinam Probaticam jacente notat Augustinus *numerum langvoris,* quòd illi ad numerum quadragesimum in Scriptura consecratum binarius deesset, quem ille in duobus præceptis principalibus ponit. Tempus illud, quo nihil ceu paralyticus operaris, nec multiplicas bona opera, sed torpescis, habet numerum langvoris. nam langventis animæ est remissè operari, & charitatem erga DEVM segniter exercere: & tamen talium *langventium multitudo* ubiq; occurrit, & qui tempore in otio abutuntur, in operibus infructuosis, in mora delicti, in non congruis statui, personæ, loco, tempori; in sola temporalium cura, nulla vel exiguâ æternorum. Utinam hi curentur *à langvoribus suis!*

5. Sit potiùs *tempus tuum, tempus amantium* indeficiens Bonum. nam *væ tempori illi, quo non amavi te*, clamat Augustinus. Sit tempus tuum, *tempus salutis* (ut vocat Apostolus) non perditionis: sit *tempus acceptabile* DEO ob bonum illius usum, ita ut nec particula boni diei te prætereat, quin bonis actibus impleatur, officio tuo congruè, rite divinis, indifferentibus cum recta intentione & ordinatione eorum ad DEUM tempus consignando, faciendo item & promovendo talia, quæ diu durent etiam post tuum obitum, & gloriæ Divinæ subserviant: denique *quodcunque potest operari manus tua, instanter* operando.

6. Huc spectat horaria reflexio & examen exemplo *S. P. Ignatij*, quomodo horam elapsam transegerim, à me exquirendo. Huc facit & industria *Alphonsi Rodriquez*, qui in 24. horas diei Sanctos distribuit, in quorum custodiam totius diei horas disposuit, eosque per horas coluit. Huc & *Patris Andradæ* industria, qui mysteria Passionis Dominicæ per horas diei dispertijt, eorum tunc cum intimo sensu memor. Huc spectat & dispositio Davidis: *Septies in die laudem dixi tibi: Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi. Item* cuiusdam è nostris, qui nocte intempestâ experrectus flagellationem corporis instituere solitus. huc aliorum industriæ, & distributio horaria per diem, impletio particularum temporis actibus meritorijs.

§. XXXII.

Lingvæ frænum & reformatio.

Qui non refrenat lingvam suam, huius vana est religio. Iac. 1.

1. DAntur *lingvæ Angelicæ* juxta Paulum. Et tu

Angelicè loquere, qui Angelorum es contubernalis & commensalis: disce ab eis *locutionem Angelicam*, qui vesceris *Pane Angelorum*. Angelicæ lingvæ munus est laus DEI: hymnus Angelicus est, gloriam DEI resonare ac enarrare: nam hi cæli enarrant gloriam DEI, hæc *astra matutina laudant DEUM*, & trisagion die ac nocte canunt. Ad hæc Angeli locutio in Apocalypsi describitur *sicut vox cytharædorum*, vox exhilarans aurem DEI & totum Cælum: *sicut vox multitudinis*; lingva nempe unius Angeli æquivalet multis in laudem DEI effusis. Denique lingva Angelica & in laudes MARIÆ effunditur, prædicando gratiâ plenam, & benedictam in mulieribus reverenter salutando. Vive & loquere ut Angelus.

2. Spiritus in lingvis; bonus in Sanctis, malignus in perversis. Qualis spiritus, talis lingva: loquela indicat, *cuius spiritûs sis*. nam unaquæque loquitur, prout spiritus dat eloqui illi. Sanè à Spiritu S. dispertitæ sunt igneæ lingvæ, quæ *loquebantur magnalia DEI*, lingvæ Universales (*Docete omnes gentes*) lingvæ novæ, lingvæ toti orbi proficuæ. talis est lingva Spiritus boni: vel etiam talis, ut illius adolescentis, de quo Evangelium: *Et loquebatur rectè*. Et tu loquere rectè intra, rectè extra: intrà ad DEUM (nam *devotionem* etiam *lingvam internam* vocat Bernardus, & dari internam locutionem innuit David: *Quæ dicitis in cordibus vestris*: hoc est verbum mentis:) extra ad proximum, ita ut Petrus monet: si quis loquitur, *tanquam sermones DEI*; vel ut Christus, de quo illud *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius*; & Petrus ad illum dixit: Verba vitæ æternæ habes. Lingvæ ergo Spiritûs boni talis locutio. Secus ubi in ore *Spiritus mendax. &c.*

3. Nihil melius lingvâ, nihil deterius. Vis ejus elogia? Thronus est Verbi, & usu SS. Eucharistiæ consecratum DEI reclinatorium; ergo vide, ne Sacra violes. Lingva DEI Orator & Panegyristes: *in ipsa benedicimus DEUM*, ait Apostolus; vide ne tãto munere cum Cælitibus communi excidat. Lingva DEI organum seu instrumentum, per quod Spiritus *S.* multa bona in alijs operari solet, deterrendo à malis, dando monita salutis; vide ergo, ne instrumentum sit potiùs diaboli. Denique lingva tua est sub Claue DEI, nam non sine causa dicis: Domine *labia mea aperies*, & ille reserat ora mutorum; vide ergo, ne tantus Claviger indignum quid sub hac clave gerere cogatur, vel ne quis furtivâ clave ad illam penetret, & non DEUS suâ. Ut Ephestioni ab Alexandro, sic tibi lingva consignata esto signaculo Spiritûs Sancti.

Vis eiusdem lingvæ vituperia? Lingva Calamus. *Scribit* enim *contra te amaritudines*, scribit sententiam mortis sæpius; unde nonnemo in morte dixit: *Os meum*, lingva pessima *condemnavit me*. Lingva Academia seu *Universitas iniquitatis*; nam vix est malum, quod lingva non doceat & discat. Lingva est *novacula acuta* juxta Davidem; nam penetrat ad divisionem animæ cum DEO, ad rescissionem pacis cum proximo. Lingva juxta Drexelium est *Orbis Phaëton*, qui Author, lingvæ vitia per alphabetum digerit: juxta Angelinum Gazæum *est suavissimus diaboli bolus lingva nequam*. Imò Augustinus lingvæ tribuit Deicidium, cum exprobrat Iudæis: *Occidistis eum gladio lingvæ*, postulando: *Non hunc sed Barabbam*. quod etiam Propheta prædixerat, voces eorum exponendo; *Percutia-*

cutiamus eum lingvâ ô gravis percuſſura! ô telum ferale!

4. Iacobus Apoſtolus *belluam indomabilem* vocat lingvam, dicitque: *Lingvam nemo hominum domare poteſt.* Eundem freno egere cenſet; *Qui non refrenat lingvam, huius vana eſt religio, &c.* Tu tamen illam domare cures, & frenum illi injice. Frenum ſit Sangvis Verbi, quo illa ſæpius immadescit. Nam *quale oportet illud os eſſe* (exclamat Chryſoſtomus) *quod igne ſpiritali repletur? lingvam, quæ tremendo nimis Sangvine rubeſcit?*

Frenum adhuc lingvæ ſit illud Iſaiæ: *Laude meâ infrenabo te, ne intereas.* Frenum ſit illa Bernardi conſideratio triplex prævia, *an* loqui *liceat, an deceat, an expediat.* Frænum ſit præmiſſa brevis oratio, antequam loquaris, ut faciebat S. Pambo, nec in lingva errabat. Frenum ſint exempla Sanctorum. S. IGNATIUS Loyola dicebat à multis annis ſe verbo non eſſe lapſum, nec promiſiſſe, cuius pæniteret: *at qui verbo non offendit, hic perfectus eſt vir,* ut inquit Apoſtolus. De Iob etiam dictum: *In omnibus his non peccavit Iob labiis ſuis, nec ſtultum quid locutus eſt.* De Chriſto Domino eſt illud: Nonne cor noſtrum ardens erat, cum loqueretur in via? Denique frenum eſt taciturnitas, & ad inſtar Sigalionis os clauſum. Vide quæ vitia tuæ lingvæ inſint magis familiaria, & ea meditando impugna, illudque Auguſtini ſæpe recole: *Felix lingva, quæ non novit, niſi de Divinis texere ſermonem.*

5. Sophoniæ 3. DEUS promittit. *Reddam populis labium electum.* Electio lingvæ inſtituenda; ſed vide, ut bonam eligas. Bonà eſt, ſi ſit *labium electum,* per quod Ludovicus do Ponte intelligit lingvam charitate inflammatam; alius *lingvam electorum*

ctorum & perfectorum, qualis est ille: *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est* 2 Bona item lingva est, si sit ut Prophetæ Samuelis, de quo illud: *Et non cecidit ex eius verbis in terram,* id est, ut explicat Hugo Cardinalis: quia non loquebatur de terrenis; nam *qui de terra est, de terra loquitur,* ait Christus: vel quia sermo Samuelis non fuit irritus, sed quæ prædixerat, eveniebant: vel quia, ut ait Mendoza, sermo Samuelis non fuit contemptibilis, qualis est docentis & non facientis. 3. Bona lingva est Apostolica, qui loquebantur acccepto Spiritu Sancto Magnalia DEI, & tantùm prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. 4. Bona item lingva, quâ (ut ait Bellarminus) renovati homines loquuntur, in quibus jam non regnat cupiditas, sed charitas, & quorũ forma loquendi est accommoda Sanctitatis regulis. *Deniq;* bona erit lingva, si conetur esse inter illos, de quibus S. Hieronymus ait: *sapientes sunt, qui nôrunt, quando* & quomodo *debeant proferre sermonem.*

§. XXXIII.

Continuum Morale.

Bonum autem facientes non deficiamus. Gal. 6.

1. DOlor in Corpore, est *resolutio Continui.* Sed & in anima, si cesset à Continuo morali mox dicendo, dolor causari debet & afflictio DEUM amantis animæ; quia & *amoris hæc notio est, semper esse mobilem, semper in actu;* proinde ubi hæc cessat mobilitas, non est amor, sed dolor Certè si *in amore non vivitur absq; dolore,* multò magis in amore Divino Primo mobili.

2. In Continuo Philoſophi ponunt partes Proportionales infinitas. Etiam Philoſophia Cæleſtis te docet creſcere per multiplicem actuum exercitationem ac intenſionem ſine fine. Certè vult, ut diligas ſummè & ſuper omnia, & tamen vult te adhuc ſemper proficere. Sit ergo hoc Continuum permanens ſimul & Succeſſivum: permanens ob conſtantiam in bono: Succeſſivum ob Continuum augmentum juſtitiæ per Proportionem Arithmeticam vel Geometricam in infinitum.

3. Continuum hîc tibi multiplex ſvadeo *Primò*. Continuũ Gratiæ Divinæ, ſeu continuò verſari in ſtatu Gratiæ, nam Væ tempori illi, quo inimicꝰ Dei es, ac ſine DEO ſvaviter inhabitante. *Mecum eras, & tecum non eram*; querebatur Auguſtinus. *Hoſtis es DEI, hæres inferni, dum non es in gratia.*

Secundò. Continuum amoris Divini, omnia in charitate & ex charitate operando, & actus charitatis frequenter eliciendo, ita ut tota vita ſit continuus quaſi actus amoris Divini, qui continuetur in Patria per æternitatem, hîc in tempore inchoatus. *Omnia veſtra in Charitate fiant*, monet S. Paulus. Certè *P. Didacus Martinius* noſter ita fuit deditus huic Continuo, ut quotidie quater mille actuus amoris Divini eliceret, decem horis quotidie oraret. Porrò *Charitas* (ut ait Angelicus Doctor) *ut ignis ſæpe extingvitur, nunc penuriâ pabuli, nunc inundantiâ aquarum*, cùm vel deſunt neceſſaria, vel obſunt contraria.

Tertiò. Continuum Laudis Divinæ: *Semper laus eius in ore meo*. Is verò *ſemper laudat DEVM, qui bene ſemper operatur*. Si rectè vivis, etſi *lingva ſileat, vita clamat* Auguſtino teſte. Sed ad hoſtiam laudis, quâ continuè ſacrifices DEO, adde gratiarum actionem; nam Apoſtolus graviter id ſuadet:

In omni-

In omnibus gratias agentes DEO; hæc est enim voluntas DEI 1. Thess.

Quartò. Continuum mortificationis seu Continua mortificatio, de qua in Face Viæ Purgat c. 17. *P. Iulius Recupitus* Societ: nostræ pro felici morte suggerit offerendum quotidie B. Virgini aliquem actum mortificationis pro corolla perficienda in articulo mortis, & sub mortem collectorum hujusmodi florum fasciculos aspersos Sangvine Christi exhibendos esse B. Virgini, & per ejusdem manus offerendos DEO.

Quintò. Continuum memoriæ præsentis ubiq; DEI juxta illud: *Oculi mei semper ad Dominum: Vivit Dominus, in cujus conspectu sto* ubi cogita illud Cassiodori: *Quocunq; tempore non cogitaveris DEUM, puta illud tempus te amisisse.*

Sextò Continuò versari in actionibus meritorijs vitæ æternæ *Quæ placita sunt ei, facio semper.* ô pulchrum! ô salubre continuum! *Septimò.* Continuum obsequij Divini; excubando in ejus occasiones, promovendo indefessè gloriam Divinam & salutem animarum. *Deniq;* Continuum studium profectûs spiritualis & perfectionis majoris, conando semper progredi; de quo §. XLIX.

§. *XXXIV.*

Solidæ Virtutes.

Supra firmam petram. Matth. 7.

1. Solidum opponitur facilè penetrabili seu facilè cedenti: ut est fluidus aër, vel molle aliquid, quod facilè dividi ac permeari potest. Non facilè cedit adversis, vel quibusvis tentationibus *solida virtus:*

Virtus: oppugnata, ictus fortiter excipit; imò hostilia tela in solido habentantur. Nil molle sapit hæc soliditas.

2. Nullius Sanctitatem vel virtutes Scriptura comparat Iridi, etsi tam pulchris coloribus ornatæ; tantùm Iris in thronum DEI arcuatur, verbisque illis extollitur: *Vide arcum in nubibus, & benedic eum, qui fecit illum.* Cur ergo arcus tam pulcher non abit in comparationem virtutis? Nempe *in Iride pulchri quidem colores, sed apparentes tantum*, non solidi, ex oppositæ lucis solaris in rorida nube refractione causari soliti, qui evanescunt, simul ac rorida nubes evanuit, & sol occidit, vel est interceptus. Non debet virtus esse apparens, nec tam evanidis coloribus comparari; solida est & permanens, diciturque: *Sive me vis esse in tenebris, sis benedictus; sive in luce, sis iterum benedictus.*

3. Angeli dicuntur *inflexibiles*, eò quòd in contrarium non flectantur, cùm semel intellectum & voluntatem alicui Objecto debitè applicavere. Virtutis solidæ est sic esse inflexibilem: arundo est vento agitata, si flectitur & declinat ad dextram vel sinistram. Nec prospera, nec adversa solidam dejiciunt Sanctitatem; ita ut hæc videatur esse etiam velut *colossus ille* in petra inter fluctus defixus, cui adjecta inscriptio: *Immobilis*; vel: *Non commovebitur in æternum.* alioqui si virtus sit mobilis ac fluctuet, est super arenam. Sit ergo solida virtus, Inflexibilis, Immobilis.

4. S. Thomas dividit *virtutes* in *Exemplares*, *Purgatorias*, *Purgati animi*: *virtutes* autem *Purgati animi* dicit *esse assequentium Divinam similitudinem*: ex quibus Prudentia, tantùm Divina intuetur, Temperantia cupiditates terrenas nescit, Fortitudo passi-

do passiones ignorat, Iustitia cum Divina mente perpetuo fœdere sociatur. Et hæ virtutes sunt Beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum. *Hæc S. Thomas.* Si quæ igitur, certè Purgati animi virtutes sunt solidæ. Etsi autem in harum studium par sit te incumbere per legem Societatis nostræ, quæ omnes in Virtutum Solidarum studium incumbere jubet; tamen & aliarum catalogum *quidam* sibi contexuisse legitur contra tentationem superbiæ, quâ insurgente ad dictum catalogum refugeret, à quo se longè abesse adhuc fateri cogeretur. *erant autem virtutes hæ.* Sūma Charitas, summa Puritas, summa Humilitas, summa Patientia, summa Conformitas cum voluntate Divina, summa suî Abnegatio & obedientia, Amor constans inimicorum &c. Ergo in harum virtutum curam intendat animum, qui virtutes Solidas amat. Sit virtus magna, universalis quoad locū tempus.

5. Solidum non est nec durabile, quod non solido nititur fundamento, sed est super arenam, *vel ut statua Nabuchodonosoris*, etsi aurea ex parte & argentea, ærea & ferrea, tamen pedibus infirmis ex argilla innixa, & facili ruinæ ab uno lapillo obnoxia: *vel* certè est *ut Cælum crystallinum Cosrois* Regis, ubi etsi omnes planetarum cælorumque motus & aëris vicissitudines artificiosè effictæ cernebantur, hoc tamen pulchrum non fuit solidum; quia fragile ex crystallo. Et Virtus sinè stabili & solidiori fundamento non est solida. Porro basis omnium virtutum, post fidem, est humilitas cum diffidentia de proprijs viribus coniuncta; item principia ac motiva agendi virtuosè bene animo impressa: nam quò magis hæc convincunt & alliciunt, eò firmiùs virtuti adhæret voluntas, & proniùs in illam fertur.

6. Adhuc à solido corpore tela resiliunt, & pila ijs illisa fortiorem impetum ac vim recipit ad motum resilientiæ. Quò solidior virtus, eò minùs tela quævis sentit, & *si fractus illabatur orbis, impavidam ferient ruinæ:* quò solidior, eò majores impetus ad agendum indit & volandum in opera virtutis. Quod si *solidum Mathematicis est, quod trinam habet dimensionem*, nempe longitudinem, latitudinem & profunditatem; etiam virtuti ea soliditas convenit, cuius duratio ad longitudinem refertur, sphæra & activitas ac omnes circumstantiæ ad latitudinem, fundamentum virtutis ac perfectio inconcussa ad profunditatem.

7 *Solido cibo vobis opus est, non lacte*, dicebat Apostolus. ubi opponit perfectionem Legis novæ, perfectioni veterum, quæ utiqué grandiora exigit super perfectionem Scribarum & Pharisæorum, ut videre licet in novæ Legis institutis, de amore inimicorum, de Consilijs Evangelicis, de Sacramentali Confessione &c. En solidus cibus! lac infantum est, teneri oris, ætatulæ & virium: robustioris ætatis esca solidior. Si Christianos omnes cibo solido vesci decet; quid sectantes maiorem perfectionem? quid æmulantes charismata perfectiora? Omnino ad hoc tantò magis spectabit virtutis excellentia, & dicta Soliditas.

8 Imitare DEUM, ut in alijs, ita in eo titulo Divino, *Qui est*, misit me ad vos. *Semper* de illo dicitur, *Est* non *Qui fuit tantùm*, *Qui erit*: Immutabilis, æternus est. Ego Dominus, Non mutor. Parum est de te dicere, Qui fuit Sanctus, Nisi semper dicatur *Qui est*, Non mutatur. Si multiplex & insignis tibi virtus inest semper, quidni hanc solidam fateamur?

§. XXXV.

§. XXXV.

Aurum ſublimatum

Seu Actionum elevatio ad maius meritum ac præmium

Duc in altum. Luc. 5. *In omnibus operibus tuis præcellens eſto.* Eccl. 33.

1 EX primis illis *Magnis coram Domino*, maior Ioanne non ſurrexit. Ratio Algeri eſt: *Quia etſi plures laboraverint diutiùs, nemo tamen ferventiùs illo & puriùs.* Tanti eſt, actiones majori fervore & puritate ad magnitudinem celſioris meriti extuliſſe: Sæpe fit eadem actio ab uno & altero, tamen hic præ illo magis illâ meretur: quia ferventiùs idem agit puriùsque.

2. *Æmulamini charismata meliora.* Hoc Paulus dixit, enumeratis gratijs gratis datis, ut ſunt gratiæ curationum, genera lingvarum, prophetia &c. Præponit ergo his tantis chariſmatibus virtutem & ſanctimoniam, ceu chariſmata meliora, & ad illa invitat. At in ipſis virtutibus una alia eſt perfectior & nobilior, & intra eandem virtutem actus unus alio excellentior, adeoque unum idemque in ſpecie opus fieri poteſt perfectius, quam aliàs vel ab alijs. Ergo & hæc chariſmata meliora æmulare & accumula.

3. *Sicut ſtella à ſtella differt in claritate* (ut ait Apoſtolus) ita hominum merita. Inter ſtellas aliquæ vocantur nebuloſæ; aliæ ſextæ, aliæ 5tæ, aut quartæ, aut 3tiæ magnitudinis, aliæ 2dæ vel primæ, quæ lucidiſſimæ præ alijs. Ita plane acti-

ones

ones nostræ & merita, alia subobscura, alia illustriora. Sed si in potestate esset stellæ nebulosæ, ut se faceret ceu stellam primæ magnitudinis, an non sic lucere mallet? In tua verò potestate est, ut opus tuum sit illustrius, & magis conspicuum: quin ergo ad eam lucem illud eleues? *Stellam* quandam in Apoc: Ioannes vocat *Absinthium*; caue ne talis DEO tibiq; sis, non curando perfectiora.

4. Felix Persona, quæ dicitur in Canticis simul & ut Aurora, & ut Luna, & ut Sol; non tantùm, quia par alijs omnibus magnis sideribus quoad lucem, sed quia cùm posset esse contenta luce auroræ, simul studuit pertingere ad Lunæ lucem & Solis, *par magnis luminibus*. *Noli esse* in tuo bono opere *tantùm Aurora, si possis Sol esse*: elevare ad augem & lucem Solis, per modum in operando nobiliorem & illustriorē, quàm sit minutioris sideris lux & motꝰ.

5. *Noli esse in te mediocris, totum summum, totum perfectum desidera*, dicebat Divus Hieronymus Paulino; quod idem tibi dictum puta. nam si in alijs rem sibi perfectiorem vult gaudetq́uè homo obtingere; an anima sit deterioris conditionis & DEVS, cui levius quid, nec dignius offeras? nolis & ipse lacernam mille centonibus infamem, si auro texta chlamys se vltrò ingerat; & nolis actionem perfectiori modo agendi reddere maioris meriti pretijq́ue capacem? non sine causa monet Psaltes Sacer. *Psallite sapienter*: non est enim sapiens Psalmus, dum ita Psaltes in rem Diuinam suamq́ue non sapit, ut cùm possit gratior, illique æternùm fructuosior esse modulatio, quam instituit, id facere omittat, nec advertat, quomodo digniùs auribus Altissimi insonet Psalmus vel actio laudans DEVM.

6. Propheta vidit Angelum *cum atramento scriptoris*.

ptoris. quid annotet hoc atramento aliud inter homines, nisi gesta hominum, prout notari merentur? Nota est *historia de Angelo*, quorundam Religiosorum in choro canentium devotionem aureo charactere adnotâsse viso, aliorum argenteo, quorundam nigro, aliquorum aqueo, aut nullo. quidni enitaris, ut tua facta notentur aureo? Notabuntur, si ex modo agendi pretiosiore id pretium merebuntur. Quod si Franciscus Godöius noster perfectè minima humilitatis & obedientiæ exercitia obibat, eò quòd assuetus vesperi ante somnum offerre omnia diei facta per manus B. Virginis, indignum reputaret aliquid non omnino perfectum manibus Diuinæ Parentis ingerere; quid præstat Diuinis, ut alicuius sint pretij apud DEVM, multò magis,ut pretij maioris? Ergo in omnibus præcellens esto, totum sit summum perfectumque, ut dignum sit specialiùs notari ab Angelo, & offerri DEO.

7. Quod de Charitate dicitur: *Maior horum Charitas*; id de aliquibus virtutum actibus dici potest, comparando illos cum actibus tepidorum, vel cum alijs, *Maior horum*. Sit ergo quædam hîc imitatio ambitiosorum, quorum studium & cogitatio, *Quis eorum videretur esse maior?* illis prælatio dignitatis in votis est, tibi præcellentia virtutis: Si hæc tibi operanti adsit & præ alijs sublimiùs ac præcellentiùs ages, quod agis, & tu es *Maior horũ*.

8. Media sublimandi actiones alia sunt *Cognitionis*, alia *affectûs & actionis* ac executionis. *Prima, sunt motiua*; ut est, Tum Contemplatio DEI nos contemplantis; nam *Oculus Domini* ut *saginat equum*, sic impinguat actionem: *Tum* reflexio mentis ad spectaculum, quod à te datur Cælo inspectanti; *Tum* consideratio,quòd per hoc bonum opus me-

ritis Christi refers præmium, quibus tenereris reddere, si posses, æquivalens, saltem operando adæquatè ad vires gratiæ: *Tum* illa cogitatio, quòd *nolis esse author imperfecti operis coram Censore Cælo ac æternitate*: *Tum* quòd pulchrum sit aspirare ad laudem operum DEI, de quibus illud in Genesi: *Vidit* DEVS *cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; Et aspirare ad laudem Christi illam: *Bene omnia fecit*; Et ad illorum laudem anhelare, qui *in corde bono & optimo fructum afferunt*; nec enim satis est bono, si potest quis optimo: Deniquè in humanis & leuioribus negotijs est appetitus excellentiæ; non item in Diuinis, ut DEO magis placeant? *Media affectûs* Practica sunt, quibus pleni sunt libri, & hic non pauca. Potissimum locum obtinere videntur Industriæ R. P. GASPARIS DRVZBICKI, per quas docet insignes 30. Modos sublimandi ad maius meritum nostras actiones, quarum aliquas innui sub titulo, Ingeniosa Sanctitas. Non contemnendæ sunt Industriæ etiam Patris Maier. Sed hæc media sublimandarum actionum poterit quisque adinvenire ac sibi præscribere tum ex lumine Cælesti implorato, tum ex Ideis ac exemplis Sanctorum ac sanctè operantium; & sublimi ac ferventi spiritu ac intentione & adinventione.

§. XXXVI.

Modificatio Operum.

SEV

Non verba DEO, sed aduerbia.

Iustè,

Iustè, quod iustum est, persequêris: Deut. 16.

1. POst jeiunium in deserto Christus *esuriit*: hucusque esurit & sitit nostros profectus & iustitiam. Sed *Cibus eius electus* esto, dignus palato Dei. Idem hîc cuiquè dicitur, quod Isaac Filio Esau dixit: *Sume arma & pharetram, & cùm aliquid venatu apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nôsti*. Tota ratio condiendi Christo Cibi: *Sicut velle me nôsti*. Velle Divinum, horret condimentum, quod creat vomitum, *nec DEVS volens iniquitatem est*. Attende ergo ad istud: *Sicut velle me nôsti, ut comedam & benedicat tibi anima mea*; ac ut tuum Convivium olim laudet: *Esurivi, & dedistis mihi manducare*. Appone ergo & digna DEO & sapida huic Palato, cibaria selecta.

2. Minatur DEVS. *Ego iustitias iudicabo*. Si iustitiæ sunt, quid in eis dijudicetur? Nempe aliquæ iustitiæ sunt *quoad substantiam* laudabiles, non item *quo ad modum & circumstantias*, tum finis (nam teste Gregorio, *non solum scrutinio subiacent, quæ homines faciunt, sed etiam quod in operibus quærunt*) tum personæ operantis in affluxu cælestium auxiliorum & luminum. Modificatio ergo iustitiarũ expenditur, an *iusta iustè* fiant?

3. Sacrificat Abel, sacrificat & Cain: uterquè idem operatur; tamen illius placent hostiæ, huius non. Quare? quia Modus in uno placuit, displicuit in altero. Rupertus Cainum censet, *cùm sua offerret, se retinuisse sibi*, & cor reposuisse in cupiditate terrena: at Abel utrumquè obtulit, totum ex toto. Sic modus operum placet!

4. Hæc *operum Modificatio ad quinque Capita* revocari potest: *ad intensionem, ad extensionem, ad intentionem, ad congruitatem, ad adinventiones*. Intensionem

sionem suadet scriptura: *Dilige ex toto, in tota virtute*, totis viribus. Item *laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis eius.* quasi diceretur: Colite & diligite eum *adæquatè, tum ad magnitudinem, amabilitatem* & laudabilitatem eius, quantùm potest amari atque coli, sicut adæquatè colitur per Sacrificium novæ Legis; & ad id enitendum per desideria conditionata, imò & absoluta, quantum potes, operando in vnione operum ac meritorum Christi, & per Christum colendo ac laudando Deũ, iuxta illud Ecclesiæ: Per quem Maiestatem tuam laudant Angeli: *Tum operando adæquatè rationi*, lumini æterno, auxilijs gratiæ: *tum eliciendo omnia super omnia*, ut fides & amor sit super omnia, tam appretiativè, quàm intensivè, laus DEI super omnia: omnia cum omni diligentia in Domino, de qua Ezechias Regni sui administris dicebat: *Cum diligentia cuncta facite.* 2. Paral. 19. *Modificatio quoad Extensionem* suadetur à Paulo: *Vt in omnibus & per omnia honorificetur DEVS* Item à Davide: Benedicam Dominum *in omni tempore*: *In omni loco Dominationis eius*, benedic anima mea Domino, & *omnia quæ intra me sunt*, Nomini Sancto eius: *Omnia ossa mea dicent*, Domine, quis similis tibi? *Semper laus eius in ore meo.* Nempe glorificandus est DEVS per infamiam, & bonam famã: per te & alios: per actiones positivas & omissiones, per motum & quietem, per actus internos & externos, per actus deliberatos & indeliberatos, per actiones transeuntes & immanentes, per ordinationem omnium ad Finem ultimum, ubique, ~~semper, in~~ omnibus, pro omnibus, per omnia, perseueranter. *Modificatio quoad intentionem* quàm purissimam, quàm altissimam, quam latissimam esto, cuius praxim infrà attexam. *Congruitas*, quoad

statum, officium, personam, DEI dona & talenta spectabitur: *Adinventiones* item adhibeantur in exercitijs operum per industrias ab alijs uel te excogitatas impinguandæ & sublimandæ actionis. Vide plura in libello, cui titulus, *Noua omnia*, de perfectione operum nostrorum negatiua & positiva, ubi & modi & plurima motiva proferuntur tam ad illud, ne imperfectè agas, seu ne obiter, perfunctoriè, tepidè & cum mistura imperfectionum; quàm ad id curandum, ne quid perfectionis operi desit, per sublimem modum operandi, qui ibidem indicatur.

§. XXXII.

Dignitas & Notæ Servorum DEI.

Servus meus es tu, in te gloriabor. Isa. 49.

1. MVltis titulis es Servus DEI. *A quo quis victus est, huius & seruus est.* at Deus te vincit tum naturali dignitate, tum beneficijs. Si item *naturaliter competit* iuxta Aristot. *Dominium sapienti respectu stulti* rudisque; quid est respectu Sapientiæ Diuinæ, homo? Titulo etiam emptionis acquiritur dominium, & titulo donationis, alteriusvè contractûs; at *Empti estis pretio magno*, pretioso Sanguine Agni. & homo se DEO in obsequium liberè donat per Vota Religiosa, ac propositum vitæ sanctioris. Denique *beneficium accipere, est libertatem vendere:* ô quot tu à DEO accepisti!

2. Abiecta *servitutis conditio*, ex adiectione *Dei*, redditur commendabilis, ut ait Divus Thomas. Gloriosa hæc servitus, *tum* ratione Domini, ut patet; & modi in creatura rationali: nam licet omnia

omnia serviunt DEO, aliter tamen inanimata & bruta, aliter rationabilia; illa necessariò, hæc liberè; illa reguntur & subduntur despoticè, hæc politicè: *Tum* ratione mercedis, quæ huic datur servo: *Ego ero merces tua magna nimis*. *Tum* ratione tituli Regalis, qui servis DEI competit ex Apocalypsi: *Servi eius servient ei, & regnabunt cum eo*: Sic servus DEI est Rex. Hæc illa est servitus, de qua S. Agatha tyranno dixit: *Multò præstantior est est Christiana servitus, Regum opibus & superbiâ.*

S. Petrus Cælestinus Matri suæ puer adhuc dicebat: *Volo esse bonus servus DEI.* Sanctum omninò propositum, quod qui exequitur, audiet illud elogium à Christo: *Euge serve bone*, intra in gaudium Domini tui. Porrò etsi quoddam esse censuerit audaciæ genus *S. Franciscus Borgias*, quòd homo quicunque audeat se dicere servum DEI; cùm Beata Virgo ad se totum hunc ex asse traxerit titulum, *Ancillam* se *Domini* nuncupando; tamen maior & intolerabilior audacia est, si dicas, *Non serviam*; quod est proprium filiorum Belial, seu absque iugo, & primum Luciferi peccatũ iuxta Theologos hic actus superbiæ, quo noluit subijci regimini & imperio Divino.

4. *Leges & notæ servi DEI. Ima.* Servus DEI sit gloriatio DEI, iuxta illud: *Servus meus es tu, in te gloriabor.* *II.* Servus DEI sit Dominus & Rex sui ipsius per refrænationem ac dominium passionum & affectionum cordis. nam huic servo dicitur: *Sub te erit appetitus tuus*, & tu dominaberis illius. *III.* Servus DEI sit etiam *servus servorum DEI*, de quibus Christus apud Augustinum ait: *Quod mihi debes, huic solve;* & quod huic facies, mihi facies. *IV.* Servus DEI curet illud apud DEUM encomium, quod de servo Centurionis

Lucas ait: *Erat ei pretiosus.* V. Servus DEI exprimat notas servorum DEI: ut mansvetudinem Moysis, de quo dicitur, *Moyses servus DEI*: Iacob Patriarchæ prævalentiam quandam respectu DEI; nam & hic servus DEI à filijs nuncupatur, & dictus est Israël, id est *Prævalens DEO.* Dauid etiam de se dicit: *Servus tuus sum ego*; sed qui talis est servus DEI, debet esse *secundùm cor Dei*, & sic de alijs DEI servis discurre, illosq; æmulare. Iuvant & illæ ex Evangelio servorum DEI notæ: *Beati servi illi: Expectantes Dominum suum: Quos invenerit vigilantes: Quorum lumbi præcincti: lucernæ ardentes in manibus eorum.* Ad hæc servus DEI credit illud *Luc. 17. Cùm feceritis omnia, dicite, servi inutiles sumus:* inutiles, quia DEVS bonorum nostrorum non eget: quia damus DEO, quæ DEI sunt: quia *utile per inutile vitiamus*, & per multos nævos. Denique S. Bonaventura addit duas notiones servi DEI, dicens: *DEO servitur flendo per Pœnitentiam; diabolo per voluptatem: DEO servitur* ascendendo de virtute in virtutem; *diabolo* descendendo de vitio usque ad infernum.

5. *Servitus DEI* ut sit perfectior, *sit totalis*, ita ut totum se ac sua quis impendat obsequio Divino, iuxta illud: *Et omnia quæ intra me sunt*, Nomini Sancto eius: *Cor meum & caro mea* exultaverunt in DEVM vivum. Ideò ex mente S. Antonini Archiepiscopi, *servitus DEI debet esse quintuplex*; nempe Cultus cordis, oris, operis, corporis & virtutum. *Cultus cordis*, per internam reverentiam & amorem: *Cultus oris*, per laudem DEI & gratiarum actionem, sanctumque linguæ usum: *Cultus operis*, omnia referendo ad DEVM: *Cultus corporis*, per adorationem, genuflexionem, ieiunia, & alias corporis macerationes: *Cultus virtutum*,

tum, ordinando has omnes ad finem Religionis, qui eſt gloria DEI (*Et in templo eius omnes dicent gloriam. Pſal. 28.*) item ad illum finem, de quo 1. Tim: 1. *Finis præcepti Charitas.*

§. XXXVIII.

In igne Dominus 3. *Reg:* 19.

SEV

Fervor ſpiritûs in obſequio DEI.

1. QVi *facis miniſtros tuos flammam ignis.* Pſal: 103. ſi ergo miniſter & ſervus DEI es, eſto flamma, arde: aliàs time, ne ſyllabo ſervorum DEI expungaris, quorum inſignis hæc nota eſt. Angeli ſemper ut flammæ; quia *ſemper vident faciem Patris*; hinc inardeſcunt. Viſio DEI inflammat. Memoria præſentis DEI, oculus amoroſus eſt; & ſicut viſio Beata amorem Beatum, amorem Seraphicum parit; ſic reflexio illius oculi ad præſentē operanti DEVM, flammam & ardorem in operando producet ac fovebit. Non ſis ergo tantùm ſervus DEI, ſed *conſervus* Angelorum, ut Ioannem vocat Angelus; & ita quodammodo exardeſce ac inflammare in ſervitio DEI, ut Angeli DEO fruentes, qui dum miniſtrant, ardent; *Miniſtri, flamma ignis.* Quodſi ſimile diligit ſibi ſimile, *DEVS Ignis conſumens eſt*, quidni te igneum, ac ferventem velit? certè id optat cùm dicit: *Utinam calidus eſſes! Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur?*

2. De Chriſto dicitur: *Implebit ruinas*; nempè unde exciderunt Angeli. Ruina facta eſt ex omnibus An-

bus Angelorum choris. Ille, qui infimi Chori tantùm attigit meritum, implebit ruinas infimi Chori: qui Thronorum vel Cherubinorum merita attigêre; illorum ruinas implebunt: qui Seraphicè arsere, fulgebunt inter Seraphinos. Vis & tu inter illos redigi? Fervor igitur & ardor in obsequio & amore DEI, te Seraphinum faciat, ut Seraphinis inscribat, & Seraphini alicuius ruinam impleat.

3. *Ferventer operatur* iuxta S. Thomam, *qui agit secundùm ultimum & summum, quod potest.* Plurimi frigent, si hoc est ferventer operari; nec dici facilè possunt *Spiritu ferventes.* Ferventer ergo operans agat secundùm habitum vel supra habitum; & sicut Beatus Comprehensor proportionatè ad lumen gloriæ elicit intensos Beatificos actus; sic ille adæquatè ad lumen Cæleste & gratias actuales operabitur, imò desiderio & conatu ultra enitetur, nempe ut agat Seraphico modo, vel MARIANO aut Theandrico.

4. Nota etiam ex Augustino: *omnia ferventiora, sunt velociora.* Fervor odit moras & stagans in otio ingenium. Aqua dum fervet, est in motu, bullit, salit. Qui fervet, promptus est ad omnia, per quæ verum obsequium præstatur DEO, ad omnem DEI nutum prosilit. Nam tarda molimina tepor, torpedinem frigus inducit.

5. S. Ignatius Loyola dicebat nostris ituris ad conversionem animarum: *Ite, accendite, inflammate omnia.* Sed quomodo inflammet carbo extinctus? accendere ipse, & accende. Spiritus sanctus in linguis igneis in Apostolos descendit (*in Igne Dominus*) inflammârunt illi Orbê, sed ipsi primò arserunt ab hoc igne; & lingua illis ignea, & cor igneũ.

6. Contrarius huic fervori *tepor*, contra quem **hæc habeto. I. Quia contrait charitati,** quæ *non agit per-*

agit perperam. II. Quia nescit pensare, cui obsequium præstet, utiq; DEO, qui si *bonorum nostrorum non eget*, quantò magis non eget malé & tepide peractorum. III. Quia indignum est, sic tractare DEUM; dignior hic est fervidiore obsequio: & quia ipse te infinito amore prosequitur, deberes illi infinitum amorem rependere, si posses: at tepor quid illi tale rependit, imò quàm nil pænè rependit! IV. Quia ob vanos fines accuratiùs homo agit, *ac ut corruptibilem coronam accipiat; nos verò incorruptam* V. Quia *maledictus, qui opus DEI facit negligenter Ier: 48* VI. Quia sicut inter complexiones corporeas gratissima est sangvinea; ita *inter complexiones Animarum DEO gratissima est ignea*, non terrea, vel aquea.

Ergo igneus sub Ignatio esto, & sicut Elias, cuius ut verba, sic & cor *ut facula ardens erat*: vel ut Ioannes Bapt. *Lucerna lucens & ardens.* Huic igni fomenta præstò habes, Sacramenta, Meditationem, Lectionem Sacram, Christi Passionem, Beneficia Divina, Divinam amabilitatem, exempla ardentium *DEI* servorum.

§. XXXIX.

Dignè Deo. *Colos. 1.*

SEU

Calcar ad perfectè, nec remissè operandum.

1. VIvis? vive *dignè DEO*: quidquid agis offersque DEO, age & offer dignè DEO. Grave tibi esset audire à Christo: *Non es me dignus.*

gnus (*Matth: 10.*) & non erit grave audire de tuo obsequio, Non est me dignum? Fulmen est talis Oratio. Adhæc pulchrum est, quod de quibusdam dicitur in Scriptura: *Et invenit eos dignos se*, id est, D E V S. quidni inter hos & te & actus tuos accenseri velis curesque? Habenda ratio Maiestatis, cum qua agis, cui aliquid offers, sicut & in humanis personæ dignitas attenditur. Et verò Dignitas Divina quo non est digna? Quomodocunque te in eius cultum effundas, non exhauris eius dignitatem. unde hoc tibi sit calcar ad exactissimè & sublimiter agendum: *Quia Dignus est DEVS* hoc & maiore obsequio.

2. Si minùs dignè *D* E O tua peragis, illud recole ac time, quod de Christo dictum ab Augustino: *Respuit fel. quod illi obtulerunt: ieiunare maluit, quàm amaritudinem accipere.* At opus illud tuum, fel est & amaritudo. Christus te *melle de Petra* (id est) ut explicat S. Thomas, Sanguine suo & Corpore, ac dulcedine Divinâ saturat; tu illi dare *fel in escam*, fel pro Beato nectare, & in siti profectus tuî, potare illum absinthio audeas?

3. Ergo viuendum *dignè D E O, ut est in se*; *dignè D E O, ut est in ordine ad nos* In se est dignissimus, qui supra modum colatur ameturque; *in nos* beneficentissimus; & dum te creauit, dedit quo illum coleres: dum redemit, fudit Sangvinem, ut te in eius amorem effunderes. Viue igitur dignè D E O secundùm se, ac ut D E O: dignè Deo pro te Incarnato & extrema passo, dignè creante, dignè redimente & iustificante.

4. Vive adhuc *dignè D E O præmiante*, seu dignè præmio essentiali & accidentali in cælis; seu dignè Coronâ aureâ & aureolis, cælesti laureâ & laureolis. O quantum illa exigit meritum, quia tanta!

tanta! quantum, quia æterna: DEVS erit *merces magna nimis*; ergo & *meritum* deberet esse *magnum nimis*. Da si potes tantum, quantum accipis; nam *corona iustitiæ est*: at iustitia tendit, quoad potest, ad æqualitatem.

5. Vive adhuc *dignè DEO vocante*, *dignè placando post tot offensas*. Vocavit te in admirabile lumen suum, tum fidei, tum vitæ Religiosæ? ambula ergo *dignè vocatione*, ut monet Apostolus. Læsisti ius Divinum? nihil quidem potes agere, quod adæquet gravem iniuriam DEI; sed tamen redde quod potes, si non quod debes: repara iniuriam, & vita tua faciat fructus dignos pœnitentiæ.

6. Denique viue *dignè DEO Homine ut causâ exemplari*. nam egit & passus est, *nobis relinquens exemplum*. ut exemplar est, sit & exemplatum: ut Idea, sit simile & ideatum. Vive *dignè Christi meritis*: nam opera bona iustorum sunt aliquod præmium meritorum Christi, ut Theologi docent: vide ergo ut Christi merita præmio dignissimo afficias & rependas.

§. XL.

Operari quasi Theandricè.

Vidi similem Filio hominis. Apoc. 1.

Opera quæ ego facio, & ipse faciet. *Ioan*: 14.

Vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. *Ioan*: 13.

1. SÆpe in Scripturis jubemur contendere ad similitudinem cum Christo, ut simus *confor-*

mes eius imagini, & quilibet *velut alter Christus*. Christum probabant verba (*nam nunquam sic locutus est homo* purus) probabant & opera, ideoque ex illis fidem de se Christus adstruebat: Alioquin *propter opera ipsa credite*. Qui est velut Christus, loquatur ut Christus, operetur velut Christus, operetur quasi Theandricè. *Similia* iuxta Philosophum, *quorum qualitas una*. qualitas actionum, est modus operandi. Eris similis Filio Hominis Christo, si modus operandi sit Christo conformis, & *quasi à Christo prodiret actio*.

2. Apostolus vocat fideles *Regale Sacerdotium* nempe quale in Melchisedech, in Christo Rege & Sacerdote. Huius regalis sacerdotij Sacrificium sunt *Spiritales hostiæ*, vel *sacrificium iustitiæ*, seu opera iusta: debent ergo hæc fieri ut Sacrificium Regis & Sacerdotis Christi in altari, ubi dum Sacerdos consecrat in Persona Christi, actio illius est moraliter actio Christi. Ergo & opera Regalis Sacerdotij sint *quasi in Persona Christi*, quasi Theandrica, seu DEI Hominis, quasi actio Christi.

3. Vnde Sacrificijs veteribus laus illa: *Odoratus est Dominus odorem suavitatis*? Nimirum in illis audiebatur vox Sangvinis Christi, qui proinde dicitur *Agnus occisus ab origine mundi*. Abel immolavit? Agnus occisus: Aaron Sacrificavit? Agnus occisus. Dum immolaretur quæcunq; victima, iam in figura immolabatur Christus. hinc tanta suavitas illis Sacrificijs. Idem censendum & de Mysticis Sacrificijs operum, placebunt, & gratiora evadent, si sint velut Sacrificium Christi; si *hostia* hæc *vociferationis* sit perinde, quasi à Christo clamet, vel potiùs ipse Christus clamet.

4. Qui mutatur in Christum, quidni ab illo requiras opera Christi? At nos ô quoties in Christum trans-

ſtum transformamur! *Duo nos maximè in Chriſtum transformant;* Amor Chriſti, & vſus SS. Euchariſtiæ. nam & amor transformat in amatum, atque adeo amicus alter Ego; & Chriſtus in Euchariſtiæ ferculo latens dicit apud Auguſtinum: Creſce, & manducabis me; ſed *non tu me mutabis in te, at tu mutaberis in me;* ita ut dicas, Vivo *ego iam non ego*, vivit verò in me Chriſtus. Quidni ergo mutati in Chriſtum, operemur velut Chriſti ac Theandricè? At Chriſti opera qualia? Duo de illis adnoto. Primum dicit: *Ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Alterum: *Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut* mandatum mihi dedit Pater, *ſic facio.* Notæ operum Chriſti: *Placita ſemper facio*: & *Quia diligo.* Sed idipſum Theandricè fieri debet, non tantum quia diligo ut homo purus, ſed quia diligo, ac ſi eſſem Chriſtus.

5. *Mendacium nominis* ſæpe admittitur, eſtque ipſum nomen velut aliquis Iudex, ſi illi facta non congruant. At nobis nomen Chriſti inhæret Chriſtianis, Societati Nomen IESV; quidni ergo à nobis exigamus, ut, quibus Chriſti Sanctiſſimum Nomen inhæſit, in opera ſimilia, modumque operandi Chriſto ſimilem contendamus?

§. XLI.

Praxis

Eligendi id quod perfectius.

Æmulamini chariſmata meliora. 1. Cor. 12.

1. LEgimus in Horis Canonicis de S. Thereſia ſic: *Chriſto conſiliante* maximè *arduum votum emiſit, efficiendi, quidquid perfectius eſſe intelligeret.* Magna laus

gna laus huius virtutis voto confirmatæ, tum quòd excellens elogium sit hoc, quod verba indicant; tum quòd Christi ipsius consilio inita asseratur; tum quia illa arduitas maxima, quandam illi virtutis excellentiam conciliat. Tu ad id votum desiderio inprimis enitere; deinde vt re ipsâ poss. sis idem exequi, crebrò gratiam à DEO postula. in particulari tamen aliquo casu, saltem in minùs aut non multùm arduis, nihil impedit, quominus aliquid prædicto modo hîc & nunc voveas.

2. Mirum, quòd conentur sic homines excellere in frivolis, & nullius momenti apud Deum, ut honoribus, eminentiâ loci, & magni Nominis vanitate; at verò ut excellant coram DEO & in virtutis excellentia, & modo agendi perfectiori, non curant. quidni tu ab ijs sis alienior? cùm hæc excellentia mystica præ illa sit gloriosior, & æternùm fructuosior?

3. Et laudat, & insolenti præmio afficit cælum huius electionis sectatores. Laudat; nam hoc est illud encomium: *Non est inventus similis illi*; etsi enim alij etiam servârint legem Excelsi, ille perfectiùs Et de alio dicitur: *Electus ex millibus*; non ibi facta electio ex malis, sed ex bonorum millibus, inter quæ dum quæreretur optimus, ille unus inventus & electus; inter alios verò, quorum cuique Electi nomen convenit, Præelectus. *Præmium verò insolens est*, quod patet ex præmijs Consiliorum Christi, in quibus DEO servitur perfectiùs: tùm ex opposito; nam si pro mensura delicti erit & plagarum modus; & quantùm fuit in delicijs, tantum illi dari jubetur tormentum; etiam in perfecta electione considerabitur *Tantum*, *Quantum*. Elige, & prælige.

4. Vniversaliter loquendo, *id perfectius*, quod ex maiori

ex maiori & in maiori charitate fit: quod Christo conformius & Divinæ voluntati: quod ex voto, intensiùs & ferventiùs peragitur: quod puriori & altiori intentione: quod obedientiæ conformius: quod magis heroicum: quod plurium, nec levium virtutum in se exercitium continet, fitque ex plurium virtutum motivo: quod utilius plurimis, & magis gloriam DEI promovet, ac diutiùs: quod magis ædificat; cùm plura aliquis, quàm alij, sanctissimè præstat; ratione cuius Paulus dicit: *Ministri Christi sunt, plus egò:* in carceribus frequenter, in laboribus supra modum &c.

5. *Ex duobus æquè perfectis* præstat id, quod cum maiori repugnantia & victoria suî fit, cum maiori Cruce & confusione, & Christi illusi & afflicti imitatione, cum maiori difficultate, in loco & circumstantia aliqua retractiva, vel si quid hîc & nunc obveniens actionem attollat præ alijs; & cùm fiat perfectiùs, adhuc mens de se sentiat humiliùs. In dubio standum est prudentis arbitrio, puta Superioris vel Confessarij.

6. *In particulari id procurandum. Primò in intentionibus* seligendæ altiores & perfectiores; ut perfectiùs est ex charitatis motivo, quàm minoris virtutis agere; nec ob præmium, sed gratis & liberaliter erga DEVM. *Secundò in obiectis*, (si sint bona ex se) vide quodnam sit decentius, quod Christo & statui tuo conformius, quod insignius in se & excellentius, quod pluribus utile, & latiùs ac diuturniùs DEI gloriam promovet, quod finem habet nobiliorem. *Quod si indifferentia* plura offerantur, vide, quodnam ex fine & circumstantijs ac modo agendi nobilitari magis possit. *Tertiò in modo*, ut agas attentiùs & reflexiùs, ut promptiùs, magis integrè, fortiùs, cum pijs reflexionibus, &

bus, & ex voto, seu vouendo agere quod agis; item cum ardentiore affectu, multiplicatâ proportione intensionis affectuum, intentione altè sancta, totaliter, ferventer, libenter, conformiter ad lumen cœleste & ad egregium exemplar, debitè ad circumstantias, humiliter, citò, & sine dilatione (*Qui citò dat, bis dat*) iuxta modum indicatum in Industrijs Patris Druzbicij Soc: nostræ Viri illuminatissimi. *In virtutum actibus internis* Intensio, extensio, Intentio, Multiplicatio actuũ & graduum intensionis, in certa proportione Geometrica frequentatio, constantia, etiam in ariditate ac desolatione & adversis, attendatur & procuretur, &c.

§. XLII.

Communia non communiter.

Vbi urgetur adhuc

Præcellentia virtutis supra communem operandi modum.

Diligis me plus his? Ioan: 21.

Vno super nonaginta nouem. Luc. 15.

1. IN quibusdam non æstimatur, quod non est super alios. Sic *noctè mediâ* Sponsus prædicitur in Evangelio venturus, quando sopor est profundissimus: Ratio Hieronymi est: *Quia nihil singulare, si insomnes vesperi inveniret.* Adeò id potissimùm pensatur, quod singulare.

2. DEVM describit Tertullianus dicens: *Deus modulatur sublimitatem.* Pro ratione quidem meritorum erit unicuique laus à DEO, sed sublimiora

opera, & modum insigniorem operandi suaviter decantat etiam, non tantùm dilaudat: Modulatur sublimitatem. Habes insuper in Ioseph Patriarcha figuram specialis amoris Divini erga illos, qui alios in virtute excedere nituntur. *Diligebat* (inquit sacer textus) *Pater suus Ioseph supra omnes filios suos*: non tantùm, quòd in senectute genuisset eum, sed quòd esset *filius accrescens*, augens virtutes & in Parentem merita; alij non item, qui demerita cumulabant, unde quibusdam dicit: *Vasa iniquitatis bellantia: Maledictus furor eorum*, quia pertinax, &c.

3. Huc nos ducunt exempla Sanctorū, ut Pauli dicentis: *Impendar & superimpendar: Ministri Christi sunt? plùs ego*. Item. S. P. IGNATII, quem Iacobus Egvia eius Confessarius *miris laudibus communem Sanctorum laudem excedentibus* prædicabat. Item P. Baltasaris Alvarez nostri; quo (ut revelatum S. Teresiæ) nullus tunc erat perfectior in Ecclesia, etsi tunc vixerint magni aliqui Sancti in Divorum numerum relati, aliqui Beatificati. Denique huc Spiritus S. impellit monens: *In omnibus operibus tuis præcellens esto*.

4. Medium superandi communem modum in operando erit; tum fervor, qui teste Divo Thomâ *agit secundùm ultimum posse*, seu quoad potest: tum virtus Magnanimitatis, cuius obiectum est *actio ut magna & in summo gradu*; nam dixi ex Aristotele, quòd *Magnanimus in omnibus quærat excellentiam*: tum propriæ adinventiones in singulis actionibus perfectiùs faciendis, & antè illarum aggressum, & in decursu, & pòst; in quo te iuvabunt Industriæ Patris Majer, qui singulas ferè nostras actiones docet perfectiùs instituere: & aliorum.

5. *Plùs his* Dilige & age, seu plùs alijs. ne & tu inveniaris *minus habens*. *Plùs* quadruplex

tene,

plex tene, & ad illud aspira: *Plùs diligere, plùs pati, plus humiliari, plus laborare*; ut de se Paulus: *Abundantiùs & supra modum laboravi.*

6. *Commune cum immundo* coniungitur, iuxta illud Petri: *Absit, ut aliquid comedam commune & immmundum*; sed quod DEUS purificavit, *tu commune ne dixeris: & Communia non communiter acta*, sunt purificata.

§. XLIII.

Quadruplex Idea perfectionis.

Inspice & fac secundùm exemplar.
Exod: 25.

1. NOn Ideas Platonicas proponimus, sed supercælestes, quibus conforme esse poterit ideatum, & conatus intra gloriam erit. *Non dat natura virtutem: ars est fieri bonum*, ait Seneca; sed artem iuvat imitatio, quæ in Ideam intenta est & exemplar. Quantò id nobilius, tantò & exemplatum. Epictetus ait: *Propone tibi, quid in hoc fecisset Socrates aut Zeno!* Apud Livium quidam in periculis cogitabat Alexandrum: *Quid fecisset?*

2. Idea tibi *Prima esto DEUS.* Non putes impossibilem tibi ideam proponi, cùm iam imago & similitudo DEI tibi sit in Creatione impressa. Tota ideati laus, exprimere exactè exemplar, ad quod componitur. Tu DEUM pro modulo tuo exprimere coneris *Primò* in impeccabilitate, saltem deliberatè non peccando. *Secundò* in longanimitate, quâ tolerat tot sui offensas ab ingratis, per totum Orbem. *Tertiò* in independentia à creatis, quod imitaberis per præcisionem affectûs ad eadem. *Quar-*

dem. *Quartò*. In Dominio perfecto omnium: quod imitaberis per Dominium tuarum passionū, & affectuum. *Quintò* In concursu cum omnibus; iuvando omnes quatenus potes, & obsequium animabus, quatenus licebit, præstando. *Sextò*. In immutabilitate, per constantiam virtutis, & fervoris, atque adhæsionis ad DEVM inseparabilis. *Septimò*. In immensitate, quam imitaberis, nullam partem Orbis relinquendo, quam non iuves precibus, alijsque modis; & curando ut ubique Deus agnoscatur, ut erga illum immensus sit in te alijsque amor. *Item* in æternitate, curando ut semper in eo perdures. *Item* in non acceptatione Personarum *Denique* illum imitare in eo: *Omnia propter seipsum operatus est Dominus*: quod imitaberis, omnia operando propter illum. *Præterea* perfectionem DEI adhuc tripliciter considera & imitare. *Primò* quòd in illo sit perfectio sine vlla imperfectione. *2dò* quòd in illo sit omnis perfectio simpliciter simplex, seu quam meliùs est in DEO esse, quàm non esse. *3tiò* quod DEI omnia perfecta sint opera. In his ergo imitare DEVM. Ex hac Idea ideatum est *velut DEVS de DEO*.

3. Idea *secunda* sit *DEVS in Carne*, DEVS Homo. Inspice & fac secundùm exemplar, quod tibi tum in monte Calvariæ, tum alibi monstratum est. Sed tamen non ita coneris Christum in te effingere, prout illum videris in gloria & splendore vultûs solari, in Monte Thabor; vel inter plausus populorum dicentium; *Propheta magnus surrexit in nobis*: sed vide & exprime illum pauperem & illusum, *novissimum Virorum*: *& Christo in Carne passo, tu eâdem cogitatione* armeris. Certè, ut inquit Clemens Alexandrinus, *sicut, si quis Chrysippo studuerit, erit Dialecticus*: *si quis Homero, Pöeta*: *si Platoni, Philoso-*

phus: sic qui Christum exprimere studuerit, erit in carne circumiens DEVS.

4. Idea, si ad primas non pertigeris, *tertia erit Angelus*; ut in carne sis velut sine carne, non tantùm per eximiæ puritatis studium, sed etiam tolerantiam rerum corpori molestarum, perinde ac si eas non sentires. Exprimemus Angelos in cælo, ubi *erunt omnes sicut Angeli DEI*; exprimamus & in terris. DEvs *implebit ruinas* Angelorum, hominibus, pro cuiusque merito, & expressâ cuiuscunq; Angeli superioris vel inferioris ideâ: ad hanc ergo Ideam te explora, ex qua decernetur in Cælo, de tuo loco inibi. Sed de hac Idea pluribus agetur §. 76. & in face Vnitivâ § 31. hîc innuo potissimùm imitandos Angelos in continuo Præsentiæ DEI respectu, in continua laude DEI, in ministerijs & custodiâ hominum.

5. Quod si nec Idea Angelica tibi facilis; *Quarta Idea sint Sancti*, maximè tui instituti & status: puta ab illorum quolibet dici: *Estote imitatores mei: Ambulate, sicut habetis formam nostram.* Vide quid in illis singulare, quod exprimas. Non sis ex ijs, quos reprehendit Plinius: *Statim sapiunt, statim sciunt omnia; imitantur neminem, atque ipsi exempla sunt.* Tu potiùs imitare Zeuxem, qui à Crotoniatis rogatus, ut simulacrum dignum Iunonis templo pingeret, ex variarum Virginum specie, in simulacrum pulchritudinis eximiæ veritatem transtulit. Sic tu ex S. Petro Charitatem erga Christum; ex Francisco humilitatem, ex alijs alia ornamenta animi in te transfer, & per Sanctorum exempla ad amorem Divinum instaureris. *Inspice ergo has Ideas, & fac secundùm exemplar.*

§. XLIV.

§. XLIV.

Gradatio Sanctorum.

Ascensiones in corde suo disposuit. Psal: 83.

1. INspiro tibi non unum spiraculum vitæ cælestis. Non satis est vivere, nisi vivas vel Angelicè, vel Theandricè ac Divinè. Anima tua Spiritus est, ideo Spiritus illos æmulatur, ut proximè dixi. Certè ut in Spiritum totus transeas (ut Alipius dicebat) *totus Spiritus, totus animus effectus*, illud ad hanc Metamorphosim excellens meditare est ex Paulo: *Qui adhæret DEO, unus Spiritus est cum eo.* Sed adhuc aliter tibi vitæ supermundanæ gradus propono: tu his gradibus Scalam Iacob ad Cælos porrectam deductamq; eriges, *ascensiones in corde tuo* disponens, nunc *ascensum Purpureum*, nunc candidum, & *quasi Viam Lacteam* ex plurimis Stellis consertam.

2. Vive inprimis *ut servus DEI & Christi.* Gloriosus hic titulus Regi David plaudenti: *Ego servus tuus.* Gloriosus Apostolo Paulo: *Paulus servus IESU CHRISTI.* At si servus, ubi timor? Non tamen hic sit servilis, sed sit timor amans; nam Dominus hic etiam Pater est. *A quo quis tamen victus est, huius & servus est*; sed nos vicit devinxitq; sibi DEI benignitas, vicit mundum. *Vicisti*, suavis *Galilæe, vicisti*! en servile agmen, servile pectus: paremus Domini voluntati, & *sive vivimus, sive morimur, Domini sumus*; *Dominus universorum tu es.*

3. Sed celsius te extulit Christi erga te amor: *Non servos*, inquit, *dicam vos, sed amicos.* Ergo viue etiam ut *Amicus DEI, Amicus sponsi* prout se appellat

pellat Ioannes, quo non surrexit maior. Quod si Amicus; sit cum DEO & Christo *Alter ego:* si amicus; sint & huiusmodi amicorum *omnia communia;* sit amor amicitiæ: Non erit item diligendum *Verbo* tantum & *linguâ*, *sed opere* & veritate. Amicus (ut ait noster Poëta) *non nuda Vox est, non cassa nux, non amabilis risus, non ocelli ludij, non Vox byssina; sed amicus probatur amore* solido in prosperis & adversis; duris enim probatur vera amicitia. Denique si amicus es, dic: *Inimicus ero inimicis tuis,* DEVS; ut sunt peccata, & *amicitia huius mundi,* quæ *inimica est DEO Iac:* 4. Absit ut sis talis amicus, qualis Iscarioth, cui Christus dixit: *Amice, ad quid Venisti?*

4. Sed adhuc *Amice, ascende superius.* Viue *ut Filius DEI.* Filius in similitudinem Patris; & turpe est, si sit degener ab optimo Parente. Data est nobis potestas Filios DEI fieri, *ut Filij nominemur & simus.* si esset in potestate hominum, vel vilis mendicabuli, ut se redigat in Parentelam, cognationē, & filiationem Regum, quanta eius felicitas putaretur! nos iubemur esse ut Pater Cælestis, perfecti & misericordes & sancti, quæ tria specialiter de illo nobis proponuntur: *Estote perfecti,* sicut Pater &c. *Estote misericordes,* sicut &c. *Sancti estote,* quia ego Sanctus. *Esto sicut & Mater IESV;* nam etiam te gerere debes ut Filium MARIÆ, & Fratrem Christi, utpote ab eodem Patre Cælesti & Matre adoptatus. Frater autem Christi est, qui facit voluntatem Patris, qui in cælis est: Filius MARIÆ Sanctus & Salvator, DEVS & homo; *Humilis & sublimis.* At vide ne tibi vel Mater hæc objiciat: *Fili, quid fecisti nobis sic?* vel Christus Frater: *Filij Matris meæ pugnaVerunt contra me!*

§. XLV.

§. XLV.

Excellens Sanctitas operum.

In omnibus operibus tuis præcellens esto:
Eccl: 33.

1. REbus initio mundi creatis tribuit Scriptura hoc elogium : *Vidit DEVS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Cunctis, quæ in cælo & terra facta fuerant, id tribuitur : *Erant valde bona*, vsque ad vilem vermiculum, & lapidem. Mirum, si homo se à viliori Creatura hîc suaque opera superari sinat; & cum in vestimentis & calceamentis etiam seligat meliora, animam suam nolit bonam, eiusque opera valde bona.

2. In eo Paralytico, qui 48. annis iacuit ad Piscinam Probaticam, dixi notâsse S. Augustinum *numerum languoris*, quòd ad quinquagesimum numerum illi duo deessent, nempe duplex dilectio Dei, & proximi. Cui deest aliquid ad summum virtutis, est in eo Numerus languoris. ô quanta multitudo langventium huiusmodi! at si corporis sanitas cordi est, quid hic languor ac morbus animæ ametur? Ad summum contende, nec *imperfectorũ Arithmetica* sapiat, in qua hic dicitur Numerus langvoris, & invenitur.

3. Huc refero, quod, dum S. Petrum per fluctus maris incedentem cum Moyse transeunte per Mare Rubrum confert Ambrosius, dicit: *Moyses in imo, Apostoli in summo.* Sic est Apostolica & Virorum Apostolicorum vita; dum *alij hærent in imo, illi in summo* sunt ob excellentiam virtutis.

4. Superbia definitur, quòd sit *inordinatus appe-*

titus excellentiæ, ubique excellere superbus appetit; sed hic appetitus nil laudis meretur, quia inordinatus est, totus vanitati intentus. In virtutis via appetitus excellentiæ laudabilis est & suadetur: In omnibus operibus tuis præcellens esto. Nil hîc mediocre esse velis, totum perfectum desidera. Porrò hæc excellentia tum in obiecto actionis arduo, vel quocunque, DEO plurimùm glorioso; tum in sublimi operandi modo spectatur, ut suprà, cùm de ingeniosa sanctitate, alibique monui, & infra monebo.

5. Quantò excellentior est mensura agendi, tantò & actio ei commensurata. Porrò mensuræ excellenter & perfectissimè agendi sunt illæ: *Primò*, Dignitas DEI: quanto enim & quàm excellenti obsequio hic dignus! *Secundò*. Voluntas DEI beneplacens & perfecta, cuius gustui quis nolit satisfacere, & implere omnes voluntates eius? *Tertiò* Amor DEI, qui quantò maior, tantò magis in operibus relucet: & tantùm dat, quantùm diligit. *Quartò*. Habitus gratiæ & lumen internum, etsi alij conentur agere supra habitum. *Quintò*. Præmij magnitudo magna nimis: quidni huic meritum nolis excellentiùs cōmensurari? *Sextò*. Idea Christi, cui conformari debemus, at huius operū excellentia infinita. quin ergo tu secteris eandem, quàm maximè possis?

§. XLVI.

Sanctitas absq; Nisi, seu sinè nævo.

Triticum absque Zizanijs.

Vt sitis sinè querela & reprehensione, Phil: 2.

Et macula non est in te. Cant.
Vindemia defæcata. Isai: 25.

1. ETiam illi amori, quo DEVS diligentes se diligit, convenit illa definitio ex Areopagita: *Amor est desiderium boni & pulchri.* Nempe quos diligit DEVS, vult esse bonos & pulchros. *Virtus est proprium hominis bonum,* inquit Tacitus; eadem est quædam animæ pulchritudo, à qva laudantur in Scriptura quidam *Magni virtute, pulchritudinis studium habentes.* Sed teste Philosopho, Bonum est ex integra causa; vel unicum malum illi admistum, nomen hoc illi abrogat, vel infamat: pulchritudo etiam minimum refugit nævum: ni dicatur actioni pulchræ, *Tota pulchra es*, & macula non est in te, non feret laudem pulchritudinis sinè exceptione. Ergo virtus & Sanctitas esto absque Nisi, quo pauci caruēre: Nam in DEO est desiderium talis boni & pulchri quoad servos suos.

2. DEO accinitur ter *Sanctus.* at qualis hæc Sanctitas? Dionysius ait: *Sanctitas est omnimoda puritas.* & talis est in DEO. verùm & creata Sanctitas sit omnimoda puritas & absque Nævo, alioqui quomodo erit quis Sanctus, si illi definitio Sanctitatis non conveniat?

3. Pauci sinè nævo. Sol habet maculas, gemmæ gibbum, crystallum fragile: inter homines, quæ sententia Plinij est. *Adhuc nemo exstitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur:* Pauci visi absque Nisi. De quodam est illud: *Omnes in tuis laudibus iracundiam excipiunt.* Multorum virtutes nævus aliquis dehonestat, & de illis dici potest, quod de Alexandro Magno Seneca *Etsi de illo dicetur, quod Darium toties vicerit,* quòd Persarum tot millia ceciderit, quòd magnam Orbis partem sibi

subegerit; tamen etiam contra illum dicetur illud: *Sed Callisthenem occidit* iniquè, Clytum temulenter. Suffecit vnum Callisthenem innocentem occidisse, ad maximas laudes inumbrandas Alexandri. Sic & vnum vitium, laudes hominum operumque inumbrat ac deformat.

4. Tamen aliqui fuêre sinè omni reprehensione: Sic de Zacharia & Elizabeth scriptû, quòd *in omnibus iustificationibus* incesserint *sinè querela*. Sic Iob de seipso ait: *Cor meum non reprehendit me in omni Vita mea.* Sic de Ecclesia Paulus, ubi illam vocat *Non habentem maculam, neque rugam.* Sic Beata Virgo *Speculum sine macula*; & plerique Iusti omnem nævum studiosè declinant, ut ille, de quo Poëta: *Partem In quacunque Voles, Verte, decorus erit.*

5. Illicia ad hanc virtutis excellentiam nullo temeratæ nævo hæc accipe. *Primum* Quia Sanctitas, ut dixi ex Dionysio, est omnimoda puritas. Credo te sanctitati studere, ob illud DEI monitum, *Sancti estote*: verùm ut omnimoda puritas non est, quæ nævum aliquem patitur & labeculam; ita nec sanctitas. *Secundum.* Exigit DEVS à nobis similitudinem suæ perfectionis. at eius *opera irreprehensibilia* sunt in ullo; & quæ fecerat, erant valde bona, ut loquitur DEVS Pharaonis Moyses. *Tertium.* Qui talem Sanctitatem procurat, jam hic statum cælestem inchoare videtur, ubi nihil imperfectionis, *nihil* ullo *inquinatum* nævo. *Quartum.* Maior ansa Cælitibus, imò & terrigenis offertur laudandi DEI, si quis inculpabiliter omnimodè vivat: Si enim videntes in nobis *opera bona glorificant DEVM*; multò magis, si opera bona nullis malis coniuncta viderint. *Quintum.* Malum *ex singulis defectibus* denominatur: Si ergo in aliqua parte deficit tua actio, à ratione & denominatione

bonæ

bonæ excidit, fitq; mala. *Sextum.* Virtus *intaminatis fulget honoribus*, estque pulchritudo animæ; at ut pulchritudo corporis non fert vel levem maculam, ac ut ille ait, *nec gibbum patitur, nec verrucam*; ita & multò magis animæ species & nitor. *Septimum.* In rebus minoris momenti volumus esse sine nota & censura; quantò magis expedit in tanto animæ bono? *Denique* fugam cuiusvis nævi suadet ratio convictûs humani; *quandoque* ratio charitatis, quæ *nihil agit perperam*; ratio laudis Divinæ, ratio ædificationis Spiritualis, ratio præcavendarũ obtrectationum & murmurationum, si defectus sint exteriores.

4. DEI attributum est, *esse irreprehensibilem* ex natura; tibi sit ex gratia, cum adhibita diligenti industria. *Id verò tripliciter contingere potest.* Vel enim curares esse irreprehensibilis, seu absq; Nisi, *coram DEO tantùm*: vel *coram hominibus tantùm*, vel *coram DEO & hominibus.* De secundo modo hîc non agimus, qui sæpe ad hypocrisim declinat, & sæpe justitiam habet similem sepulchro dealbato, foris quidem pulchro, sed intus pleno putidis cadaveribus. Primus modus sæpe contingit; & aliquando sufficit. Tertius est perfectior, iuxta illud: *Providentes bona non tantùm coram DEO, sed etiam coram hominibus* &: *Nemini dantes ullam offensam*, ut non vituperetur ministerium nostrum.

5. Porrò ad id, *ut coram DEO sis absque nævo*, iuvabit; si caveas vel levissimam offensam DEI deliberatam, ac ut citò vel minimam eluas deleasque: *Item* si occasiones minimi delicti præcaueas, contra prævisas te armes præviâ consideratione & proposito, quòd nolis in vllo delinquere: *Item* si omnia agas ex amore erga DEVM perfectissimo, ac excludente affectum etiam ad venialia peccata:

Item si cures illud Christi implere: *Ego quæ placita sunt ei, facio semper*: *Item* si curæ ac studio tibi sit voluntas DEI bona, beneplacens, & perfecta: *Item* si contra observatos aliàs in qualibet actione defectus maturè te præmunias meditatione, oratione, proposito, & protestatione in oppositum: *Item* si modum congruum & perfectum singulis actionibus præscribas, eumq; sedulò exequaris: attentè, cum reflexione antè & inter agendum, & cum consideratione DEI omnipræsentis te geras: *Item* si velis, ut quælibet actio & actionis particula quævis sit purus DEI amor, & laus ac cultus latriæ, ac detestatio omnis peccati, idque ante actionem quamvis statuas: certè detestatio talis efficax non compatietur id, quod detestatur. *Item* huc juvabit, tum si nec in intentione ullum nævum patiaris circa illius puritatem: tum si te tuaque opera frequenter abluas in sangvine Agni, & in alijs mortalibus Thermis, de quibus actum in Face Viæ Purgativæ.

6. Ad præcavendum Nisi, seu notam omnem ac reprehensionem etiam *coram hominibus* juvabit, *tum* conformitas morum & actionum, ubi nihil sit contra decôri leges, aut circumstantiam statûs ac personæ: *tum* fuga exceptionum & singularitatum, fuga vel levis scandali in dicto & facto, & cura illius elogij P. Petro Fabro dati à S. Patre IGNATIO: *Faber hic omnia benè ædificat, nihil destruit*: *Tum* operando ex Prudentiæ legibus cum attentione ad circumstantias loci, temporis, Personarũ, officij, statûs, finîs: *Tum* studiosè cavendo, quæ in te carpuntur meritò, & offensam pariunt, vel quæ in alijs reprehendi vides: *Tum* nihil agendo præcipitanter, & cum impotentia affectûs, ac ex passione: *Item* lingvæ maximè & actioni exteriori moderan-

moderando: non te in aliena à te ingerendo: nil exterioris etiam superbiæ præferendo: comitatem morum & affabilitatem procurando. *Item* si sit conversatio prudens, cauta, juxta Spiritum Societatis, bono & supernaturali fine. *Multos item* exteriores defectus effugit cubiculi amor, dum non exigit charitas, vel obedientia, vel alia iusta ratio, ut in publicum prodeas. *Denique ut coram DEO & hominibus sis sine querela,* expende tecum quotidie, qui sint defectus in tuis cogitationibus & intentione, in agendo cum DEO & proximo, in sensib⁹, alijsque potentijs, in Sacramentorum administratione, in lingua & officio tuo, in votis & regulis, vide, in quo deficias intus & extra, seu quid desit tibi in utroque, ut Sanctitatem absque Nisi pro viribꝰ procures.

§. XLVII.

Dives ex alieno.

SEU

Modus cumulandi merita ex alienis.

Et vocabitur Nomen eius, Accelera, festina, prædare. Isai: 8.

Particeps ego sum omnium timentium te. Psal: 118.

1. SVadeo jam in anima ditescere ex alieno. Alibi sic ditari, sæpe injuria est; sed rapina & præda hæc, quam suadeo, gloriosa est, & tales *violenti cælum rapiunt,* estque hæc pars justitiæ. *Beniamin lupus rapax*: at Beniamin *filius dextera* significat: egre

r.t: ergo rapina aliqua filijs dexteræ, seu collocandis ad dexteram inter oves Christi convenit. Prædas salubres agere, & ex alieno penu clàm palàmque ditescere quoad animæ thesaurum; hæc rapacitas, Beniamini esto. illi dicitur: *Accelera, festina, prædare*: non te vlla huiusmodi præda prætereat.

2. Doctor gentium ait: *Omnia vestra sunt.* at etiamnè aliena bona opera & merita? si enim hæc aliena, quomodo nostra? Potestnè aliquid simul esse tuum, & alterius, & quasi quoddam Dominiū duorum in solidum? Ita omnino; estque id in via hac mystica speciale. Nam imprimis DEVS est Omnia: & tamen DEVS est omnium, illiq; quilibet dicit, *DEVS meus es tu*: hæc Omnia sunt omnium. Sed & aliena, quæ DEO vel propter DEUM fiunt, nostra sunt; tum quòd omnia nobis cum illo donantur; tum quia, si amor nos invicem compaginat, amicorum omnia sunt communia; tum quia, in Fidei Symbolo *communionem Sanctorum* profitemur, ratione cuius dicat quilibet Justus; *Particeps ego sum omnium timentium te Domine.*

3. *Iacob dilexi*, DEVS ait. at Iacob vi Nominis *supplantator* est, & fratri suo clàm surripuit potissimam benedictionem, & jus primogeniti in se transtulit; ideoque de illo Esau: *Iam me*, inquit, *supplantavit alterâ vice*: & tamen hunc supplantatorem DEVS diligit; Iacob dilexi. supplantare ergo, aliquando pulchra industria est, Deoq; grata, adeoque aliena merita vel præripere, vel si in ijs participare.

Modi ditescendi in meritis ex alieno.

Primò

PRimò per duplex votum. *Primum est*, ut omnia opera tua ex voto quotidie offeras in gratiarũ actionem pro gratijs & auxilijs datis dandisque unquam cuicunque ad ullum opus bonum; & in gratiarum actionem pro quovis cuiusvis bono opere exhibito ab initio mundi, & exhibendo ad diem iudicij prout glorificante DEVM, non sinè complacentia in omni illo bono opere, & gaudio de illo & ratihabitione illius. *Secundum* votum est, ut omnia opera tua offeras ex voto in impetrationem auxiliorum ad quævis bona opera, à quocunque unquam & usquam elicienda ad diem judicij, ut ratione impetratorum huiusmodi auxiliorum etiam tibi imputentur, cùm præstabuntur, & nunc in eorum voto & desiderio, quorum & velis aliqua esse causa meritoria, & sis postea ratione voti impetrativi futurus. Certè ratione duplicis istius modi omnia aliena opera bona præstita & præstanda aliquo modo ad te trahes. Si enim hæc duo documenta adhiberes in alienis operibus malis, & in alienis demeritis complacentiam & ratihabitionem haberes; utique etiam tibi velut eorundem reo imputarentur. Idem de bonis operibus spera.

Secundò Idem totum sinè voto præstabis per oblationem simplicem operum tuorum omnium, in prædictum duplicem finem impetrationis & gratiarum actionis, simili modo quoad omnia, sinè votò, sed per solam intentionem illam duplicem.

Tertiò Circa aliena bona opera elicita & elicienda, sinè prædicto voto vel intentione, exerce affectus aliquos, nempe gaudij, gratitudinis, complacentiæ & ratihabitionis, desiderij triplicis, oblationis, appropriationis, statuitionis (ut sic dicã) tuî in eis occasionibus, in quibus sunt elicita. Explico breviter singula. *Gaude* quod per illa hono-

rificetur vel honorificabitur DEVS, gaudio applicito ad singula actûs boni, in quibus gaudium exerceri possit. *Gratias age* pro illis operibus & gratijs ad ea datis exercenda, vel dandis. *Complace* & gustum habe in ijs bonis operibus, quatenus Dei sunt glorificativa, in omni sui circumstantia & particula: eadem rata habe, ac si tuo nomine & consensu, & ex voluntate tua præstentur, vel præstita sint aut præstanda. *Desiderium multiplex* intelligo, tum optando te in eorum occasione peragendorũ fuisse vel fore, ad maiorem Dei gloriam, & gustũ DEO faciendum: tum optando eorum augmentum, & in illis perseverantiam: tum desiderando adhuc in illis maiorem fuisse perfectionem, si cuius essent capacia. Eadem bona opera tibi ratione saltem Communionis Sanctorum appropria, & velut tua etiam, ratione quâcunq; meliori offer in unione meritorum Christi. *Prædictos omnes affectus exercendos intellige de Sacrificijs*, de Martyrijs alienis, de conversionibus animarum, deque omnibus virtutum actibus elicitis & eliciendis, & qui actu eliciuntur, & obsequijs atque cultu B. Virginis exhibitis unquam & usquam exhibendis. Sic hæc aliena, tua erunt.

Quartò: Induce alios ad bona opera; sic tua etiam erunt, quæcunq; & quandocunq; fient ex tuo instinctu & adhortatione; quæ magis ad id conducit, si actu velis & intendas, optesq; elicienda: Nempe consilium & adhortatio efficax, est causa influens in illud opus bonum. *Hinc qui alium* ad genus vitæ sanctioris promovet, in quo promotus multos actus bonos eliciet, & alios multos convertet, & alij illi multi alios aliosque, multum meriti inde percipiet promovens, & illi actus alieni etiam post mortem illius ab alijs mediatè vel immediatè per

dictè per eum conversis, illi imputabuntur, quòd eorum causam posuerit, & eos actus intenderit, ponendo causam. Sic ergo fiet dives ex alieno & suo.

Quintò. Non oblata ab alijs offer DEO altâ intentione: Oblata verò imperfectè, offer perfectiùs. quid enim obstat, quominus intendas & velis, ut DEVS per illud opus magis glorificetur colaturvè, & quantum est ex te, ut positio illius actûs, sit tuus erga DEVM amor & cultus quàm perfectissimus? Illud quidem opus alienum, non est tibi liberum, sed intentio libera: planè sicut actus immanentes tui, & vitæ vegetativæ proprij tibi non sunt liberi, tamen illos potes DEO offerre, & per illos glorificare DEVM, iuxta illud: *Benedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra me sunt, Nomini Sancto eius:* Et, *omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi?*

Sextò: Quæ ab alijs fiunt malâ intentione & peccaminosè, corrige dupliciter, & ad tuum cōmodum pertrahe. *Inprimis* actus materialiter per se non malos in DEVM dirige, in quem hi dirigi possunt, ut alia creata, & entia Physica. *Deinde* moralem eorum actuum malitiam deplora & compensa bonis actibus internis, & oppositis iuxta dicenda in Face viæ Vnitivæ §. XIX.

Septimò: Christi merita facis tua in usu Sacramentorum, & in omni actu supernaturali. Ex illo omnes ditamur, qui ex eius plenitudine accipimus. *Efficies* adhuc Christi Domini actus speciali modo tuos, eos approbando, de ijs gaudendo & complacendo, eos offerendo tibi appropriatos, ad eos anhelando; quoad licet. *Similiter* intellige de actib. B. Virginis & Sanctorū; quorum merita simili modo facies tua, adhibitis etiam quæ dicta sunt hîc sub Primò, Secundò, & Tertiò.

Octavò:

Octavò: Quæ potuissent benè fieri in quavis circumstantia & conditione loci, temporis, personarum, ab initio mundi ad eius consummationem; sed vel ex negligentia, vel ex aliquo impedimento posito sunt omissa, vel omittentur: ea rata iuverit habere, si fuissent, ac desiderare elicita fuisse vel elicienda. Simili modo bona opera possibilia aliena, & quidem omnia, etsi nunquam ponenda, coneris in tuum thesaurum trahere.

Nonò: Quæ ignavi faciunt bona, sed non libenter, sed invitè; hæc ad te trahes voluntate promptâ, & desiderio fervoris in ijs accendendi, & postulatione illius, & oblatione tuî ad operandum prompto animo cum DEI gratia. *Simile* quid de Troilo legitur, in vita S. Ioannis Eleemosynarij, non libenter largito triginta libras auri in opus misericordiæ; quas refundens illi mærenti de bono opere Ioannes Eleemosynarius, eius meritum & cæleste præmium in visione oblatum ad se traxit.

Decimò: Quæ alij nolunt aggredi bona, tu offer & aggredere, quoad licet. Sic eris supplantator Iacob. *Sic* fecit S. Sigfridus Episcopus ad Sueciam convertendam se offerens, cùm alios Rex Angliæ non posset inducere.

Vndecimò: Non invide, sed potiùs gaude de alieno bono, & tuum facies, iuxta doctrinam Augustini.

Duodecimò: & quidem specialiter ex alieno ditesces, si animas quàm plurimas iam Inferni reas ob peccata gravia, & in barathrum illud cæcè ruentes Orco subducas, & per industrias salutem animarum Zelantium convertas salvesque. hæ enim animæ peccatrices, iam sunt alieni iuris per peccatum; & jus ad illas Orcus habet. Qui ergo tales animas eripit ex ore leonis, & è potestate dæmonis, ali-

nis, aliena hæc aufert, deprædatur Infernum, & ditat cælum hâc rapina, ditat ærarium Magni DEI, & per hoc ipſe diteſcit.

Decimotertiò: Diteſcit ex alieno merito, qui ad illud aliquo modo juvat, vel vires auget, fovetq́; tum mentis, tum corporeas, ut ſunt Doctores & Scriptores, item Fundatores loci alicujus ſacri; aliјq́ue, qui neceſſaria corpori ſubminiſtrant, aliaq́; opportuna Zelantibus animas, & gloriam DEI promoventibus in ſe & alijs, vel alia bona opera exercentibus. Qui quidem omnes eò magis participabunt de alieno bono opere, quantò magis illud intendent per fomenta illa virium internarum & externarum à ſe ſubminiſtrata ſanctè operantibus vel operaturis.

Vltimò diteſces ex alieno, offerendo DEO omnia etiam irrationabilium Creaturarum opera & obſequia, in ijs & pro ijs DEVM glorificando, gratias agendo, ad DEI laudem invitando: Benedicite omnia opera Domini Domino: Benedictus DEVS in omnibus operibus ſuis, &c. Sic ergo diteſce ex alieno.

§. XLVIII.
Dives ex nihilo.
SEV
Diteſcere in meritis per quoddã nihilũ.

Trahi huc poteſt illud, *Pſalmi 55.*

Pro nihilo ſalvos facies illos.

Theſaurizate vobis theſauros in cælo. Math: 6.

I. NOVam Aurifodinam tibi aperiam: Vena

 Nihili

Nihili te ditabit. Industrias ditescendi sectantur alij multas, sed laboriosas. Nullus ex nihilo se posse ditiorem evadere putat, sed vel nummus nummum parit, ut in cambio; vel industria, aut gratia; vel hæredum conditio, vel actus aliqui positivi faciunt locupletem. Sed ego in Nihilo *divitias salutis* reperi; illucque traho verba Davidis: *Pro nihilo salvos facies illos.* Dives omnino Nihilum, ex quo res tam pretiosa, ut est cælum & Salus animæ eruitur! tale Nihilum est pretio æstimabile! nec iam dicere licet, *Ex nihilo nihil fit*; cùm ex nihilo fiat illud *Aliquid*, quod Cœlestis possessio est.

2. Creatio est productio ex nihilo. Actio talis soli DEO communiter tribuitur, qui ex nihilo res pretiosissimas protulit, ut est Anima Christi, & B. Virginis, omniumq; hominum & Spiritus Angelici, nec non cælum & terra: omnia hæc ex ærario Nihili produxit Omnipotentia Creatoris; quod etiam dici potest *Ærarium DEI.* Sed non tantùm dives est Nihilum quoad Naturalia bona; etiam moralibus abundat, quòd plurimos efficiat perfectiores, iuxta mox dicenda: cæiumq; præparat, cælum ditat. Ergo imitare Creatorem DEUM; & tu ex nihilo, de quo dicemus, profer merita & auge. Sic *Novi Creatoris* Nomen indues, cui *actio ex nihilo* moralis sit familiaris.

3. In diem vivimus, *in diem æternitatis*, ut illum vocat Apostolus. Porrò ut dies Naturalis constat ex die & nocte Artificiali, seu ex mora Solis infra & supra horizontem nostrum; ita & Diem æternitatis Beatæ nobis conficiunt Dies & Nox, Lux quædam & Tenebræ. Opera bona & actus meritorij positivi, sunt velut Dies & lux. Nihilum verò, de quo hic agitur, est velut Nox & Tenebræ. *Factumq; est vespere & manè dies unus*, quo *denarius* ille *diurnus*

diurnus acquiritur in vinea Domini Sabaoth. Merita quidem ex nihilo, sub vesperæ vel Noctis nomine non facilè videntur; sed sunt ideò tutiora: Sunt abscondita à plerisque; sed tamen lynceæ animæ illa advertunt; & *Nox* illis *sicut dies illuminabitur*.

4. Constantinus Magnus cordi ex torque appenso, inter afficta suppliciorum instrumenta, epigraphen inscripsit: *Nihil, nihil, nihil.* Quo etsi ille innuerit, cor amans DEI & Patriæ nihil etiam terribile exterrere posse, & ab illo amore separare: tamen idem in Nostri Nihili laudem trahi potest, quòd cordi aureo appositum Nihil, illud nobilitet ac condecoret, & aurum auro addat, à pretio ingeniosæ ac imperterritæ virtutis. Et tu Nihil hîc exponendum cordi tuo circumda; sic gloriosius ditiusque evadet.

Modi ditescendi ex Nihilo communiores.

PRIMUS *Modus:* Humilitas ditat, quia justificat, ut iustificavit Publicanum; quæ tamen suo Nihilo intentum hominem facit, & jubet cogitare, quemq; ex sese nihil se esse, nihil posse, sed sufficientiam esse à Deo: *Sinè me nihil potestis facere: Substantia mea tanquam nihilum ante te.* At quanta ex hoc nihilo penitiùs inspecto Humilitatis virtus! quantum periculum salutis amittendæ & seductionis noxiæ, sinè huius Nihili cognitione, cùm dicat Paulus: *Qui putat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* En Nihilum salvans. Pro nihilo salvos facies illos!

Secundus Modus: Priori Nihilo deterius adhuc Nihilum est quodvis peccatum, quod utique est

quædam negatio rectitudinis ac laudabilitatis inſita malitiæ peccati. Certè mortifera peccata tollunt charitatem; at Paulo teſte: *Sine charitate nihil ſum*: & quantò plura eiuſmodi peccata, tantò magis nihil es coram DEO, & per venialia ad tale Nihil diſponèris. ô quantum id, quàm deteſtabile Nihil! Et tamen hoc etiam *locupletat*, dum eius memoria & conſideratio gravitatis ſalubriter concerit, dum profundè humiliat, nec oculos Publicani & Manaſſis *levare* ſinit in altitudinem cœli, velut indignos hoc etiam ſpectaculo omnibꝰ communi; adeò ut Bernardus dicat: *Melior eſt peccator humilis, quàm virgo ſuperbus*, vel ille, *qui ſinè humilitate virtutes congregat.* Ita ergo & hoc tam deteſtabile Nihilum occaſionaliter ditat.

Tertius Modus: Omnia terrena, comparata ad bona æterna, imò etiam ex ſeſe pænè ſunt nihil. Si *homo* juxta Davidis ſententiam *eſt univerſa vanitas*; certè alia homine minora, multò magis. Item mundi pompa & faſtus quoddam eſt idolum; at *idolum, nihil eſt in mundo*, ut ait Paulus. Et tamen hoc Nihil, id eſt, terrena bona & mundi gloria, dum contemnitur ob Chriſtum, ditat nos in centuplum & in vitam æternam, Chriſto id promittente: *Vos qui relinquiſtis omnia*, & ſecuti eſtis me, *centuplum accipietis*, & vitam æternam poſſidebitis. En nihilum ditans!

Quartus Modus: Merita noſtra reſpectu præmij infiniti pænè ſunt nihil. Nam & ideò dicitur: *Prò nihilo ſalvos facies illos.* Item nihil mereri poſſumꝰ ſinè Gratia Præveniente & cooperante; at verò hoc ipſum Nihil non agnoſcere, ſed ſuis viribus totum arrogare, ſuperbiæ damnabilis eſt, & Pelagianus error, dicens: *Manus mea hæc fecit omnia*, & *non Dominus.* Proinde contrarius de Nihilo virũ noſtrarũ-

ſtrarum ſine auxilijs gratiæ, ſenſus veritatis eſt, datque gloriam DEO ſoli; & divitias animæ ſuis viribus diffidenti, nihilq; ſibi arrogantius tribuenti parat.

Quintus Modus: Paupertati proprium eſt Nihil, & illa deſcriptio illi convenit: *Nihil habentes*, nihil pro libitu ſuo ac independenter à Superiorum arbitrio uſurpantes. Sed ô dives Nihilum! quomodo id ditat in cælo & in terra: in cælo; nam pauperum eſſe regnum cælorũ Chriſtus dicit: in terra, ob Centuplum ab eodem promiſſum. *Iuvat hic referre*, quod de S. IGNATIO Societatis Noſtræ Auctore legimus. Inter viſiones SS. Triadis & B. Virginis fecit js *oblationem ex Nihilo*, ſeu *obtulit* Patri Æterno *Nihil quoddam*: nempe Nihil redituum ad templa Domoſque Profeſſas Societatis, ſed ut mendicatò ibi Noſtri viverent, fuitque id Nihil DEO gratum, & Societatem inter Mendicantium Ordines & Privilegia inſcripſit, atque Sanctum Patriarcham in vberes DEO gratias longiùs protrahendas impulit, pro inſtinctu huius Nihili immiſſo.

Modi diteſcendi ex Nihilo ſpeciales.

PRIMVS *Modus* conſiſtit in uſu diteſcendi ſpiritualiter ex alieno, qui deſcriptus proximo ante hunc §. nam dum ex alieno ditaris, quaſi ex Nihilo ditaris, eò quod in alieno nihil ſit tuum; alioquin non eſſet alienum. ergo ibi dicta recole, ut diteſcas ex Nihlo.

Secundus Modus: Conditio *Nihil* ponit in eſſe ſeu in actu. cùm ergo conditionata deſideria multa & ſanctiſſima à nobis doſſint elici (ut dictum in Face Viæ Purgativæ de Purgatorio deſiderij) *nihil*

ponent hæc desideria præter seipsa, & tamen illa mereri plurimū posse nemo diffitebitur. Quis enim huic v. g. actui neget meritum: *ô si ad te possem totum mundum convertere; quàm id vellem, ô D E U S*! Ergo ô Vir desideriorum, hoc Nihilo ditesce.

Tertius Modus: Quidam docet *D E U M colere toto nostro Nihilo*: quia putat nihilum Creaturæ quoad totam suam latitudinem sumptum, Divino esse per oppositū commensurari, ita vt quidquid in D E O est, totum illud in Nihilo Creaturæ non sit, seu nihil sit de latitudine Esse Divini. Toto igitur Nihilo juxta eius latitudinem & opponibilitatem adæquatam Divino Esse docet sese submittere D E O, & iuxta omnes, ut sic dicam, gradus nihili oppositi in quavis perfectione D E O, colere, adorare, laudare & amare D E U M, & in Divino Esse quoad omnia opposito sibi complacere, & de illo gratulari D E O. Etiam ex hoc nihilo sic ditescere licet.

Quartus Modus est specialissimus, in hoc situs. Considerat hic quasdam negationes, privationes, cessationes, omissiones, carentias, & ex illis ditari intendit, v. g. non es in aliquo loco, ubi gratum esset morari vel manere, & hoc libenter acceptas ex voluntate D E I & Superiorum, atque id offers D E O: Item non conversaris cum aliquibus Personis vel amicis tibi utilibus & gratis, vel ob distantiam, vel ob supervenientem aliquam causam: Item non habes aliqua solatia externa vel interna hîc, quæ alibi haberes, etiam spiritualia & sancta, ut ex conversione animarum &c. eò quòd ibi non sis ex voluntate Prælatorum; & alij huiusmodi licitis solatijs fruuntur, tu verò eorum carentiam ultro à D E O acceptas & pateris: Item non provenit tibi fructus in animabus, quem velles, & in quem incumbis, vel quos alij hîc & alibi per Orbem,

bem, nacti meliorem opportunitatem vel aptitudinem, producunt, quibus similes vel maiores ardenter desideras ob purissimũ gustum DEI: Item non habes ullos plausus vel successus exoptatos rerum, nec ad splendida in oculis hominum promoveris, nec tibi gratia vel favor ullus exhibetur aut gratitudo; & hæc omnia acceptas patienter, imò per exercitium virtutis etiam libenter: sanè hæ negationes & carentiæ te locupletabunt in anima & animæ thesauro, quæ tamen in se nihil sunt. Item ultrò omittis aliqua cum victoriâ tui, vel cessas à re desiderabili; nec frueris, quibus licitè posses: negas item aliquid sensibus: taces tua laudabilia, nec occasionem honoris aut æstimationis captas: item non te vindicas aut defendis: item carentiam aliquorum talentorum ob reverentiam & amorem Divinæ Voluntatis toleras & acceptas: item abstinentias inevitabiles (v. g. à cibo & potu, quales sunt ante tempus mensæ & Sacrificia) immunitatem à peccato homini non liberam, ut est in somno, approbas; omnes hæ carentiæ & omissiones dicunt in se nihil; & tamen volitæ & approbatæ propter DEVM & amorem virtutis, possunt te ditare spiritualiter. Sic ergo in dies ditescas ex nihilo.

§. XLIV.

Vita Reflexa.

SEV

Conversio ad Cor.

Loquetur pacem in eos, qui convertuntur ad Cor. Psal: 84.

1. SAnctus Thomas ait: *In minori mundo*, id est, *homine, idem est defectus considerationis, quod in*

in maiori mundo est defectus illuminationis. Nam ab illa est decor, directio, & securitas; sicut ab illuminatione. Lux dirigit, lux insidias detegit, adeòque securitatem præstat, lux venustat, rebusque quodammodo colorem reddit, lux serenat. Idem consideratio animo præstat, quod lux oculo. Ergo illuminare, nec sinè hac luce progredere.

2. Reflexi radij agunt fortiùs & intendunt lucem ac calorem: item per lineam rectam regredientes agunt in minùs luminosum, illudq; intendunt. Sic nempe & vita reflexa auget animi bona, sic minùs perfectos perficit. Ergo ô redire ad cor! ô ad cor converti!

3. Hæc mentis reflexio est propria creaturæ intellectualis: nam bruta super actus suos non reflectunt. Eadem est velut speculum, in quo videas, quæ in te corrigas: *Corriget Orbem terræ.* Est Cynosura regens cursum vitæ in hoc mari spatioso ad vitæ portum. Est reparativa damni, cumulativa meriti: juvat ad evadendum illud, quod alioquin irreflexis nec in se descendentibus minatur DEVS: Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Denique Scriptura eos laudat, qui convertuntur ad cor; & Filium Prodigum qui reversus in se dicitur: Imò & in B. Virgine, quæ *Conservabat omnia verba, hæc* conferens in corde suo, id tantopere prædicatur.

Quædam Reflexiones in particulari.

PRIMO. Laudabilis est reflexio super actiones nostras per examen earum, post quamlibet earundem peractam, saltem maioris momenti v. g. post meditationem, post Sacrum celebratum, post

post auditas plurium Confessiones, post diuturnam conversationem, &c. Id verò laudabilius est, si examen conscientiæ sit horarium seu quâlibet horâ, exemplo & ex monito S. P. IGNATII: item per examen particulare more Societatis.

Secundò. Reflexio prævia ante actiones, præfigendo illis certum modum agendi, præmissâ invocatione DEI, & sanctiori intentione: In dubio de modo agendi, adhiberi breviter potest aliquis modus ex Exercitijs Spiritualibus de Electione. Huc spectat oratio prævia, brevissima saltem, antequam aliquid aggrediaris, vel respondeas, aut alteri consulas.

Tertiò Reflexio hebdomadaria & menstrua circa vitia, virtutes, actiones ordinarias & occurrentes, usum mortificationum, officium proprium, augmentum vel diminutionem profectûs, vota & regulas, huc refertur.

Quartò Reflexio tempore actionis ad ipsammet actionem, & circumstantias rerum ac Personarum, ad finem & modum agendi, ad decôrum, ad præsentiam DEI, ad rationem statûs cum interna mentis elevatione & occupatione. Certè apud Lucanum ait de se Cæsar.

- - - media inter prælia semper
Stellarum cælique plagis, superisque vacavi.

Quintò Reflexio & elevatio mentis horaria per aliquos actus internos v. g. Contritionis, intentionis renovatæ, ac Memoriæ Præsentis ubiq; DEI, renovationis votorum, Communionis Spiritualis, horariæ præparationis ad mortem, compensationis internæ Divinarum per Orbem offensarum, oblationis omnium bonorum actuum, qui fiunt per orbem à quocunque, brevis memoriæ Christi Passi, per, *Amor meus Crucifixus est*: memoriæ SS. Sacramenti,

menti, per, Laudetur adoretur, ametur, glorificetur, nosq; iugiter pascat in æternam vitam SS. SACRAMENTVM: memoriæ B. Virginis, per salutationem Angelicam: brevis aspirationis pro vivis & defunctis: electionis Patroni specialis in horam sequentem: actuum amoris Divini, laudis, adorationis, superexaltationis, gratitudinis &c. Hæc verò sensim usu frequenti breviter elicere faciléq; assuesces; aut saltem semel manè elicita, breviter horâ quâlibet approbabis.

Sextò Reflexio frequens circa usum internarum & externarum mortificationum, circa usum devotionum, circa usum gratiarum à DEO concessarũ, usum temporis & linguæ, super vitia crebriora & passiones animi, de exercitio virtutum solidarum, de perfectione actionum quotidianarum: quæ reflexio potissimùm in Mediatione & Examine Conscientiæ adhibenda.

Septimò Reflexio supra proposita in hoc libro, de frequenti & horaria morte, de Permutatione & Dedicatione cordis DEO: de voluntatis tuæ desponsatione cum Divina: de fædere contra rebellionem voluntatis propriæ, de Praxi eligendi quod pefectius: de quintuplici Societate amoris: de voto agendi omnia ex amore DEI & latria, & ex amore ac Hyperdulia MARIANA: de Purgatorio triplici, de Inferno salvante, de Martyrio Incruento, Baptismo Morali, de Pactis cum DEO & cælo, de victoria tuî & continua mortificatione, de Continuo morali, de solidis virtutibus, de liberalitate in DEVM &c.

Octavò Si prævideas te horis aliquibus fore occupatiorem, vel vbi non vacaret horas distinguere dictis reflexionibus; tunc antecedenter vel postea ho-

ſtea horâ liberiori multiplicatis actibus omiſſos compenſa, & horæ cuilibet ſubſtitutis.

Nona Reflexio de quotidiano Profectu Spirituali.

Creſcamus in illo per omnia. Eph: 4.
Ibunt de Virtute in Virtutem Pſal: 83.

1. IN dies, imò in horas augenda Sanctitas & gratia. Quælibet *hora* ſit, *in qua melius*, ut Regulus ille in Evangelio de filio prodigiosè ſanato *interrogabat horam, in qua melius habuerit.* Habet horologium & iuſtitia, in quo horæ inæquales, una aliâ maior meliorq; . *Dicite iuſto, quoniam Bene.* Sed eidem iuſto curandum eſt, ut horâ proximâ ſit melius: nam *qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*, & fructum afferat *in corde bono & optimo.*

2. Comæ cœleſtis Sponſæ dicuntur *ſicut elatæ Palmarum.* capilli triumphales, nempe vel ideò, quòd in horis & momentis, quibus vivit iuſtus, una hora vincat aliam augmento Sanctitatis: vel quia momenta & minimæ particulæ vitæ iuſti palmam exprimunt, tum in eo, quòd ut palma habet effectus ſalubres 360. & quolibet menſe novum ramũ fructiferum profert; tum ut palma infrà gracilior, ſenſim in altum creſcit latior; ſic iuſtus continuò auget, per quæ iuſtior evadat; *iuſtus ut palma* continuò creſcit, magiſq; proficit

3. Praxis quotidiani profectus in Spiritu ſic inſtituetur. *Primò* Manè propone agere omnia ex ijſdem motiuis ſupernaturalib9, quæ heri adhibuiſti; ſed ſemper & in quolibet momento, actione, & parte illius minima cum maiori proportione amoris, religionis, aliorumq; motivorum; idque pro viribus

viribus procura in qualibet actione, ac tale desiderium renova in celebrando, in recitandis horis Canonicis, scribendo, legendo, &c.

2. Iuvat aliquos bonos actus antè elicitos, multiplicare in dies & pluries elicere; item usu frequenti exercitium aliquarum virtutum, mortificationum, & victoriarum facile reddere ac dulce.

3. Curare quotidie diminutionem defectuum tum quoad speciem, tum quoad numerum; & contra heri commissos vel in agendis occursuros te præmunire.

4. Conari agere omnia iuxta habitum quâvis horâ auctiorem: idque proponere quovis quadrante libero.

5. Quolibet quadrante, aut cùm vacat, renovare illam voluntatem, quâ velis omnia deinceps à te elicienda, esse omnem actum virtutis, idque semper maiorem; & hanc ipsam voluntatem esse præteritâ maiorem ac perfectiorem in certa aliqua intensione.

6. Velle, & approbare, & offerre omnes omnium bonos actus ac merita, quæ fiunt quotidie & quâlibet horâ & fient, omnia simul colligendo, & singulis horis, imò & liberis quadrantibus certâ aliquâ propotione quoad eorum momenta, gradus, & particulas ea multiplicando, & intensionem illis addendo pro libitu magnam, uti & possibilibus possibilem.

7. Quod si quis in dies & horas non proficiat, saltem continuo exercitio humiliationis suî coram DEO ob suam imperfectionem & teporem se confundat, multiplicatâ seu intensiore semper humiliatione suî iuxta gradus & numerum imperfectionum additarum.

8. Si item quis non proficit, saltem non deficiat:

ciat: si deficit, saltem in ijs, quæ citra noxam vel noxarum augmentum: Si non citra noxam, saltem non graviter vel non tam graviter, non scandalosè, non periculosè, non frequenter, & mox elicitâ suî humiliatione & contritione, ac compensatione imminuti cultûs Divini per aliquem bonum actum.

9. In exercitio virtutum, quæ sunt difficiliores, adhibendus is in proficiendo conatus, ut exerceantur primò saltem æquanimiter; deinde faciliùs, post etiam libenter & cum delectatione. *Denique* imitare eos, qui adhibitâ diligentiâ proficiunt in literis, & exercitijs alijs corporalibus. Imitare lucri avidos & avaros opum corrasores: imitare & ignem, qui semper dicit, *Affer, affer:* Ad extremum imitare illos, qui in stadio vitæ spiritualis omnem adhibuerunt industriam: tempore enim tuo & tu metes non deficiens, quæ fructuosè seminaris.

§. L.

Actus Supernaturales.

Nil operari ex solo affectu & ductu naturali, sed supernaturali omnia.

Non acquievi Carni & Sangvini. Gal: 1.
Omnia vestra in Charitate fiant. 1. Cor. 16.

1. MVltum interest, semper exercere actus supernaturales, non merè tantùm naturales. nam supernaturales tantùm merentur gratiam & gloriam, quæ est ordinis supernaturalis. Et verò communes sunt naturales affectus actusvè peccatoribus etiam, communes ethnicis, imò brutis. Sunt utique etiam actus virtutũ morales in Ethnicis, sed

cis, sed naturales & iuxta ductum naturæ ac rectæ rationis, vel honestatis naturalis: ut cùm iustitia ab illis administratur, amicitiæ coluntur, coniugia consanguineorum saltem in primo vel altero gradu caventur: item affectus naturalis filiorum in Parentes, Parentum in filios, amici ad amicum, ad gratiosum & affabilem pronitas affectûs: ad sensuum licita oblectamenta, ad corpus fovendum per alimenta, & arcendas ab eo cæli iniurias lusus honestos, & sic de alijs, qui tamen affectus omnes naturales sunt etiam in peccatoribus & ethnicis, quibus nil lucrantur gratiæ & gloriæ. ô quot & tu huiusmodi actus exerces sine lucro animæ æterno!

2. Adverte hîc, etsi actus naturales alij sint boni moraliter, alij moraliter praui; tamen agi tantùm de actibus naturalib9 bonis moraliter & exigi à te, ut omnes supernaturalitate induas & lucreris. Quod suadet tum illud monitum Pauli: *Omnia vestra in charitate fiant*; ubi utique non agit de naturali charitate, sed de illa, de qua dixit: *Diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum*. Item alibi monet: *Omnia quæcunque agitis in verbo & opere, omnia in gloriâ DEI facite: in omnibus gratias agentes DEO per IESVM Christum.* Idem Paulus de se ait: *Non acquievi Carni & Sangvini*; non tantùm in rebus malis, sed in merè naturalibus affectibus id etiam curandum innuens. Quò quis affectu naturali trahitur, si illuc eat, huic acquiescit. at tu non acquiesce soli affectui naturali, non acquiesce Carni & Sangvini

3. Supernaturalitas hæc actuum consistet in duobus, in Principio, & Motivo. Principium enim talis actûs est, auxilium DEI speciale & supra vires naturæ. Unde etiam supernaturale describitur esse id, quod superat vires naturæ activas vel passivas; ita ut nempe hîc Auctor Gratiæ DEVS requiratur. Mo-

tur. Motivum etiam debet esse supernaturale, saltem ultimatum. Patet in Paulo & principij & motivi huius necessitas 1. præterquam enim quòd docuerit: *Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est*; Insuper de se dicit: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Item: *Gratia DEI in me vacua non fuit*, sed gratia eius semper in me manet. operabatur ergo cum gratia, cùm hæc in illo non fuerit vacua, & nunquam sine illa operabatur, cùm semper in illo fuerit, & quidem non vacua: *Non ego autem, sed gratia DEI mecum.* Quoad motivum patet, cùm dicit: *Sed in his omnibus sustinemus propter eum, qui dilexit nos: Propter te* mortificamur tota die: Omnia sustinemus *propter Electos: Omnia in gloriam DEI*. En motiva agendi.

4. Ad dignoscendos actus supernaturales à naturalibus juvat inter alia, nôsse diversos motus Naturæ & Gratiæ, quos describit Auctor libelli de Imitatione Christi *lib. 3. cap. 54.* quos hîc in compendium redigo. *Imò* ait: Natura semper se pro fine habet & decipit: Gratia omnia purè propter DEVM agit, in quo & finaliter conquiescit, eademq; ambulat simpliciter, & ab omni specie mali declinat, fallaciasque non prætendit. *2dò.* Natura non vult premi, nec superari, nec subesse, & invitè moritur: *Gratia* studet mortificationi propriæ, resistit sensualitati, quærit subjici, nec propriâ libertate vult fungi, nec alicui cupit dominari, sed propter DEVM omni humanæ Creaturæ parata est inclinari. *3tiò.* Natura pro suo commodo laborat, libenter honorem & reverentiam accipit, confusionem timet & contemptum: *Gratia* non quid sibi utile & commodum sit, sed quod multis proficiat, magis considerat: omnem honorem & gloriã DEO attribuit, gaudet pro Nomine IESV contumeliam pati.

pati. *4tò.* Natura otium amat & quietem, quærit habere curiosa & pulchra, abhorretq; vilia: temporalia respicit, gaudet ad lucra terrena, tristatur de damno, irritatur levi iniuriæ verbo: *Gratia* vacua esse non potest, libenter amplectitur laborē: simplicibus delectatur, aspera non aspernatur: attendit æterna, non inhæret temporalibus, nec durioribus verbis acerbatur; thesaurum suum & gaudium in cælo constituit, ubi nil perit. *5tò.* Natura inclinat ad Creaturas, ad carnem propriam, ad vanitates & discursus: amat propria & privata: libenter habet solatium aliquod externum: laudem & favorem pro benefactis consequi sperat, & multùm ponderari sua gesta ac dona concupiscit: *Gratia* trahit ad DEVM & virtutes, renuntiat Creaturis, fugit mundum, odit carnis desideria, restringit evagationes, erubescit in publico apparere, nisi vrgente charitate vel obedientiâ: in solo DEO quærit consolari, & in summo bono super omnia visibilia delectari. Nil temporale quærit, nec aliud præmiū, quàm DEVM solum pro mercede postulat. *6tò.* Natura gaudet de amicis multis, gloriatur de loco nobili, arridet potentibus, divitibus blanditur, applaudit sibi similibus: item de defectu & molestiâ citò conqueritur: ad se reflectit, pro se certat & arguit: vult exteriùs apparere, vult agnosci, & agere, unde laus & admiratio procedit. Sed *Gratia* inimicos diligit, nec de amicorum turbâ extollitur; nec locum, nec ortum natalium reputat, nisi virtus ibi maior fuerit; favet magis pauperi quàm diviti, meliora charismata æmulatur: Item nil boni sibi adscribit, nec suam sententiam pertinaciter præfert: docet sensus restringere, vanam complacentiam & ostentationem devitare; laudanda & dignè miranda humiliter abscondere, & de omni re DEI

laudem & honorem quærere: non vult se nec sua prædicari, sed DEVM in donis suis vult benedici, qui cuncta ex mera charitate largitur: denique hominem de terrenis ad cælestia amanda sustollit, & de carnali spiritualem efficit. Habes Lydium lapidem, ad quem te explores, & affectus, an sint naturales, seu ex principio, quod sit natura, non gratia.

5. Adhuc, ne actus tui merè sint naturales, sed supernaturalitatem induant, sintque meritorij, *Primum dogma* accipe: Ex merè naturalibus actibus fient supernaturales, per intentionem & Motivum supernaturale: & universaliter loquendo, omnia operari ex amore erga DEVM, qualis & quatenus in scripturis Divinis & ab Ecclesia erga Deum præscribitur; omnia item in DEVM velut ultimum finem dirigere, & in laudem, cultum & gloriam illius: omnia propter illum, per fidem cognitum agere & pati. Sic enim inducetur & actibus supernaturalitas. *Secundum dogma*: Conari agere eo modo, eo fine ac intentione, eo item affectu, quo eadem opera fecerunt, quibus ea sub illo modo & intentione ac conatu fuerunt supernaturalia. *Tertium dogma:* Ex actibus merè necessarijs, efficies virtuosos & supernaturales per actum, quo voluntas DEI amabitur, quæ huic nos necessitati subijcit; si item is ad finem supernaturalem, quoad potest, dirigatur. *Quartum dogma:* ne actus merè sint naturales, cavendum ne quidquam opereris ex amore proprio minùs ordinato: *item* ne quidquam agas ex passione & affectu; *item* nihil ex tractione à sensibus externis & habitu vitioso, nihil ex motivo tantùm merè naturali ut est amor personarum ex sola sympathia, vel gratia exteriori vel cognitione. *Quintum dogma:* Iuverit ad altos & supernaturales fines

les fines dirigere, atque per sanctas intentiones offerre tum manè generaliter, tum sæpiùs in particulari omnes actiones tuas immanentes & transeuntes, liberas & necessarias, internas & externas cum omnibus circumstantijs durationis, & quibusvis offeribilibus, ut à nobis in omnibus, quoad omnia semper benedicatur DEVS & glorificetur, &c. &c.

§. LI.

Operari ex Virtute.

Vt in omnibus honorificetur DEVS per IESVM *1. Petr: 4.*

1. DE quorumdam Sacrificijs & actibus Scriptura Prou: 1. dicit: *Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere*; nimirum quòd vel ex malè partis offeruntur, vel quia motivum illis agendi, scelus aut iniqua intentio. At si abominabiles sunt hostiæ & opera ex scelere facta; gratissimæ erunt DEO actiones ex virtute, seu ex impulsu virtutis ac motivo sancto; maximè si virtus illa impellens non habeat illud annexum, ut *ex tristitia vel necessitate* opereris, sed sponte & libenter. Quare asuesce sic agere omnia ex virtute: id est, omnis actus tuus sit actus alicuius virtutis, nempe vel elicitus à virtute, vel imperatus, seu factus ex motivo virtutis alicuius, etsi non sit actus ille proprius illius virtutis. Dic & tu cum Dauide: *Et omnia opera mea laudem dicent tibi:* Et illud. *Totâ die & nocte non tacebunt laudare Nomen tuum.* nempe & somnus in laudem Domini dirigendus, ut nox etiam illum laudet, quâ somnus capitur: & omnia diei totius opera eodem dirigenda, ut sint actus virtutis, quatenus fiunt ex virtute. 2. Ber-

2. Bernardus S. Iosepho tribuit Nomen novum: *Ioseph Homo virtutis*; ut è contra Antichristus vocatur à Paulo, *Homo peccati*. Qui est alicuius, totum se illi debet, nec sui iuris est, sed alieni. proinde *homo virtutis*, totus est virtutis, omnis actio illius virtuti servit ac militat: omnis actio illius à virtute elicitur vel imperatur. Esto sic homo virtutis: pulchrum est possideri à virtute, seu totum esse pænè ex asse virtutis: ut Antichristo infame & proprium, quod sit futurus totus pænè peccati, Homo peccati.

3. *Virtus est proprium hominis bonum*, ut ait Seneca. si proprium; ergo hâc notâ maximè homo discernetur à bruto, quod virtutis utiq; expers est. at si homo es, propriam hominis notam discernentem te à brutis, omnis pænè actio tua circumferat necesse est, ut actio censeatur humana, non brutalis. proinde ex virtute operare.

4. Paulus monet: *sine intermissione* orate: *In omnibus gratias agite* DEO per Christum. Ergo vult Paulus totam vitam nostram & omnes actiones esse actus Religionis, cuius est actus Oratio; & totam vitam omnesq; actiones esse actus gratitudinis erga DEUM. Item monet, *omnia vestra in charitate sunt*: omnia *in gloriam DEI* agite: En iterum vult nostram vitam esse quasi continuam virtutem charitatis, & glorificationis Divinæ. Si ergo ita est; an non clarè hîc exigitur, ut omnis actio nostra sit virtutis & ex virtute, cùm & particulares suadeantur religionis, gratitudinis, glorificationis Divinæ in omnibus: & insuper charitatis, quæ omnes in se complectitur, iuxta illud: *Plenitudo legis dilectio*: Qui diligit, *legem implevit*.

2. Porrò ut scias, quid suadeatur, cùm suadetur ut omnia agas ex virtute; *Adverte imò*. Quòd actus plurimi fiant ex ductu naturæ, alij ex consue-

tudine frigida, alij ex respectu vano & humano, alij ex hypocrisi, alij invitè, alij contingenter & casu, alij ex proposito quidem, sed non affectu alicuius virtutis, sed alio indifferenti aut vano fine, & naturali. *Vos autem non sic*; sed omnibus istis velut scopulis evitatis studebitis, ut actio fiat ex motivo virtutis & finis supernaturalis, vel quia DEO placet, vt DEO placeat, ut in omnibus honorificetur DEVS &c.

Adverte 2dò. Posse fieri actiones singulas vel ex motivo vnius virtutis, vel plurium simul. Si ex unius virtutis motivo; intellige id de virtute vel propria illius actûs, ut ieiunium ad virtutem Temperantiæ pertinet; vel virtute alia imperante; v. g. iejunium ex obedientia præcipienti Ecclesiæ, vel ex charitate erga DEVM, vel ex motivo pænitentiæ & satisfaciendi pro peccatis, vel pro animabus. propter maius tamen meritum, placeat ex motivo plurium virtutum agere.

Adverte 3tiò. Quòd etsi omnes virtutes possint quasi quid transcendens respectu actionum humanarum considerari, quia omnes in actionibus dictis suo modo imbibi possunt, quatenus omnes ex illarum motivo & amore imperatæ actiones, virtutis imperantis induunt vim & laudem; tamen maior harum charitas; seu maius est omnia ex charitate in DEVM operari: item ex supremâ moralium Religione, ob cultum, reverentiam & honorem DEI, & ex voto omnia operando.

Adverte 4tò. Posse motiva particularia singulis actionibus ordinarijs accommodari v. g. *dum ægros invisis*, posses intendere, ut in die iudicij à Christo audias: *Æger eram, & visitastis me*, Venite benedicti: *Dum jejunas*; ut Christum jejunantem imiteris, posses intendere, vel præmia abstinentiæ illa: *Qui*

corporali

corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, & sic de cæteris actionibus.

Adverte 5tò. Si fiant opera ex bona & laudabili consuetudine, juvat consuetudinem actu approbare ex motivo proprio actui virtutis, vel alterius.

Adverte 6tò. Opera contingentiæ, posse reduci ad virtutem, si, vel cum primùm advertis id opus tibi agendum subitò; vel antecedenter in horaria intentione, quâ offers DEO, quidquid ages ex proposito, vel contingenter, quatenus ad DEUM sit referibile, offeras. Inevitabilia ac necessaria reducentur ad virtutem, vel per antecedentem illa communem omnibus intentionem, vel ex voluntate DEI illa acceptando; aut si molesta sint, tolerando, non ex tristitia & necessitate, sed animo volenti, & quoad potest virtus, hilari.

Adverte 7mò. Indifferentia, sed iucunda animo vel corpori, sunt per actum Motivo supernaturali informatum virtuti transcribenda; ut est calefactio in hyeme, refrigeratio in æstate, cibus, somnus, potus, sessio, quies, recreatio; in quibus virtutis meritique ratio miscebitur per parciorem eorundẽ usum, vel si aliquid de ijs studio mortificationis subtrahatur; vel gratiæ pro his DEO misceantur. Similiter conversatio & colloquia sanctiore motivo sublimanda, inutilia recidenda.

Adverte 8vò. Nec minima à ratione virtutis secludenda esse. Sic minimas particulas temporis ad meritum trahes; vel mentis exercitio per internos actus renovatæ intentionis, vel propositorum, vel amoris laudisque Divinæ; vel orationis vocalis ac jaculatoriarum, vel occupatione externâ ex fine supernaturali. Tales particulæ temporis sunt, dum per ambitum domûs, per forum incedis, ad templũ,

 ad alta-

ad altare vel ab altari, ad triclinium, dum ſtas ad Benedictionem, vel poſt menſam.

Adverte 9nò. In rebus afflictivis magis dari occaſionem virtutis, ibi eſt locus victoriæ tuî, æquanimitatis ac tolerantiæ, conformitatis cum voluntate Divina, gratitudinis pro immiſſa afflictione, ſubiectionis DEO vtenti ſuo jure & benignè caſtiganti, ut alibi parcat; poſtulationis auxilij ad libenter etiam tolerandum, fugæ ſolatij ad leniendam afflictionem capiendi, oblationis tuî ad maiora, quibus te dignum fateare: fiat item approbatio Divinæ permiſſionis: *Bonum mihi, quia humiliaſti me: ſicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit Nomen Domini Benedictum.* Sit dulcoratio Crucis per memoriam Crucifixi: oblatio eiuſdem pro animab9 Purgatorij; unio eiuſdem cum Chriſti & Martyrũ maioribus cruciatibus ac amore, quo paſſi.

§. LII.

Concluſiones de Merito.

Augebit incrementa frugum iuſtitiæ:
2. Cor. 9.

1 QVamdiu degis in hac vita, tempus eſt locuſque meriti, nec occaſio deeſt. Ergo Auge merita, & non auge demerita, *quoad* variam ſpeciem, *quoad* numerum, *quoad* intenſionem *vel* extenſionem; quæ tamen quatuor è contra in meritis adhibe. Item auge merita, non miſce his demerita.

2 Auge merita, & ſimul humilitatem. Neſciat ſiniſtra, quod facit dextra. opus bonum eſt quaſi dextra & ad Iudicis dextram attinet: ſuperbia, eſt ſiniſtra,

finiſtra, vergens ad Principē ſuperbiæ, hædorumque ſiniſtram.

3. Auge merita, ſed non propter tuum meritum, in quantum eſt bonum tuum, ſeu bonum tibi; ſed potius ut eſt bonum DEO, & glorificans DEUM: non attende ad meritum gloriæ, ſed etſi non eſſet cæleſtis retributio, auge guſtum & placitum DEI: placeas, quia id DEO placet. Certè Chriſtus ſibi nec gratiam, nec gloriam animæ merebatur, ſed nobis: in eo quidem alia fuit ratio ob Vnionem Hypoſtaticam; ſed & tu etſi aliter, id æmulare.

4. Auge tua merita per aliena, & aliena per tua. Primum fiet per doctrinam proximè traditā ſub 5. Dives ex alieno. Secundum fit, dum ædificat charitas, aliaque lux operum: dum ad bonum facto dictoque inducis, dum ratione & oblatione tuorum operum in eum finem, bonum proximi promoves.

5. Auge merita ex demeritis tuis vel alienis, occaſione deſumptâ ex illis ad dolorem ſupernaturalem vel compenſationem Divinæ iniuriæ.

6. Auge merita, dum non mereris, tum per dolorem ob negligentiam, tuique humiliationem; tum, ſi non deſit voluntas, dum impedimentum adeſt agendi. Somni etiam tempus docui ſuprà trahere ad rationem meriti.

7. Auge merita, dum non potes, vel quod deſit poſſibilitas, vel facultas, aut ob alium obicem; poſſunt ſe deſideria extendere ſub id temporis.

8 Auge merita, dum potes, id eſt, quàm diu, & quàm primùm, ubi, & quatenus potes; duratio enim augebit meritum, uti & perſeverantia coronatur. Occaſionem meriti elabi non ſinas, ſed avidè arripe.

9. Auge merita, quantum potes, id est, pænè secundùm vltimum potentiæ operando, seu totis viribus, tum conatum illuc exerendo, tum voluntatem conatûs, tum agendo cum ea perfectione, ad quam te internum lumen erudit.

10. Auge merita plùs quàm potes, conando operari supra habitum cum auxilio DEI extrinseco, & per desideria seria & accensa. Sæpiùs de his te examina, & à te illa exige, sed imprimis à Deo Auxiliante efflagita.

§. LIII.

Optimi Consultores.

SEV

Senatus Animæ.

Salus, vbi multa consilia. Prou: 11.

1. Electio iuxta Philosophum est *actus Præconsiliati*. Etiam hæc à DEO electorum nota est, quòd ex prævio agant consilio & benè res eligant; & hanc illorum præconsiliationem absolutè vel conditionatè prævisam à DEO eorum electio supponit. tanti est bene consilium inijsse, & sine consilio negotium salutis non aggredi. Hinc de gente reiecta à DEO dicitur in Deuteronomio: *Gens absq; consilio est.* Iuvant bona consilia, & boni consiliarij ad salutem.

2. Interest, cujus consilio utare. Vivente Davide erat *consilium Achitopel, quasi si quis consuleret DEVM.* Consilium Achitopel fuit melius ad intentum Absalonis, quàm consilium Chusai; quod posterius quia secutus est Absalon, relicto consilio

Achi-

Achitopel, victus est. Achitopel significat, *fratris mei ruina*; de illo est oratio Davidis: *Infatua quaeso, Domine, consilium Achitopel.* interest ergo an infatuati Achitopel consilium sequaris, an aliud: an caecum, & cui ruina tua placet, requiras, an Videntem; dic potius & tu: Veniamus ad Videntem; quae fuit veterum phrasis in Scriptura.

3. Si *Salus, ubi multa consilia*; multos & bonos tibi Consiliarios proponam, quorum consilio nixus, in modo benè & securè ac perfectiùs operandi non errabis, seu in electionem cadat status vitae, seu arripiendae vel omittendae alicuius rei aut modi ratio.

Primus. DEUS olim Consiliarius Israel fuit in columna nubis & ignis: & reprehenduntur, qui *non interrogauerunt os Domini.* Christus item dicitur *Magni Consilij Angelus.* consulit inter orandum, & aliàs per illuminationes Sanctas, per libros, & verbum DEI, per Superiores; huc spectant Consilia Christi nota ex Evangelio. & aliquibus dicit: *Dereliquistis omne consilium meum; in interitu vestro ridebo.*

Secundus. Consiliarius optimus, est Mors. Hinc inter modos bonae electionis S. IGNATIUS ponit, considerare, si mors ingrueret, quem mallet observâsse modum. Hinc & Evagrius monet: Ad omnem anhelitum mortis meditationem adiunge: ingentem enim utilitatem afferre consuevit. Vtinam saperent, & novissima providerent.

Tertius. Consiliarius est Æternitas tum infelix, tum Beata: Semper aeternum, & Nunquam deficurum. hic Consiliarius adhuc melior morte: quia si mors esset, & aeternitas non esset, quae mortuum exciperet; non ita aliqui moverentur ad bonum, revocarentur à malo.

Quartus. Consiliarius est, *Finis Creationis*, seu ad quem homo est creatus. qui est tum DEI gloria ac servitium, tum salus animæ. Ad illum ergo in dubijs & consilijs recurrendum: illi conformanda omnia: quod proficuum est Gloriæ Divinæ ac saluti tuæ, arripe: contrarium fuge.

Quintus. Consiliarius est *Dignitas DEI.* qui hoc DEI attributum expendit, quid & quàm exactè non faciet? quandoquidem & quocunque ex sublimioribus modis illi servieris, adhuc dignus est excellentiori in infinitum; nec ullâ sublimitate actuum exhaurietur eius dignitas. Pro Centurione Seniores Iudæorum intercedebant ad Christum, rogando ut eius puerum sanaret: *Dignus est, ut hoc illi præstes; diligit enim gentem nostram &c.* Quantò magis dici debet tibi de DEO, *Dignus est, ut hoc illi præstes*, &c. *Dignus est Agnus* qui occisus est, *accipere honorem*, & benedictionem &c.

Sextus. Consiliarius est *sensus Ecclesiæ & Sanctorũ Patrum* Certè Ecclesia est firmamentum veritatis, & promisit illi Christus Spiritum veritatis, qui maneat cum illa in æternum. Hoc Consiliario quia nolunt uti hæretici, errant & pereunt.

Septimus Consiliarius est, *sensus Præpositorum nostrorum*; de quibus illud Christi: Qui vos audit, me audit. Hi sunt velut oraculum & lingua DEI: eorum imperijs inhære, hoc Os Domini interroga, ne erres.

Octavus. Sunt *exempla Sanctorum*, qui agendo consulunt, dicuntque: *Ambulate sicut habetis formam nostram*; & præstant facta verbis, magisque sæpius persuadent. Habes Consiliarios. eorum ergo consilia ductumque sequere.

§. LIV.

§. LIV.

Statuṡ Supramundanus.

Ac

Obligatio Religiosi.

Ambulate dignè vocatione. Eph. 4.

1. ETsi in libertatem filiorum DEI vocatus, tamen es velut *Ioannes in vinculis*, in quæ ob strictior DEO status te coniecit, & dixeris cum Paulo: *Ego vinctus in Domino.* His tamen vinculis illud inscripseris: *Dant vincla decorem.* Vincula quædam sunt tum vota religiosa, tum leges ac ordinationes tui instituti propriæ. Sanctius quidem est voti vinculum; sed inest & regulis Ordinis religiosi; quia quoddam mendacium vitæ est, profiteri statu & habitu regulam, & non observare.

2. Status Religiosi est supramundanus; quia (ut ait Basilius) *omne quod in mundo est, amore æternitatis calcavit.* Hinc *debet esse* super omnia, & omnia infra illum: nulli rei debet affectu subijci, quam calcavit. Omne commutabile bonum ut Luna sub pedibus eius esto. *Debet item* ratione status supramundani esse contrarius mundo, & fugere sæculum, cui renuntiat: non fugit verò sæculum, qui in vitæ genere cum illo consentit. *At turpe est mundum quærere extra mundum*, & statum religiosum mutare in sæcularem ob dissonam vitæ methodum.

3. Religiosus comparatur à S. Bernardo cum Martyrio. Hinc Religiosus, Martyr esto. Martyrium est pro fide vel virtute mors violenta, aut ictus lethalis: at Religiosus Ioannis Climaci sententiâ est *& perpetua sui violentia esse debet*: item sic

necesse

necesse est velut moraliter mortuus & vivum cadaver; mortuus mundo, amoriq; proprio, ac velut Crucifixus de illis unus, *qui carnem suam crucifixerunt*, cum vitijs & concupiscentijs suis.

4. Status idem comparatur ab alijs *Baptismo*, & *statui perpetuæ Pœnitentiæ*: ideo ratione *primæ comparationis* vivat puriùs, & liber ab omni reatu culpæ & pænæ religiosus, *quasi primogenitus infans* in vitæ innocentia; illudq; recogitet: *Quicunq; baptisati estis, Christum induistis*. Ratione *secundæ* vivat in statu continuæ pœnitentiæ, proferatq; continuò fructus dignos pœnitentiæ, & continuæ mortificationi studeat.

5. Religioso dicitur à Christo, *Sequere me*. viderit ergo quid ab illo requirat hæc sequela Christi. Item promittit Religiosis Christus: Vos qui secuti estis me, *sedebitis iudicantes* duodecim tribus Israel. Si ergo Iudex hominum erit religiosus Christum secutus; necesse est, ut vitam ducat tanto præmio & muneri conformem; ut vivat iudicio minimè obnoxius ipse, nec ut reus, sed ut futurus Iudex. nam damnandi non iudicant, sed iudicantur & damnantur.

6. Quantò maior est carentia impedimentorũ ad perfectionem, & maior copia cœlestium auxiliorum, ac mediorum; tantò maior est obligatio ad perfectionem ex congruitate; cùm plus ab eo requiratur, cui plus datur. At status Religiosus talis est; debet igitur ad perfectionem tendere, & quidem magis quàm ille, qui his medijs caret. Vivat ergo puriùs, cadat rariùs, nec æquè graviter, qui irroratur frequentiùs, & potioribus auxilijs communitur. Hinc enim Bernardus ait: *Non solùm religiosos teneri ad sanctitatem, sed ad omnem sanctitatis perfectionem*: aliorum est *serVire D E O*, inquit,

quit, *Vestrum inhærere.* Quod explicari potest dicto Nazianzeni, qui inquit: *Proprium est Religiosorum*, cum DEO consuescere, Divinas species nullis terrenis permistas secum ferre, DEI rerumq; Divinarum purum speculum in dies magis fieri, cum Angelis versari & (ut addit Dionysius Areopagita) *unificari in Deiformem Vnitatem.*

7. Adhuc aliqua requiro à Religioso. *Primò.* debet vivere & animari spiritu suæ Religionis, seu iuxta proprium illius spiritum Primorumq; Patrum huius Instituti. nam nemo alieno Spiritu vivit: hic Spiritus est, qui viuificat. *Secundò.* debet se gerere ut possessionem ac rem totam DEI & nullo modo suam, vel sui iuris; totus enim DEI est, cui se per modum holocausti obtulit devouitq; Dixerit cum Davide: *Tuus sum ego Domine*, vel cum Ximene: *Totus sum tuus, nullus meus.* Illud deniq; cogitet Hieronymi: *Non Hierosolymis esse*, sed Hierosolymis bene vixisse gloriosum est.

§. LV.

Funiculus Triplex.

SEV

Vota Religiosa in Genere.

Funiculus Triplex difficilè rumpitur. Eccl: 4.

Vovete & reddite. Psal: 75.

Vota mea Domino reddam. Psal: 115.

1. TRiplicis Voti Religiosi vis pretium nôsse? cælum se toto illud rependit. Pretium illi auxit æstimatio Christi, qui has virtutes exercuit, & tum

& tum in suo corpore iuxta Bernardum *dedicavit Paupertatem*; tum ex ijs, quæ passus est, *didicit* (teste Paulo) *obedientiam*, ad mortem crucis obediens. Auxit idem pretium B. Virgo, quæ eadem vota suo priùs exemplo extulit & consecrauit. nam *S.* Brigittæ de seipsa revelauit hæc: *Vovi in corde meo observare Virginitatem, nihil unquam possidere, & voluntatem meam DEO commisi.* hinc si de servo Centurionis dicitur; *Erat ei pretiosus*, tu in tanti pretij votis DEO fies pretiosior.

2. Quod per Prophetam DEUS promittit: *Traham eos in funiculis charitatis*, etiam ad vota trahere licet: seu hic triplex funiculus non rumpendus. Sunt autem hi funiculi charitatis; nam iuxta Sanctum Thomam tollunt impedimenta charitatis; at *imminutio cupiditatis*, quæ per illa reprimitur, *est augmentum charitatis; perfecta charitas, nulla cupiditas*, ut sentit Augustinus.

3. Pulchriùs lapis pretiosus in auro nitet; & virtutis pulchritudo magis emicat à voto. Votum locupletat virtutis opes, quia in actionibus per se virtuosis duplicat meritum, & per votum firmatur in bono voluntas, ac constantius virtuti illi inhæret, quam vouit; virtuti autem complementum laudis est constantia. deniq; actus Religionis, inter morales virtutes excellentissimæ, votum est; quæ quantum virtuti non pariet ornamenti?

4. Actus verò ille, quo te DEO omnipotenti per vota Religiosa despondes quàm præclarus est: nam per illa fit *Primò*. Desponsatio tui ipsius Christo ut Sponso animæ Tuæ, ubi totum te dili secundùm bona corporis, animi, & fortunæ trapis, fitque illud; *Despondi vos uni Viro Virginem castam exhibere Christo.* Ergo *esto fidelis usq; ad mortem*,

& dabo

& dabo tibi Coronam vitæ, ut *Apoc* : 2. Chriſtus promittit.

Secundò. Per vota hæc fit donatio ſui DEO. *Donum* ex Ariſtotele & ex S. Thoma, eſt *datio irredibilis* ſæpe *profecta ex amore*. Felix es, quòd tantæ Maieſtati donare aliquid poſſis, & ille donum acceptare velit, ceu non eſſes illius ex aſſe totus mille alijs titulis. itaq; & novo titulo donationis huiuſmodi incipis eſſe DEI, tranſiſq; in eius poſſeſſionem, ita, ut etſi ex aliâ ratione non eſſes iuris Diuini, hoc ſolo eſſes. Vide, ut donatio hæc ſit datio irredibilis (quæ non redeat ad donantem) irrevocabilis; dicat ſemper DEVS: *Meus es tu*.

Tertiò. Per vota hæc fit Metamorphoſis quædam in nouam Creaturam, in Crucifixum, ita ut dicas; Mihi mundus *Crucifixus eſt*, & *ego mundo Chriſto confixus ſum Cruci*. Benedictus omnino, *qui pendet in hoc ligno*.

Quartò. Fit per eadem vota *ſubiectio ſui totalis ad DEI famulatum*, ut docet S. Thomas. Ergo nihil non ſit ſubiectum tam alto Dominio: nil quod ei non famuletur.

Quintò. Fit proteſtatio amoris erga DEVM ſpecialis, ex cuius motivo res tantopere humani cordis allectiuæ proculcantur; & ut augeatur amor Divinus, terrenorum cupiditas animo eijcitur, & Charitatis impedimentum.

Sextò. Fit hîc victoria & triumphus de mundo & de ſeipſo, & quidem perpetuus; ita ut etiam tu dicere poſsis, quod Romanus ille Cocles: *Singulis paſſibus admoneor triumphi mei*. Sed gratias DEO, *qui dedit nobis talem victoriam* per IESVM Chriſtum, quæ ut multa alia bona, ſic etiam illud tibi conciliat: *Vincenti dabo nomen novum*, *Apoc* : 1.

Septimò. Fit dedicatio & conſecratio ſui DEO, ſicut

ſicut res aliquæ deputantur & ſacrantur in cultum DEI & ſacrificium, ad nihil iam profanum uſurpandæ

Octavò. Fit per hæc vota ingreſſus in novam Chriſti & Angelicam Societatem, & cum illis ſolenne fœdus amicitiæ initur: cum enim in his votis ſint Chriſti virtutes, & Angelica Puritas, & à terrenis fit quoddam divortium; per communionem harum virtutum, & expreſsionem in nobis Chriſti & Angelorum, initur cœleſte illorum conſortium. certe inter pares vel ſimiles firmiſsima amicitia eſt.

Nono. Per vota conficitur contractus Divinus: *Do ut des*, dicit DEVS: Ego me tibi dedi, & pro te tradidi; tu fac idem; & facit homo, etſi magna ſit inter utrumq; diſparitas, quando ſe DEO vicissim dat homo, nec reddit æquivalens.

Decimò. Ingreſſus Religionis per hæc vota quodammodò æquivalet Baptiſmo & Martyrio iuxta Sanctorum ſententiam: ratifica ſæpius hunc ingreſſum, ſic & æquivalens ſæpius quoad fructum multiplicabis.

5 Offerre DEO ſpirituales hoſtias iubemur in Scriptura: hæ vero præter Sacrificium iuſtitiæ & virtutū, ſunt oblationes noſtrî in cultum & ſervitiū æternum DEO. Fit hoc per vota Religioſa, per quæ homo fit Sacerdos ſuijpſius, & offert de ſe ipſo omne genus Sacrificij. nam offert *holocauſtum*, cum ſe totum ſuaq́ue offert in igne amoris, ubi *amor Sacerdos immolat:* offert *Sacrificium pro peccato*; eſt enim ſtatus Religioſus quidam pœnitentiæ ſtatus, & *Sacrificium iuſtitiæ* pro iniurijs DEO illatis in vita ſæculari: offert *hoſtiam pacificam*, ſeu pro beneficijs Euchariſticam, quia & ille dicit: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? *Vota mea Domino reddam.* Offert *Hoſtiam Vociferationis, &*

laudis,

laudis, dum offert seipsum in laudem & gloriam DEO maiorem propagandam, & sic de alijs Sacrificijs. Quare viderit, qui se ita offert ac immolat, ut sit *oblatio munda* & depurata in Piscina illa probatica: *Probet autem seipsum homo.* Sit *victima coronata*, ut olim victimæ coronabantur: Sit similis Christo seipsum sacrificanti cruentè in Cruce, incruentè in altari, ubi utrobiq; *oblatus est quia ipse voluit.* Voluntariè sacrificabo tibi. Item viderit hic sacrificans, ne rapinam faciat in holocausto; sed potiùs illud impleat: *Immola DEO sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.*

5. Contra votorum neglectum vel transgressionem tela intorqueo tum ab auctoritate, tumàm ratione. 1: *Ex Abdia Propheta* audi: *Omnes viri fœderis tui illuserunt tibi, Domine: invaluerunt adversùm te viri pacis tuæ.* Tu es ille vir, qui votorum prævaricator. Ex Isaia: *Va filij desertores.* Et alia Scriptura: *Displicet DEO infidelis promissio: Non es mentitus hominibus, sed DEO. Vovete & reddite omnes*, qui in circuitu eius affertis munera, *terribili, & ei qui aufert spiritum* Principum terræ. 2. Consilia quidem liberum est amplecti & exequi, sed ad præcepta exequenda obligaris. atqui votum iam factum est sub præcepto in ordine ad sui executionem, ut patet ex dictis Scripturæ locis. Præterea an parvi æstimes, quæ omnibus mundi bonis in ingressu prælegisti? sic nunc desipis, qui tunc ita sapuisti? Deniq; horres sacrilegij notam alibi, & in votorum prævaricatione non horreas? Plura vide in Novis omnibus, ubi etiam adijcitur Iudicium Religiosorum, seu Tribunal DEI in vota Religiosa; & Encomia Votorum Religiosorum triginta.

§. LVI.

Trias Immolata.

Divinæ Triadi.

SEV

Tria Vota Religiosa in Particulari.

Redde Altissimo Vota Tua. Psal: 48.
Quod habeo, hoc tibi do. Act. 3.

1. TErnario DEVS gaudet. Tres Personæ Divinæ sunt, quibus respondeat votorum Ternio. Patri Æterno, cui appropriatur Potentia, cui resistere nemo potest, reddatur obedientia votiua quæ se ad nutum DEI componat: Filio, qui cum diues esset, *propter nos egenus factus est*, reddatur votum Paupertatis: SpirituiS. Puritatis auctori & amatori (nam dicitur *Gen: 5 Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est*) reddatur votum Castitatis.

2. Idem Ternio Votorum respondet tribus Hierarchijs Angelicis. *Primæ Hierarchiæ* Angeli sunt supremi, & assistunt in Contemplatione Dei: *Secundæ Hierarchiæ* sunt Medij, qui vniuersaliter Mundi Regimini attendunt: *Tertiæ* sunt ultimi, & attendunt Regimini in Particulari: Primæ respondet votum Paupertatis; nam Pauper dicit: *Oculi mei semper ad Dominum: Dominus sollicitus est mei.* Secundæ Obedientia, quæ superiores potentias in omnibus Superioris regimini subdit: etsi eadem obedientia possit Primæ Hierarchiæ respondere, ratione Supremarum Potentiarum animæ, quæ per

illam

illam DEO dedicantur. Tertiæ respondet votiva Castitas, quæ per particulare Corporis regimen se à voluptatibus coercet.

3. Idem Ternio Votorum *respondet* tribus portis ex quatuor mundi partibus ad cœlum in Apocalypsi descriptis. *Ab oriente portæ tres, ab Aquilone portæ tres, &c.* Nempe ex omni parte mundi ac ætate, hujusmodi virtuti cœlum patet, & violenti illud rapiunt. Item *respondet* tribus clavis, quibus Christo in Cruce affixo configimur. *Respondet* tribus Sanctorum Regum muneribus; *Venimus cum muneribus adorare Dominum.* Respondet *triduo* sepulturæ Christi ante gloriam Resurrectionis; nempe Religiosus etiam Vivum cadaver est. *Respondet* tribus Virtutibus Theologicis; Fidei Obedientia cœci, qui illud etiam credit: *Qui vos audit, me audit*, & sicut Fides ex auditu, sic Obediens, Superioris dicto fit audiens. Spei respondet Paupertas, quæ spectat æterna bona pro contemptu temporalium: Charitati Castitas, quæ dilectionem in DEVM transfert, in bonum incommutabile à commutabili, & perituro.

4. Denique idem Ternio respondet loco viuentium triplici, Cœlo, terræ, inferno, ubi DEO omne genu flectitur, cœlestium, &c. Inter has enim virtutes voto promissis Suprema est Obedientia, quia rem nobilissimam DEO offert, intellectum & voluntatem subijciendo propter DEVM Superiori, proinde Cœlo comparabitur. Castitas respondebit Terræ proximæ cœlestibus, qui DEVM adorant; nam & Caro post animam in homine præcellit, & ex terra formata in terram abit. Paupertas respondet his, qui post terrestria infernè DEVM adorant: nempe infima bona sunt divitiæ respectu antecedentium. Sed iam singula vota consideremus.

§. I. Votum Paupertatis.

Nihil habentes. 2. Cor: 6.

Centuplum accipiet. Matt. 19.

1. NOn una & rara huius voti excellentia. Nam votum hoc Beatis te inscribit. & quâdam Apotheosi donat per os Summi Pontificis Christi: *Beati pauperes.* Idem votum est, tua *in cæleste Regni inauguratio*, adeoque es inter Coronatos vel Coronandos in *Cælo*; Regale Solium tibi destinatur! *Ipsorum est Regnum Cœlorum.* Idem votum *te antepo-nit Regibus* & divitibus sæculi; nam calcat, quod illi efferunt supra caput, & in corde gerunt, iuxta illud: ubi thesaurus, ibi & cor. Vnde etiam idem votum est *vindex libertatis cordis*, quod alias thesaurus mancipat, & arcæ velut carceri includit. Idem votum est *oppugnatio Idololatriæ*; nam *avaritia est idolorum servitus* teste Paulo: votum hoc est quid Divinum; nam ut Xenophon Socraticus dixit; *Nihil egere, est Deorum; quàm minimum autem egere, proximum à Dijs* Idem votum est *laus DEI*: Nam *Pauper & inops laudabunt Nomen Domini*: (*Psal.* 73.) Est autem *pauper*, qui non habet necessaria ex se; *inops*, qui nec ab alio, ut explicat Bernardus. Denique idem votum *murus Religionis est* cœlesti similis, qui (ut est in Apocalypsi) est magnus & altus ex jaspide; *Iaspis* autem *est fortissimus, viridis, diaphanus*; quod ad paupertatis votiuæ integritatem, vigorem, & puritatem refer. Plura encomia Paupertatis vide in libello, Nova omnia.

2. Quid autem Pauper? quid perfectio votæ paupertatis requirit? quo spoliat? Antequam respondeam, præmitto ex Bernardo; quòd *non Paupertas*,

pertas, sed amor Paupertatis Virtus est: amorem ergo sui votum hoc supponit. Iam respondeo *Primò* ad vltimum. Paupertas hæc spoliat dominio aut iure disponendi de re aliqua ad libitum independenter à voluntate Superioris. Spoliat vsu Proprietarij, nec religioso dat vsum iuris, sed facti, vt purè vsuario. Spoliat vsu superflui: nam & Tridentinum Sess. 25. c. 5. de Regularibus ait: Nihil superfluum eis concedatur. Spoliat quandoq; & necessarij alicuius certi vsu. alioquin irridet aliquos Bernardus dicens: Pauperes esse volumus, modò nobis nihil desit. Deniq; spoliat & exuit nos affectu omni rerum, nec tantum possessiones relinquit, sed cupiditates; ideoq; additur; Pauperes Spiritu. Imò etiam, quæ non habes, nec habere potes, hæc eadem virtus propter DEUM contemnit. Respondeo *Secundò*. Pauperrimus ille est, qui nec seipsum habet. nam vt secundùm Pòëtam: Pauper est, qui se caret; ita satis diues, qui habet seipsum, quia possidet seipsum, aliquid vtiq; æstimabile, & valde ab illo æstimatum: at parum DEO dat, qui minora propter illum contemnit, maiora sibi reseruat, & planè agit vt Saul, qui deteriora & viliora demolitus, meliora seruauit ex præda Amalec, & displicuit, ideoq; abiectus à DEO. Parum est, nec tam laboriosum (ait Gregorius) homini relinquere sua, sed valdè laboriosũ est relinquere semetipsum: quomodo talis dicet: Ecce nos reliquimus omnia? DEVS dat tibi & sua quæ creauit, & seipsum: par aliquid redde.

Respondeo *Tertiò*. In Nostra Societate præter dicta adhuc præscribitur, nihil accipiendum vel exigendum esse pro ministerijs in obsequio animarum, Societati proprijs, quod Suarez *Tom 4.* de Relig. ad hoc votum reducit. Item nihil sub claue

propria ita obseratum haberi posse, quin Superiori pateat. Alia vide apud Suarez. Est etiam in Societate quædam Paupertas quoad famam, cui sponte cedimus in ordine ad nostrî delationes; est paupertas, quoad arcana conscientiæ, quæ solemus reuelare in Manifestatione Conscientiæ etiam extra Confessionem. Est paupertas quoad locum, quem nullum fixum pro arbitrio habemus &c. &c.

3. Tamen & Pauper esto, & diues. Pauper, vt dictum: diues; nam hoc votum non excludit internarum diuitiarum abundantiam. Murus est Paupertas, qui turres gerit; at abundantia in turribus suis Si diuites esse vultis, veras diuitias amate, monuit Gregorius. Veræ autem diuitiæ non opes sunt, sed virtutes iuxta Bernardum, quas secum conscientia portat, vt in perpetuum diues fiat. Addit pulcherrimè Augustinus: Sæcularis fælix, qui habet aurum in arca: Religiosus felix, quia DEVM habet in conscientia. Sic nihil habet & omnia, quia DEVS pro omnibus est, omnia.

§. II. Votum Obedientiæ.

Obediens loquetur victorias. Prou. 24.
Melior Obedientia quàm victima. 1. Reg. 10.

1. RAra obedientiæ encomia inprimis accipe. I. Obediens, est Frater & Mater Christi: nam qui fecerit voluntatem Patris mei (quam exponit superior iuxta illud; Qui vos audit, me audit) ille meus frater & Soror, & Mater est. *Matt.* 12 *II.* Obediens vescitur cibo Christi, qui ait; Meus cibus est facere voluntatem Patris mei. *III.* & *IV* Obediens semper habet oraculum & responsa DEI certa de eius voluntate: habet claras domi reuelationes,

nes, & potentissimas inspirationes DEI. nam vt proximè dictum, qui vos audit, me audit: & qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit, vt loquitur Scriptura. Israëlitis in columna nobis DEVS loquebatur; hîc semper & in luce, ac vbiq; per vocem Superioris. Hinc Obediens habet id priuilegij, quòd non erret, vbi superiori obedit; nam iuxta monitum Christi faciens, non errat; ille autem monet; Super Cathedram Moysi, sederunt scribæ & Pharisæi, quæcunq; dixerint vobis, facite. & quidem superior potest errare; sed error his imperantis est, non obedientis, qui non errat in parendo, modò peccati ratio non reluceat in imperio. *V.* Obediens est in plenitudine pacis. nam *Isai. 48.* dicitur. Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset quasi flumen pax tua. *VI.* Obediens est inferni subuersor. nam cesset voluntas propria, & infernus non erit. *VII* Obediens est Sacerdos Summus vel supra Sacerdotem; quia obedientia præstat victimis. addit Bellarminus (in Gemitu columbæ, Religiosus quidquid agit ex obedientia, per hoc tot quotidié offert Sacrificia, quot facit opera. quodsi de victimis veterum dicitur: odoratus est Dominus odorem suauitatis; quantò suauius illi fragrat hoc animi holocaustum! *VIII.* Obediens est perpetuum miraculum; nam viuens, quotidie funus suæ voluntati persoluit; Obedientia enim est sepulchrum propriæ voluntatis. *IX.* Obediens est Heros cœlestis ob actum heroicum conculcati iudicij & voluntatis suæ. *X.* Obediens liberat se ab illo graui peccato; Quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus Idololatriæ, nolle acquiescere. *1. Reg. 15.* Deniq; Obedientiæ laus inde crescit, quòd Gregorio teste, Christus ne perderet Obedientiam, perdidit vitam. Plura in Nouis omnibus.

2. Quo-

2. Quod Exercitium Obedientiæ tria Tibi propono: motiuum, Ideam, modum. *Motiuum* illius sit duplex, voluntas DEI per Superiorem proposita, & Charitas. De primo motiuo est hæc doctrina, quòd obedire debeas propter obedientiam seu adimpletionem voluntatis Diuinæ, & superioris, non propter emolumentum Obedientiæ: obedientiam exerce, quia Obedientia est. sic enim etiam Christus dixit: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* De Secundo motiuo Charitatis in obediendo, nota illud ex Caietano: *Cùm Obedientia sit Filia charitatis, ab eadem dirigi debet ad finem charitatis:* vnde vltimatè Obediendum, vt placeamus DEO, propter gaudium DEI, ac vt eius voluntatem exequamur; non tantùm ex honestate obedientiæ, sed etiam (vt 1. *Pet.* 1. dicitur) *in obedientia charitatis.* Porrò Obedientia & Charitas idem habet velle & nolle cum DEO: *illa vt subditus, hæc vt amicus:* Obedio, *quia diligo.*

3. *Idea Obedientiæ* sit *Heroica* Christi obedientia, quæ *fuit in omni materia* & difficili, & fuit vsq; ad mortem continua: *Quæ placita sunt ei, facio semper.* Fuit *instar holocausti* obediuit enim cunctis animæ potentijs, volitiuâ, intellectiua, executiuâ. *Fuit item ex motiuo,* duplici prædicto: *Vt cognoscat* mundus, *quia diligo Patrem:* Et *sicut mandatum dedit mihi* Pater, sic facio: Et ex charitate erga homines, *pro ijs sacrifico meipsum.* Habes Ideam, fac secundum Exemplar.

4. *Modus & perfectio* Obedientiæ optimè descripta est in Constitutionibus nostræ Societatis: nempe vt obediatur Superiori, vt Christo, quod Paulus etiam sæcularibus potestatibus exhiben-

dum

dum docuit *Eph. 6.* Sicut Chriſto, *ſicut Domino, non hominibus*: deinde vt obediatur integrè, promptè, fortiter, cum humilitate debita, ſine excuſationibus, non repugnando, non contradicendo, nec iudicium, eius iudicio contrarium oſtendendo, *licet difficilia* & ſecundùm ſe ſum repugnantia iubeat; *cum abnegatione* ſuæ voluntatis & iudicij, *in omnibus rebus, vbi peccatum non cerneretur*, etiam *ad ſignum voluntatis* Superioris, ſinè nullo expreſſo præcepto, etiam *literâ inchoatâ & non perfectâ* proſiliendo ad vocem Superioris, contrarium iudicium *cæca obedientiâ* abnegando, ex ſpiritu amoris, non timoris, cum gaudio ſpirituali, & perſeuerantia. Hæc omnia ex noſtris Conſtitutionibus, quibus vix quidquam inſignius in hac materia addi poteſt. Breuiùs Bernardus inquit: Obedientia ſit *voluntaria, ſine contradictione: ſimplex ſine diſcretione: velox ſine tergiuerſatione, hilaris ſine murmuratione, fortis ſine excuſatione, humilis ſine elatione, perſeuerans ſine ceſſatione.*

5. Claudam id triplici Exemplo de noſtris. Ioſephus Martinius moriturus, roganti ſocio, vt ſibi monitum aliquod ſpirituale relinqueret, duo commendauit: *vt quotidie Dominicæ Paſſionis meminiſſet, & obedientiam vnicè adamaret*, ſic enim Diuinæ prouidentiæ effectus ſentiret. Franciſcus Andrada Obedientiæ amans, rogatus in extremis, quid ſibi impetrari vellet? reſpondit: *vt DEI in me voluntas fiat.* rogatus deinde quid vellet? reſpondit: *Quod Obedientiæ placet.* Poſtulatus adhuc, quid ſibi tunc eſſe ſolatio? reſpondit: *Obedientia.* Deniq; rogatus, in quo aliquem vellet eximium? reſpondit: *in Obedientia.* Item In Belgio noſtrum morientem Beata Virgo contra dæmones defendens: *Sinite*, aiebat. *eſt enim è Soci-*

etate

tate Filij mei,] & *libenter obedientiam exercuit.*]

§. III. Votum Castitatis.

In Cælo non nubent, neque nubentur, sed erunt omnes sicut Angeli Dei. Matth. 22.

1. PRIMA *Trias Virgo est*, ait Gregorius Nazianzenus: altera in terris castissima Trias IESVS, MARIA, IOSEPH. Accede ad tam illustrem Societatem, & puritati Divinæ humanæque Triadis stude.

2. *Castitas Angelos facit*, ut ait Ambrosius. Sanè Angelus noluit à Sancto Ioanne adorari: *Quia conservus tuus sum*, inquit. ubi Nazianzenus ait: *Quia Angelicæ munditiei contubernalis & cognata est Virginitas.* Tamen Puritas Angelica est à natura; at nostra à gratia, estque libera & meritoria. quare Angelicam hæc & exprimit, & superat; quia puritatem illis necessariam seu non liberam imitatur liberè: nostra est cum merito, estque difficilior; illis eorum non.

3. *Corpora Vestra Templum sunt Spiritus sancti*, monet Apostolus. O templum! ô corpus, esto templum: non sit abominatio desolationis in loco sancto. Sit in hoc templo illud Sacrificium, de quo idem Apostolus: *Obsecro vos* per misericordiã Dei, ut exhibeatis corpora vestra, *Hostiam* viventem, *Sanctam, DEO placentem.*

4. Sponsus tuus candidus & rubicundus, speciosus formâ præ filijs hominum, est *ille, qui pascitur inter Lilia.* Pasce illum hoc cibo purissimo, terrestris An-

ſtris Angele, Eques Liliate. In Galliarum regno eſt Equitum Liliatorum ordo, quorum inſigne torques ex Lilijs aureis contextus. Sis ita Liliatus Eques, Lilia ex auro, Caſtitas ex charitate erga Sponſum Cœleſtem.

5. In Cœlo erunt omnes ſicut Angeli DEI, Caſtitas ibi æterna regnabit: incipe ſtatum Beatorum tam felicem in terris. Qui hîc caſtè viuunt, iam ex parte habent ſtatum cæleſtem, quem ibi ſunt habituri. Cœlibes enim quaſi Cælites.

6. Caſti ſeqvuntur Agnum, quòcunque ierit. Hîc illum ſequere, ut ibi ſequaris: ſequere primò ſubeuntem Nazareth ad Matrem Virginem; nempè in omni tentatione ad illam recurrendo: Sequere in Bethleem ſeu Domum Panîs. nam Euchariſtia eſt *Vinum germinans Virgines.* Sequere ad præſepe, ad Crucem: nam munimentum puritatis eſt mortificatio, & ſenſuum ac cupiditatum crucifixio; & anima tua dicet: *DEVS meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?* Sequere eundem in cœlum abeuntem; ut fæteant terrenæ, dum cœleſtes animo voluptates revolves.

7. Iuuat cogitare nos theſaurum portare in vitreis vel fictilibus vaſis: quare fugiendi ſcopuli virtutis & viarum prærupta, fugienda lubrica. nam *Caſtitas* (dicebat noſter Michaël Lauretanus) *quò pulchrior, eò fragilior.* Iuvat item cogitare verbum Incarnatum & per carnem aſſumptam nobis cognatum & concorporeum; proinde dandum id honori Carnis illius immaculatæ, Carni nobis cognatæ, ne aliquod probrum illi faciat homo, ac ne det occaſionem dæmoni inſultandi Chriſto, (ut ſupra monui) *En qualem carnem aſſumpſiſti! quales Carnis cognatos habes!* Iuvat & S. Franciſci Borgiæ exemplo ſe cilicio munire inter converſandum. Item

illud ex

illud ex Sancto Paulo recolere & procurare : Qui sine vxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat DEO, vt sit Sanctus corpore & spiritu. 1. Cor. 7.

§. IV. Renouatio Votorum.

Profert de Thesauro suo noua & vetera. Mar. 13

1. QVod fuit sanctum & vtile semel facere; idem si nulla ratio in contrarium, vel noua circumstantia occurrat, sæpiùs agere, æquè sanctum erit. Cùm ergo sit beneplacitum DEO obsequium, & actus excellens Religionis, votorum Religiosorum nuncupatio; erit etiam excellens, & beneplacita eorundem repetitio. Si primò dum fiunt, aliquid est Martyrio simile, & baptismi species mystica: erit idem in eorum renouatione. Unde quoties renouas illa, Martyrium renouas, & ablueris.

2. Opus bonum semel factum non solùm tunc, dum fit, DEO placet, sed etiam actus ille Diuinæ complacentiæ durat in æternum, & actus noster ille semper versatur in mente & conspectu DEI: quod enim DEVS semel cognoscit, & amore prosequitur, cognoscit & diligit semper pro illo instanti, in quo actus ille exstitit. Nam DEVS, immutabilis est, adeoq; cognitio DEI est inuariabilis, & actus complacentiæ æternus. Quidni ergo illud opus, si possis, in momenta repetas, in quo sibi per æternitatem DEVS complaceat?

3. Multa laudabiliter repetuntur. Sic Christus ter eundem sermonem in horto ad Patrem æternum orans protulit. Sic eædem deuotiones in

Ecclesia

Ecclesia & celebritates quotannis recurrunt. Sic pœnitentes aliqui totâ deinceps vitâ suas noxas planxerunt. Si sic ergo laudabilis aliorum actuum repetitio, an non præstantissimi actûs Religionis? Placet annua repetitio, & non placeat horaria?

4. Renouatio votorum idem potest præstare *2do*, vel *3tio*, quod præstabant vota, dum primò emitterentur. Etsi autem in prima eorum nuncupatione inducatur obligatio, quæ non fuit antè; non tamen semper in renouatione inducitur, quæ non fuerit ante Renouationem; quamuis per hanc obligatio olim inducta approbetur, confirmetur, imò, si ex aliqua causa fuit inualida prima instauratio, cum renouatione poterit primùm induci hæc obligatio; aut certè, si prima valuit, tunc obligatio pluribus titulis enascetur per repetitionem votorum.

5. Est ergo renouatio votorum actus approbans susceptum DEI obsequium, & primam despondentis sese DEO animi voluntatem: Est iterata sui donatio, dedicatio, sacrificatio DEO per modum holocausti, concrucifixo Christo. Est actus renouans actum heroicum renuntiantis omnibus & sibi ipsi: Est actus innouans eas intentiones & affectus, cum quibus DEO seruire cœpimus, aut debuimus: est actus confirmans & consolidans voluntatem in amore vocationis, & contractæ obligationis. Est actus commemorans contractam obligationem in prima votorum emissione, ac si tibi sub renouationem diceretur, Redde quod debes: redde Altissimo vota tua.

6. Renouare vota alij bis in anno solenniter consueuère, alij verò in horas & quadrantes, in quolibet Sacro & Communione, in fine Meditationis,

onis, vrgente tentatione contrarjâ voto, & rosarium repetitione votorum decurrunt. P. Iacobus Ceruttus ter mille vicibus per diem vnum vota renouabat.

7. Fiat autem hæc renouatio votorum cum dulcoratione nouâ status religiosi, & iugi Christi suauis: cum recognitione dignationis Diuinæ tua munera acceptantis: cum interna demissione & indignitatis tuæ agnitione, vt annumereris inter seruos DEI: cum exultatione de hac felicitate, quod sis è Societate IESV, & in nouam possessionem ac hæreditatem DEI accepteris: cum prælatione tui statûs regnis omnibus & felicitati terrenæ: cum affectu adorantis & amantis DEUM super omnia & summè illum glorificare desiderantis iuxta finem Societatis. Imaginationes sacras quindecim renouantis vota affero in *Nouis omnibus* & alia vota priuata, nec non Sacrificium Nihili, quod infrà ponetur; item pacta cum DEO, & renouationem deuotionis ad B. Virginem suadeo renouationi votorum adiungere.

8. *Renouamini Spiritu mentis vestræ.* Sit Renouatio talis, vt & tu possis dicere: Ecce noua facio omnia. Quare solenni votorum renouationi semper adde renouationem spiritûs & perfectionis obseruantiæ votorum & instituti: tum renouationem odij respectu cuiuslibet peccati: tum renouationem animatioris studij ad cruces ferendas, ad pugnam contra inolitos defectus, ad quotidiana opera exactiùs peragenda, ad intentionis puritatem, ad officij tui exactiorem rationem, &c.

§. VLII.

§. LVII. Noua Metempſichoſis, *SEV* Tranſmigratio Spiritûs Patrum in Filios.

Vt conuertat corda Patrum in Filios. Luc 1.

1. NOn Pythagoræ hîc figmenta excito, ſed Spiritum tuorum Patrum in te reuocare conor. Sine *Spiritu* hoc pœnè cadauer es: nam non habes ſpiraculum vitæ, quod DEVS toti tuæ Religioni, ceu vni corpori inſpirauit. Spiritus eſt, qui viuificat, & ſine illo *nomen habes, quòd viuas, & mortuus es*; aut certè in te eſt Spiritus mendax, qui nempe aliud ſtatu profitetur, aliud moribus. Ergo ora, vt *D*EVS conuertat corda Patrum in filios, ac in teipſum.

2. *Obſecro, vt in me requieſcat ſpiritus Tuus duplex*, dicebat Eliſæus Eliæ. Tanti eſt viuere vita Patrum! Et accepit hunc ille cum pallio; tu cum veſte Religioſa, tuum vt indicet veſtis, qualis ſis intus. Malè vbi veſtimenta ouium, intrinſecus lupi rapacitas, nec veſtimento internus Spiritus ſatis congruit. Ergo & tu *Spiritu principali*, qui pridem datus eſt tuis Maioribus, confirmare, vt dicas: Viuo ego, iam non ego, quia non ſpiritu meo, ſed JGNATII, noui igniti Eliæ, & Patrum meorum viuo. Filius es? opera Patris facito, nec ſis degener Filius in vita & moribus, degener in Spiritu. Non degeneremus à præexcelſis cogitationibus Filiorum DEI, & JGNATII.

3. Vtrumq; vitæ probatiori repugnat, *& Spiritus proprius, & Spiritus alienus*. Nam nemo viuit ſpiritu alieno, vt nec alienâ animâ; & hoc ipſo

quod

quòd sit alienus, iam est vel rapina, vel dissonantia aliqua; quod enim alienum à tuo spiritu, seu tua viuendi ratione, idem dissonum & incongruum est eidem. *Spiritus etiam proprius*, spiritus *internus, priuatus*, est errorum origo, & in hæreticis meritò vapulat à Catholicis Doctoribus; estq; pertinacia proprij iudicij, & abundantia in suo sensu. Quare tu *nec alieno spiritu* viue, qui non sit Ordini ac professioni tuæ proprius, sed alicui alteri distinctæ sectæ *nec proprio;* nam tui iuris non es in Religione, nec tuo ibi iudicio regi, nec pro tuo libitu agere ibi aut degere licet: sed viue vitâ Religionis, in Tuis antecessoribus approbatâ, vitâ Tuæ Professionis hominibus propria & communi, vitâ, quam DEVS infudit Tuæ Religioni. Viue DEO, non tibi, non peccato, non Tuæ voluntati.

4. Ad ossa arida apud Ezechielem dictum est: *A quatuor ventis veni spiritus, & ossa hæc viuifica.* A quatuor ventis, seu à quatuor mundi partibus, ac vndiq; congregabuntur iusti etiam tui Ordinis vbiq; propagati. Ergo in te omnium, qui usquam laudabiliter, & dignè vocatione tuâ vixerunt, veniat intretq; Spiritus. Vide quid in illis singulare, quod æmuleris: vide, quæ vbique vitæ ratio, quis & quàm prudens zelus, quæ ratio conuersandi cum proximis, quæ cum DEO agendi. Sic viue, & Spiritu Patrum viues. *Interroga Patres tuos, & dicent tibi*, quid à te requirat Dominus, quid ratio status tui. Spiritûs Sancti opera varia enumerat Apostolus, & addit: *Hæc autem operatur vnus idemq; Spiritus;* vnus in se, multiplex in opere. Vnus Spiritus plurima operatur egregia, estq; operatus in tuis Patribus: ergo in te requiescat hic Spiritus. Deniq; scies Spiritum tuæ religionis tum ex vitis

Patrum

Patrum tuorum & exemplis, tnm ex Instituto & legibus tuæ Religionis, tum ex fine eiusdem, ad quem collimat, tum ex vita Christi Apostolica, in cuius munus tua Religio succedit.

§. LVIII.

Religiosus Societatis IESV.

Fidelis Devs, per quem vocati estis in Societatem Filij eius IESV Christi. *1. Cor. 1.*

Et qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea. Psal. 68

1. NOmina ex causa aliquibus imponit DEVS. Iacob dictus est *Israël*; nam luctatus cum illo vsq; manè, vt præualeret. Iacobus & Ioannes dicti *Filij tonitrui*; & vita nomini respondit. IESVS dictus sic est: *ipse enim saluum fecit populum* suum à peccatis eorum. Etiam Societati IESV hoc nomen ex reuelatione Diuina S. IGNATIVS imposuit; ergo non sit nomen inane, sed vita conformetur tanto nomini. Nomen IESV est *super omne nomen*; Nomen *Sanctum & terribile.* Cui ergo nomen idem inhæret, Sanctitas eius super plerosq; eluceat ac emineat. Nomen hoc significat Saluatorem mundi; saluet plurimos & ad salutem iuuet, cui tam salutare nomen adhæsit. Abrahæ vnam literam DEVS dedit ex suo nomine Iehouas & ab illo actus insignes & heroicos requisijt, vt: *Egredere de domo tua &c. Tolle filium vnigenitum*, quem diligis, *& offer mihi illum in holocaustum.* Quid? an non plura exigat DEVS à Societate, cui non literam, sed nomen suum indidit? *Oriens*

nomen eius; at Oriens minora sidera extinguit. Sic, cui Nomen IESV inhæsit, sit Oriens, nec minorum siderum seu hominum minùs perfectorum tantùm lucem gerat, quin magis luceat coram DEO & hominibus.

2. Iacob diligebat Ioseph super fratres suos, eò quòd in senectute genuisset eum; & tamen alij Fratres habebant, quod illis Patris amorem conciliaret. Nam Issachar *asinus fortis*, laboriosus: Nephtali *dans eloquia pulchritudinis*: Iudas *catulus Leonis* &c. Societas IESV in hoc senio mundi nata post alios, vt, si non super alios, saltem sicut alii, à DEO diligatur, curet esse Ioseph *Accrescens filius meus Ioseph*: vbi minus perfectè operantes, agunt ad gloriam DEI; illa ad Maiorem DEI gloriam: vbi aliqui augent merita cum Dauide *propter retributionem* à DEO speratam; illa tantùm, *vt placeat & seruiat Diuinæ bonitati propter seipsam potiùs, quàm ob timorem pœnarum, vel spem præmiorum*, vt lex Societatis iubet. Sit, vt Paulus, indefessa, *in laboribus supra modum*, crescat in omnimoda perfectione sua & proximorum promouenda, crescat in zelo Diuinæ Gloriæ & animarum: Accrescens sit Ioseph. Curet illud: *Ministri Christi sunt? plus ego.*

3. *Igneus est illis Vigor & cœlestis origo* (Virgil.) Ab IGNATIO condita Societas, Viro sui planè Nominis; ignem & illa spiret, de quo idem Sanctus Socijs dicebat: Ite, accendite, inflammate omnia. In quo illud voluit, quod Augustinus inquiens: *Si amatis DEVM, rapite omnes ad amorem DEI & dicite, Magnificate Dominum mecum.* Vbi zelus, ibi ignis: at zelus gloriæ Diuinæ & animarum exigit, vt quod confractum est, alliges; quod infirmum, solides: pro Christo legatione fungaris, sisq; omnibus omnia, vt omnes Christo lucri facias, vt

us, vt reduces Creaturam rationalem ad Creatorem, dicto, facto, oratione, publicis & priuatis exhortationibus, & efficias, ne Christus conqueratur de multorum interitu. Putes illud tibi etiam dictum: *Constitui te, vt euellas, & dissipes, & ædifices, & plantes, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ*: Posui vos, vt fructum afferatis. Sic ardeat, & ardorem tam latè propaget, in quo est ignis ille, dicens: *Affer, Affer*

4. Cum super Quatuor illa animalia apud Ezechielem Solium gloriæ Diuinæ reclinetur; etiam Societati in maiorem DEI gloriam intentæ mystica eorundem animalium significatio competet. Vide ergo & lege in Propheta, quid de illis enunciet, & in te transfer; vt illud: *Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur, cum incederent.* Et: *Vnumquodq; illorum coram facie sua ambulabat;* habebant pennas per quatuor partes, adeoq; etiam bos laboriosus volabat (certè penna contemplationis etiam vitæ Actiuæ in Societate coniungitur.) *Duæ pennæ singulorum iungebantur* &c. Quæ omnia facilè ad propositum nostrum accommodabuntur. Bouem illum cœlestem exprimet laborum assiduitas: Aquilam contemplatio rerum cælestium, & à terrenis excessus: Leonem salutaris in peccatores rugitus: Hominem mansuetudo & expressio DEI Hominis, cuius nomen portat Societas.

5. Tria adhuc inculco Personis Societatis. *Primum* ex S. Bernardo, qui ait: *Vbera*, quibus paruulos alis, magis necessaria sunt vino contemplationis iuxta illud: Meliora sunt vbera tua vino. *Alterum.* Ex Ioanne Auila Concionatore insigni Hispano, qui dixit: *Quidquid est* in SOCIETATE IESV, etiam minimum obsequium & officium ex

 Obedi-

Obedientia & Charitate susceptum, vt, etiam lances lauare, domum everrere &c. est animarum conuersio; demum, quidquid ad conseruationem Societatis dirigitur. Hæc ille. *Tertium* est, quod Gregorius XIII. in Societate nostra mirari se dicebat, tantam charitatem & vnionem, in nationum & ingeniorum varietate: tantam in viuida inuentute castitatem: in multiplici doctrina demissionem. Quam laudem summi Pontificis iugiter conseruemus. P. Claudius Aquauiua Societati optabat summam vitæ innocentiam: summam animi demissionem, summum studium gloriæ Diuinæ.

6. Pulli Aquilæ ad solem, aurum in Lydio lapide exploratur. *Sanctitas* Personis Societatis debita ad suas leges exploretur: sufficit ad maximam sanctimoniæ laudem has opere compleuisse. De lege scripta dictum: *Iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit, viuet in ea*: qui hanc, de qua hîc loquor, fecerit, viuet etiam perfectissimè, & apicem attinget raræ sanctitatis. Quare iuuabit sæpe Instituti nostri leges animo reuoluere, ad eas meditando accendi, & executionem earundem à nobis sedulò exigere. Talis illa est *Lex 17.* de puritate intentionis: *Vndecima*, de contraria mundo viuendi ratione: *Duodecima*, de continua mortificatione: *Vigesima secunda*; de Solidarum virtutum studio. *Decima nona* de Liberalitate erga DEVM. *Decima quinta* de omnimoda perfectione: *Trigesima prima*, & trigesima secunda &c. de perfectione obedientiæ. *Octaua* de Christo habendo pro omnibus &c. &c. &c. Potest de his legibus dici illud Sancti Pauli. *Qui hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia.* Qui fecerit, magnus vocabitur in regno cælorum.

§. LIX.

§. LIX.

Prænoſcenda Socio I E S V.

Annuunt Socijs, vt veniant & adiuvent eos. *Luc.* 5.

Videte Vocationem Veſtram. 1. Cor. 1.

1. SOCIETAS IESV, Societatis Amoris. Nam ita illam Chriſtus appellauit, cùm apparuit Sanctæ Magdalenæ de Pazzis; vbi etiam Spiritum JGNATII eundem appellat cum Ioannis Spiritu Charitatem ſpirantis ac continuò prædicantis. Eſt *Societas amoris*, quia in charitate erga DEVM ac proximum fundata, eandem pro fine habet: Eſt Societas Amoris, quia amat quæritq; DEO maximum bonum; maximum enim DEI bonum extrinſecum eſt, Maior DEI Gloria. Eſt Societas amoris, quia amat ea, quæ DEI ſunt, idq; propter DEVM: qui enim amat amicum, amat & illa, quæ ad amicum ſpectant amabilia; & tales ſunt animæ Filiorum hominum, cum quibus deliciæ ſunt DEO eſſe. Eſt Societas amoris, quia ex tot nationibus in vnum corpus compacta & collecta, ſeruat vinculum pacis & vnionis Fraternæ. Ergo Socio JESV ſpecialiter iniungitur, & per ſpeciales modos ac media: Dilige DEVM, dilige proximum.

2. SOCIETATEM JESV ineunti & ingreſſo obuerſetur Chriſtus & Beata Virgo illius Mater. *Chriſtus ſe illi offerat*, vt viſendum obtulit S. JGNATIO, ſub Cruce humeros premente: *Beata Virgo ſe offerat*, vt obtulit ſe Martino Guttierez Societatem hanc minimam ſub pallio maternè fouens ac prote-

protegens. Quàm diuersa spectacula! sed Socio IESV iucunda! Ad dolorem, ad Crucem, ad pondus diei & æstus vocaris, quod portes; non arbitreris te scire nisi JESUM & hunc Crucifixum: Crux te manet vel iniecta, vel vltrò quæsita; Crux à linguis, à censuris, ab hominum maleuolentia, & aliunde. Sed dulce sub Cruce & pondere esse, quod tecum portat IESVS; & laboris dolorisuè leuamen est protectio MARIÆ, quæ Societatem fouet. *Aut certè offerat se* Socio JESU eadem DEIPARA, vt obtulit Joanni Nunnio de statu vitæ deliberanti: duos enim è nostris illi ostendens, eum interrogauit: *Visnè seruire Filio meo &c. ad defatigationem?* annuenti, Societatem inire suasit. Vide ergo, vt & tu antea *Laborem & dolorem* consideres: hîc potissimùm illud Imperatorium lemma viget: *Laboremus.*

3. In captura piscium laborantes Apostoli *annuerunt Socijs, vt venirent & adiuuarent eos.* Hoc est Socij JESV munus, venire & adiuuare Apostolos, non iam in captura piscium, sed in illa, de qua Petro Christus: *Ex hoc eris homines capiens & animas.* Socius ergo JESV fit adiutor Apostolicus. Neq; id nomen ambitiosum est, cùm etiam viros Apostolicos, aliosq; eorum sequaces Paulus vocet, etiam ipsius adiutores DEI: (*DEI enim adiutores sumus 2. Cor. 3.*) Ergo veniant Socij, & adiuuent illos, ne vlla præda effugiat, quæ in rete Domini salubriter impelli possit.

4. Sumat adhuc documentum, quisquis hoc Nomine gloriatur, *tum ex operarijs vineæ,* vbi aliqui de se dicunt: *Portauimus pondus diei & æstûs;* de alijs dicitur: *Hi Nouissimi vnâ hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti.* vel nouissimus par esse alijs laboret: Industria vnius horæ solertior, plurium di-

es æquare poteſt nouitquè: *Tum ex* Paulo, qui de ſe ait: Miniſtri Chriſti ſunt? plus ego; omnibus omnia factus, vt omnes Chriſto lucrifaciam: Ad idem laudis contendere decet, cui par munus contigit: *Tum à* Chriſto, qui à ſui Nominis Socio iuſtiùs illud exigit: Sequere me. Quem id exornat nomen, & facta hoc nomine digna exornent. Cum ſuo ſacro ſancto nomine totus in vita & operibus JESVS reſplendeat, ac illud potiſſimum, quod de JESU dicit Paulus: *Quòd autem viuit, viuit DEO.* Non ſibi ſe natum putet Socius JESV: viuat DEO, viuat proximo propter DEUM. Deniq; ſi ſe gloriatur eſſe Filium JGNATII, illud recogitet: *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*: filius a Patre originem ducit in ſimilitudinem naturæ: filius Abrahæ, ſit velut Abraham; filius JGNATII, vt JGNATIVS.

§. LX. Zelus Animarum.

SEV

Lucerna ardens, lucens, accendens.

Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Pſal. 50.

Qui erudiunt ad iuſtitiam multos, fulgebunt ſicut Stellæ. Dan. 12.

1. MOnita inprimis vniuerſalia de zelo huiuſmodi præmitto: *Imum*: Auge Stellas in firmamento; auge autem, tum teipſo, tum alijs Zelatoribus. nam, vt proximè dictum ex Daniele: *Qui erudiunt ad iuſtitiam multos, fulgebunt vt ſplendor firmamenti.* *2dum.* Quotidie illud Deo Sacrificium multoties immola, de quo Gregorius inquit: *Nul-*

lum Omnipotenti Deo sacrificium gratius, quam zelus animarum. 3tiò Dictum illud in Genesi ad te à Deo directum reputa: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Et illud Ierem. 15 *Si conuerteris, conuertam te.* Et illud Ezechielis 34. Diuinum dictum æmulare: *Quod perierat, requiram, & quod abiectum erat, reducam: & quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum erat, consolidabo: & quod pingue ac forte, custodiam, & pascam in iudicio.* 4. Item quod Isaac dicebat filio, idem tibi Christus: *Affer mihi de venatione tua, vt benedicat tibi anima mea.* nam esse debes vnus ex eis, de quibus dicitur Ierem 16. *Et Venabuntur multos.*

2. Monitis succedant zeli encomia. 1. *zelus animarum est* tibi perquam *honorificus.* Nam prætterquam, quòd te faciat iuxta Danielem Stellam illustrem in omnes æternitates seu Orioni, vel Leoni similem, seu alijs, quæ sunt inter Stellas primæ magnitudinis: facit te idem *DEI adiutorem* iuxta Paulum, & Christi cooperatorem: *facit te Saluatorem mundi*, dum ad salutem hominum cooperaris. *facit Angelis similem* missis in ministerium eorum, qui hæreditatem capiunt salutis: *facit te beatitudine maiori dignum*; nam, vt ait Chrysostomus (Homil. 40. in epist. ad Corint.) *quò plures socios quisq; ducet ad Cælum, eò erit beatior.* Facit te *Clauigerum cæli*, quod tot animabus reseras: *destructorem vel expugnatorem inferni*, cui tot animas eripis: *Facit* aliquid tibi Diuinum inesse; quia zelus hic iuxta Areopagitam *est quid Diuinorum Diuinissimum.* Hinc 2dò. Zelus hic, est in se quid *eximium & insignet*; tum ex proxima sententia Dionysij: tum quia etiam *Angeli sine zelo nihil sunt*, vt ait Ambrosius: tum ob insignem charitatem DEI & proximi, & ob plerasq; alias virtutes in hoc obsequio solitas oc-

tas occurrere, vt diſcurrenti patet; *Tum quia* plus Deo laudis & gloriæ accedit ex vnius animæ ſalute per hunc zelum procurata, quàm hominum vniuerſitas ab initio mundi ad eius vſque finem Deo deferre poſſit; & plura peccata blaſphemiaſq; idem zelus vnius ſalute prohibet, quàm ab Orbis primordijs ad eius exitum àſceleſtis hominibus mala congeſta fuerint: quia quidquid inter mundi initium & finem, boni maliuè geſtum eſt, certo numero comprehendi poteſt; quas verò anima immortalis in cælo laudes dabit, vel apud inferos coaceruaret blaſphemias, nec numerari poſſunt, nec vllis terminis concludi. *XIII.* Zelus hic *gratiſſimus DEO.* quia eius voluntati congruit, qui vult omnes ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire; & quia ſic ad eum reducuntur animæ alioquin perituræ, quas diligit, iuxta illud etiam: *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Vnde Origenes ait: *Magna feſtiuitas Deo, humana ſalus.* Et Hieronymus inquit: *Lucrum Creatoris, ſalus Creaturæ. Gratiſſimus idem zelus* Verbo Incarnato, cuius impenſas cruentâs non ſinimus gratis abire circa animas; qui etiam ouem perditam imponit humeris ſuis gaudens, & ad plauſum cæli Ciues excitans: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem, quæ perierat*; & Filio prodigo recepto, conuiuium lætus inſtruit & Symphoniam. *Gratiſſimus & DEI Parenti* vt Corredemprici (prout eam nonnulli appellant) cuius etiam regno plures accedunt, regno, inquam, Miſericordiæ. *Gratiſſimus Sanctis*, quia augetur illis Fratrum numerus: *Gratiſſimus toti Cælo*, in quo gaudium eſt ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. En zeli præſtantiam: & quid velis, niſi vt hoc ardeas? *Addo in laudem zeli* ſententiam Chryſoſtomi, qui ait: *Da mihi aliquem, qui ſe ieiunijs quotidianis maceret,*

qui cubet in dura humo sub Ioue, qui se flagris atterat &c. &c. non erit par illius lucrum, atq; est eius, qui vel vnicam animam Diuino amore inflammauit: ita habet Homil. 39. in Genesim. Hinc & *S. Thomas* 2. 2. q. 188. ar. 6. *docet*, quòd Religio non sit perfectior, quæ habet obseruantias seueriores in victu, vestitu & alijs. Nam inquit 2. 2. q. 27. ar. 8. ad 3. *non omne difficilius est magis meritorium*; sed quod ita difficilius, vt etiam sit melius. *Sunt etiam* (teste Lessio) inter Theologos, qui docent, quòd illa Religio, quæ perfectior est quoad finem & media, hoc ipso sit etiam durior, strictior, & seuerior omnibus alijs, etsi non habeat asperiorem victum & vestitum. Perfectius sanè fuit contubernium Christi, quàm Joannis Baptistæ; etsi huius Discipuli frequentius ieiunarent, quàm Christi; & hi ciuiliùs, quàm illi vestirentur. Vita autem, quæ agit cum proximo, & simul contemplatur, ex instituto suo est perfectissima omnium, vt pergit dicere Lessius. Hinc S. Thomas 2. 2. q. 27. ar. 6 ait: *Primum ergo gradum in Religione tenent, quæ ordinantur ad docendum & prædicandum*; nam teste Areopagitâ: *Omnium Diuinorum Diuinissimum est cooperari DEO in salutem animarum*; & hæc est propriè vita Christi & Apostolorum.

3. Sanctus noster Ignatius Angelos nobis in animarum obsequio dicebat imitandos, quoad hæc quinque. 1. Jlli assistunt priùs quàm ministrent. 2. Quando ministrant, simul assistunt DEO. 3. Non inquietantur, cùm non ministrant, & reuocantur. 4. Cum pari gaudio recedunt à ministerio. 5. Quocunq; euentu, sunt in pace imperturbabiles. *Sic debet* verus animarum zelator ijs ministrare. *Addebat idem* Sanctus illuminatissimus: *Initia sermonis illis date*, quos conuertere nitimini, *extrema vobis reseruate.*

4. Po-

4 Poteſt idea zeli à Paulo accipi dicente: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Optabam anathema eſſe* pro fratribus meis: *Cupio vos* omnes in viſceribus JESU: *Non ceſſaui* die ac nocte monens vnumquemque veſtrûm: *omnibus debitor* ſum, ſapientibus & inſipientibus, &c.

5. Reprehenditur in Scriptura zelus non ſecundùm ſcientiam, item putatiuus illorum, qui interficiunt, & *putant ſe obſequium præſtare DEO*: ita zelus etiam, niſi modum adhibeas debitum, vituperio patet! Modum igitur iam præſcribam, ad quem te explores, velut ad lapidem Lydium, an ſancto zelo ardeas.

I. *Zelus animarum debet eſſe prudens*, attendens ad circumſtantias temporum, locorum & perſonarum. Vnde Hieronymus ait aliquos Chriſtum Eccleſiæ dediſſe, *qui nouerunt, quando proferre debeant ſermonem*, & quomodo: aliter enim cum hoc, aliter cum illo agendum; & malè impetu ac præcipitanter res geruntur.

II. *Zelus ſit vniuerſalis* quoad omnem locum, (quatenus licet) omne tempus, ac perſonas, quoad multiplicem modum iuuandi proximos verbo, exemplo, ſcripto, Sacramentorum adminiſtratione, vtili conuerſatione, quæ exprimat doctrinam Gregorij dicentis: *Quaſi ex ſalis contactu, æternæ vitæ ſapore condiantur homines qui* nobiſcum verſantur. *quaſi petra ſalis, Sacerdos ſit in populis*. 3. Debet eſſe *purus quoad intentionem*, non ſe vel ſua quærendo, ſed Deum & animas propter Deum. item purus ſit quoad propriam labem præcauendam; vt ſit veluti ſolis radius, qui non inquinatur à ſterquilinio, quod irradiat. 4. *Sit indefeſſus*: ſemper ardeat hic ignis, & dicat Affer, Affer; vel cum nouo Indiarum Apoſtolo; *Ampliùs Domine*, amplius.

5. De-

5. *Debet esse gratuitus: gratis accepistis, gratis date.* 6. Debet esse *promptus* etiam mediâ nocte, adinstar S. Iosephi, cui apparuit in somnis Angelus dicens: *Surge accipe Puerum & Matrem eius & vade* in Ægyptum &c. & paruit. 7. *Sit patiens*, nam multa occurrent huius virtutis experimenta; & Paulus docet: *Charitas patiens est, omnia suffert, omnia sustinet.* 8. Sit *sollicitus* hic zelus, ne quid lucri cælestis intercidat, ne quæ anima per socordiam pereat, & sanguis eius exquiratur, de qua re Augustinus præclarè: *Timeamus*, inquit, *ne pereant homines Christo: cupiamus homines Christo acquirere, tristemur, si quis illi perit: lætemur, cùm eidem acquiritur.* Iuuat ad id, vt cogites tibi dici à Christo illud Samaritani ad Stabularium de vulnerato: *Curam illius habe, & quod superogaueris, reddam tibi.* 9. *Debet esse feruens & ardens*: In quo quis audet, *audeo & ego.* 11. Sit *cum diffidentia sui*: sit *humilis* & nihil sibi tribuens, dicatque: *DEVS incrementum dedit.* 12. *Non* sit *salutis propriæ immemor ac perfectionis*: Medice cura teipsum. Vnde Thomas à Kempis monuit: *Habe zelum primò super teipsum, & tunc zelare poteris Proximum tuum.* Et illud recole Christi monitum: *Quid prodest* homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Salua ergo alios, sed primò teipsum. Christus fuit Saluator omnium; sed ipse fuit Beatus in Anima; plenus ipse gratia, *de cuius plenitudine omnes accepimus*: tribus annis prædicauit, 30. priuatus vixit DEO;

PARS

PARS ALTERA

Ad Facem Illuminatiuã pertinens.

§. LXI.

Antitheta Crucifixi.

Seu Denominationes oppositæ, Christi Passi & Mortui.

Quid vobis videtur de Christo? Matt. 22.

1. CHristus Patiens & Moriens est timor & Amor tuus. *Timor*, ne frustra tantum impenderit, & sanguinem à te exquirat frustra profusum: *Amor*, quia tantus amor meruit redamari. vnde B. Iacoponus vociferatus: *Ego ploro, quia Amor non amatur!* ille nempe Amor, de quo S. JGNATIUS Martyr: *Amor meus Crucifixus est.*

2. Christus Passus est *Gloriatio, & Confusio tua. Gloriatio*; quòd te tanti DEUS fecerit, & sic dilexerit, vt Filium suum vnigenitum daret: *Confusio*; quòd sub spinoso capite ita sis delicatus; & quia fuisti causa Mortis Christi.

3. Christus Passus *Diuitiæ tuæ, & Expoliatio tua.* Ditat te virtutibus & multiplicibus bonis, quæ tibi Passione suâ meruit; expoliat te vetere homine ac te ipso. Viues iam tu, non tu: *Nemo iam sibi viuat*, monente Apostolo, sed ei, qui pro illo mortuus est.

4. Christus Passus, *consolationis & lachrymarum fons* perennis. *Consolationis*, quia nos redemit è tantis ma-

tis malis, & ex illo bona omnia gaudiaq; *Lacrymarum*, quas elicit acerbitas Passionis, & ingratitudo redempti, & grauitas peccati, pro quo necesse fuit Dominum Christum vulnerari moriquè. *Plangent eum, vt doleri solet in morte Primogeniti.*

5. Christus Passus est *Calcar, & Retrahens.* Calcar ad ea quæ sunt salutis; nam *empti estis pretio magno*: *Calcar* ad imitandum; nam Christus passus est pro nobis, *nobis relinquens exemplum*, vt sequamur vestigia eius, teste Petro Apostolo *Est Remora & retrahens* ab opposito salutis & virtutis, à voluptatibus terrenis, ita vt cum quodam te interrogare possis: *DEVS meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?* Est retrahens à fastu & sæculi pompa &c.

6. Christus Passus est *dulcorans amara*, & amaricans dulcia: *Nouissimus virorum*, & Rex Regum: *Gentibus stultitia*, & Summa DEI Sapientia: cùm sic infirmatus, nimium potens. *Inuenimus virtutem* JESUM, (ait Augustinus) & inuenimus infirmum JESUM, *fortem & infirmum*: fortem, quia DEUS, erat verbum: infirmum, quia VERBUM CARO FACTUM. fortitudo Christi te creauit; infirmitas Christi te recreauit. Mors illius, vita tua; infirmitas, virtus.

§. LXII.

Vox Sanguinis Christi Passi.

Vox Sanguinis Fratris tui clamat ad me de terra. Gen. 4. *Clama, ne cesses.* Isai. 58.

1. ET inanimatis lingua & loquela inest. nam & *lacbryma pondera vocis habent*; & notum

est

eſt illud Auguſtini: *Omnia clamant ad me, DEVS, Vt amem te.* Sanguini etiam vocem ineſſe docuit Sanguis Abel. At in Chriſti Paſſione omnia quidem ad nos clamant, flagella, claui, lancea, columna, petræ ſciſſæ & hiantes: ſed vox Sanguinis Chriſti diſertior eſt & potentior. Clamat ad Patrem Æternum, non de vindicta, ſed de venia: Clamat ad nos, niſi ſurdi auditores ſimus.

2. *Vox* clamantis *Sanguinis* Chriſti *non vna*, ſed multiplex: tot linguæ, quot guttæ. Obſerua & audi vocem ſingularum: vox enim hæc dulcis, vox ſonora: *nam tantus amor, eſt ingens clamor.* Audi vulnera manuum, *audi* plantarum, audi os & linguam cordis, audi capitis, audi totius Corporis conciſi & cruenti. *Audi* & luge: audi & ama: audi & redde: audi & age congrua huic voci: audi & abſtine: audi & patere ac compatere. Vox quidem Sanguinis de terra tantùm clamauit; ſed vox ſanguinis Chriſti clamat de cælo cum Angelo Conſolatore: clamat de terra, decurrente in terram ſanguine inter ſudorem ſanguineum: clamat de columna & flagellis, ex corona ſpinea, ex cruce & lancea, clamat de vijs, iuxta illud: *Et plateæ dederunt vocem ſuam:* Clamat idem Sanguis in SS. Euchariſtia. Auditor, profice ex hac ſanguinis clamantis vbiq; voce; nam *vocem meam*, inquit, *oues meæ audient:* Perſuadeat tibi Orator hic tam energicâ & patheticâ dictione. Caue illud: *Propterea non auditis, quia ex DEO non eſtis.*

3. Adhuc vox Sanguinis Chriſti *clamat in omnibus.* Offertur tibi à DEO gratia quæcunque & auxilium? Eſt in eo vox ſanguinis, qui id tibi meruit. Vincis ardua & tentantem hoſtem? vox eſt ſanguinis, qui te victorem efficit, vt cum Paulo dicas: *Gratias DEO, qui dedit nobis victoriam per*

IESVM Christum. Omnia Sanguine Christi comparata sunt tibi, quæ ad salutem animæ conducunt. Etiam ea, quibus religiosus vteris, quibus aleris, vestirisqué, patrimonium sunt Christi Sanguine paratum. quare deberes eam cogitationem S. Bonauenturæ assumere, vt omnia videas *Sanguine Christi rubricata*, & vocem in illis huius Sanguinis audias.

3. *Clama ne cesses*, ô Sanguis Verbi. Si quæras, *Quid clamabo?* Clamoris materia in promptu est. *Clamat ergo*, quanta sit malitia & grauitas peccati, quanta pulchritudo virtutis, quantum Cæli & animarum pretium, quanta dignitas DEI, cuius iniuriam nulla pura creatura potuit reparare, sed DEUS Homo: quantus item Christi erga homines amor. *Clamat idem Sanguis*: Ama aut redama. Sustine, Abstine: Dole, Spera, Trahe alios ad amorem Crucifixi. *Clamat*: *Quæ vtilitas in Sanguine*, dum tot vltro descendunt in corruptionem & interitum? *Clamat* te Deicidam, & tantum Parricidam fuisse: Plagatus sum ab his, qui diligebant me: Empti estis pretio magno, glorificate DEVM in corpore vestro: Si hæc in viridi, quid fiet in arido? *Clamat* & de sua profusione: *Cùm posset guttâ, redemit vndâ*, factus nobis & pretium, & lauacrum, & poculum, & Mediator. *Balneum* è Sanguine humano voluit Constantinus ad tollendam lepram; hîc habes id è Diuino: mundare.

4. *Echo* Voci respondet, & *Hebraicè* dicitur *Batcol*, id est, filia vocis. Non sit vox sanguinis prædicta sterilis, sequatur actio, ad quam incitat: sequatur fuga, à qua retrahit: Sit gratitudo, filia vocis huius: in tuis operibus sit eiusdem Echo: responde illi factis & imitatione: alioquin nihil in te solidæ est virtutis; nam à solidis Echo fit,

& refractio illa vocis: aut certè inter illas es *aspides, quæ non exaudiunt vocem incantantis sapienter*: (quæ incantatio tribuitur à Sanctis Christo, & tribui meritò potest voci Sanguinis eius.

§. LXIII.

Compendium Modorum Recolendæ Passionis Dominicæ.

Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Thren. 3.

1. PRimus Modus est, Figuras Christi Passi considerare ex Scriptura; vt de Adamo, de Abel à Cain occiso eiusque sacrificio: de Arca Nòé saluatrice, de Abrahæ sacrificio, de Iacob Scala, de Ioseph vendito, de Mari rubro, de virga Moysi, de serpente æneo, de Samsone illuso, de Rhamno vel spina regnante, de Jona in ventre ceti, de Dauide ab Absalone oppugnato, à Semei impetito &c. 2. *De Sacrificiis veteribus*, Hostia pacifica, Hostia pro peccato, Hostia laudis, Holocausto, Sacrificio vespertino, Agno Paschali, sacrificijs alijs &c. 3. *Expendere prophetias* de Christi Passione, ex Psalmis, Prophetis, cum verborum consideratione. 4. *Conferre* mundi reparationem cum eius prima Creatione, Paradisum cum horto, Euam cum B. Virgine, Lignum vitæ cum Cruce. 5. *Considerare* Passionem sub varijs denominationibus, vt sacrificij iustitiæ; Deletionis chirographi, Pretij, Scalæ cæli, paradisi animæ &c. 6. *Considerare titulos* vulnerum Christi Passi quos in Fasciculo Myrrhæ congerit Vincentius Carrafa: vt quod sint

Aurifodinæ, Oratores ad nos, Incentiua amoris, vrbes refugij, propugnacula, Anchoræ spei &c. Item tituli à Iudæis tunc dati Christo, vt Blasphemi, seductoris, Malefactoris &c. 8. *Titulos* Christo Passo datos in Scriptura, vt Pastoris, Ouis, Agni, Pelicani, Leonis, Fortioris armati &c. vt & illum titulum, quòd factus sit pro nobis *Maledictum*. 9. *Miracula in Passione Christi* expendere, vt tristitiam Animæ fruentis tunc visione beatificâ, sudorem sanguineum, prostratos hostes ad vocem *Ego sum*, sanatam Malchi auriculam, Petrum oculo Christi saucium & pœnitentem, latronem conuersum, percutientes pectora sua, solem obscuratum, petras scissas &c. 10. *Effusiones sanguinis* in horto, in vijs, ad columnam &c. 11. *Vias Christi* ad hortum, ad Annam, ad Caipham &c. 12. *Virtutes Christi in Passione*, Iustitiam, resignationem, humilitatem, patientiam, amorem inimicorum. &c. 13. *Triborium* Christi in Cruce. 14. *Horas octodecim* Passionis. 15. *Dolores internos externosquè*, eorumquè ac charitatis sublimitatem, latitudinem, longitudinem & profunditatem. 15. *Quibusdam vitiis* oppositos cruciatus, vt humanæ ingluuiei fel & acetum, sitimquè: impudentiæ, Nuditatem ad columnam & in Cruce; molli strato Crucem &c. *& 7. capitalibus*. 16. *Verba aduersariorum* contra Christum: Reus est mortis, Quid fecisti ? Sic respondes Pontifici ? Non hunc, sed Barabbam Tolle &c. 17. *Octo beatitudines* in Passione expressas: & *septem opera* misericordiæ vtriusque. 18. *Verba septem Christi* in Cruce; & alia verba in decursu Passionis totius. 19. *Dolores B. Virginis* eiusq; *virtutes* in Pasſione Christi. 20. *Persona* Cruciatuum Christi causæ, tum Sanctæ, tum nequam considerentur. 21. *Causa & effectus* Pasſionis. 22. *Compen-*

satio-

sationes cruciatuum & contumeliarum Christi. & honoris, cultûs, amorisq; illi tunc adempti restitutio: item recompensatio fellis & aceti per temperantiam; sudoris sanguinei per labores in auxilio animarum &c. 23. Idea multiplex in Christo Passo: vt idea actuum heroicorum, idea zeli, idea sacrificij de seipso &c. 24. Deliciæ in Christo passo. 25. Solatium Christo in Passione mærenti, ceu ab Angelo consolatore. 26. Noua in dies Christi Passio à peccatoribus rursus eum Crucifigentibus, &c.

§. LXVI.

Tributum Regi dolorum.

Tu dicis, quia Rex sum ego. Ioan. 18.
Cui tributum, tributum. Rom. 13.

Regi tributa dantur, quidni & Regi seculorum dolorumque? Triplex debitum in nobis Paulus agnouit. *Primum.* Mori quisque sibi, viuere Christo debet. Pro omnibus Christus mortuus est, inquit, *vt & qui viuunt, non sibi viuant,* sed illi. *Alterum.* Glorificandi DEI, & portandi in corpore: *Empti estis pretio Magno, glorificate* DEVM. &c. *Tertium.* Adorationis: vt in Nomine IESV *omne genu* flectatur, & *omnis lingua* confiteatur, quia Dominus JESVS est in gloria DEI Patris.

2. De quodam, Iob queritur: *Clamorem Exactoris non audit.* Exactor hic etiam Christus est Passus, qui à te adhuc alia tributa exigit. *Primum.* Memoriæ, & *Memoriale Passionis* dulce instituit, SS. Eucharistiam. Apud quosdam est obliuioni datus

tanquam mortuus à corde, à quibus scilicet non diligitur ex corde. Tu in lecto, Crucis eius memineris: in puluillis, spineæ coronæ: in cibo, fellis: in via, viarum ad Iudices & Golgotham: inter orandum, horti: in scholis, cathedræ crucis: in scriptis, Carnis stylo cruento exaratæ: inter opprobria & graue aliquid toleratu, ea quæ passus ille, recogita: in audiendo Confessiones pœnitentium, illud: *Reuertebantur percutientes pectora sua:* in flagellis, quæ tibi infligis, eius flagellationis: in oneribus, Crucis recordare &c. *Secundum tributum est* quod exigit, Imitatio, *vt sequamini vestigia eius.* Vnde & illud dictum Christi, Hoc facite *in meam commemorationem*, Cyprianus exponit: *In meam imitationem.* Et Augustinus illud Psalmi: *Edent pauperes & saturabuntur*; exponit sic: *Et imitabuntur*, scilicet Passionem Domini, cuius recordatio suaue cordis epulum est. Hæc autem imitatio duplex, nempe tum imitatio ipsius Christi quoad humiliatiua & afflictiua, eorumque tolerantiam & gustum propter eum, qui prior dilexit nos, cùm dura hæc emmolliat sanguis Christi: Tum imitatio aliorum erga Christi Passionem optimè affectorum. Alij imitati sunt eum in morte sua, alius noluit esse sine vulnere, dum Christum cerneret sauciatum: alia clamabat: *Domine aut pati, aut mori*, alij miris adinuentionibus hunc amorem Christo rependere studuerunt. Et hæc est compassio Practica. *Tertium Tributum* à nobis exigit nostram Cooperationem ad salutem nostram & alienam, ne tantus labor sit cassus. Atque hoc est *adimplere, quæ desunt* in te & alijs Passioni Christi.

3. Denique debes huic Regi dolorum in tributum teipsum totum & omnia: *Debes tributum cordis*, per amorem & æstimationem Christi Passi; nam

difficiliora hîc præstitit amor illius erga te, quàm in alijs mysterijs Redemptionis. *Debes tributum oris & linguæ*, debes *tributum laudis*, debes *tributum corporis*, & sensuum & omnium virium, debes maximam liberalitatem in Christum, ad id aspirando, vt, si fieri posit, pari mensurâ remetiaris illi, apud quem tam copiosa redemptio, & qui, cùm posset guttâ, te redemit tantâ eluuione sanguinis.

§. LXV.

CHRISTI-formis Crucifixio.

CHRISTO *Confixus sum Cruci*. Gal. 2.

1. CHRISTO *cariora fuerant brachia Crucis, quàm Matris*, ait Bernardus. Sed qui sic amauit Crucem, amat & Crucifixos, seu qui secum *in eadem damnatione* sancta vltrò sunt: nam isti sunt Alter ille.

2. Plus est cum Christo esse in Cruce, quàm cum Seraphim in Paradiso. Rationem affert P. Rodericus noster, qui cum Angelis cœlum ingredi visus est, & inter dolores dicebat: *Malo hos pati, quàm esse Seraphinus vel Cherubinus*: hîc enim Christum imitor; & dum patior, facio quod illi nequeunt. Hinc Chrysostomus inquit: *Potiùs mihi malè affici pro Christo, quàm honorari à Christo*: nec ideo beata pro Christo vincula, quòd in cœlum destinant ligatum, sed quòd pro cœli Domino feruntur. Hinc illi gaudentes, quoniam *digni habiti sunt* pro Nomine IESV contumeliam pati. Hæc est dignitas super omnes.

3. Ergo viue vt Crucifixus, non quidem vt latro malus: quia meritò, ac vt reus est passus; nec liben-

libenter, & improperauit Christo; at Apostolus monet: *Nemo vestrùm patiatur, sicut fur aut homicida*; & *hilarem datorem diligit DEVS*; improperare item Crucifixo non est timentis DEVM, ideoq; illi ab altero obijcitur: *Neque tu times DEVM.* Non item esto Crucifixus, vt latro bonus; nam passus hic est ideò, quia latro, seu ex mala causa; & quia non citò conuersus, diu amorem distulit, nempe vsque ad extrema. *Sed* viue in Cruce, ac morere vt Christus Crucifixus, innocens, liberè, constanter, (etsi illi diceretur, *Descende de Cruce, credemus tibi*) donec moreretur. *Item.* Christus in Cruce expoliatus & pauper, fuit meta linguarum, improperiorum & opprobriorum, *positus in signum, cui contradiceretur*: ibidem fel degustauit; & pro persequentibus se orauit. Talis esto Crucifixus.

4. S. Francisco apparuit Seraphinus Crucifixus. an quòd pulchrum esset vel Seraphino esse Crucifixum, quando id nec DEO Homini indecorum? an quòd Christum in Crucem egit ardentissimus amor in Seraphino adumbratus? an quòd Crux possit parere & efficere Seraphinos? an quòd non caro tantùm debeat Crucifigi, sed & Spiritus? Aut certè hæc visio te monet, vt in te sit ardens amor Crucis, sit amor in Cruce, neque putes te satis amare Christum, nisi cum eodem patiare ex amore. Esto ergo & tu Crucifixus Seraphinus.

§. LXVI.

Crux vitalitia. Crux Sua.

Tollat Crucem suam. Matt. 16.
Confixus sum Cruci. Gal. 2.

1. CRucem horret Natura, sed amat Gratia, quæ filio-

filios DEI discernit, quorum cuilibet Nomen sit *Benoni*, seu *Filius Doloris*, filius Crucis. Insuper *clauus penetrans est clauus reserans* iuxta Bernardum. nempe cor aperit Cruci, & aureæ clauîs officio fungitur; dum crucis pretium proponit sanctificatæ per Christum.

2. Nesciebat homo pretium eius. dictum id de Pauperie; ego idem dixerim de Cruce, cuius etsi iam inde pretium innotuit, quòd in ea *pretium sæculi* appensum est, mundiquè redemptio; tamen adhuc eius pretium tibi indicant Sancti. Indicat B. Andreas Apostolus inquiens: *Salue Crux pretiosa, & diu concupiscenti animo præparata*, redde me Magistro meo Christo, vt per te me suscipiat, qui per te me redemit. Indicat alter Indiarum Apostolus, cuius illa oratio: *Aue lignum Crucis, aue Crux pretiosa, me tibi dedico in perpetuum?* Indicat & Seraphicus Bonauentura dicens: *Non se quis reputet hominem, sed bestiam, nisi sit vestitus Domini Passione*, hoc est, nisi mortificationem IESV ceu eius insignia gerat, & carnem suam crucifigat cum vitijs & concupiscentijs suis, quæ alioquin brutales aut brutis communes sunt. Indicat & Chrysostomus, qui inducit Sanctum Latronem Christo dicentem: *Quomodo in Paradisum penetrabo, quem Cherubin prohibet?* respondet: Si te ingressu igneus gladius prohibuerit, *regium illi signum Crucis ostende*, tibiquè portas aperiet.

3. Dulce id lignum, dulces claui: nam & *mala pæna*, Caietanus ait, *assumpta à Verbo*, in eiusdem Persona fuisse *deificata*: & S. IGNATIVS noster, cuidam in aduersis mærenti dicebat: *Si te faciat DEVS multa pati, signum est*, quòd te velit Magnum efficere sanctum: Si verò tu velis Magnus fieri Sanctus, rogabis illum, vt tibi det magnam patiendi ma-

endi materiam. *nec enim lignum aptius est excitando foco amoris* (in quo est plenitudo legis & sanctitas) *quàm lignum Sanctæ Crucis, quo Christus Iesus est ad sacrificium charitatis immensæ.* Idem Sanctus dicebat: *Totum mel ex floribus deliciarum mundi non est tam dulce, vt fel & acetum,* id est, *pati cum Christo, & pro Christo.*

4. Configere & Cruci Christi, & tuæ. Crux Christi ex palma & olea fuisse dicitur. Nam victor suipsius palmam rapit, nec alibi securior pax (cuius olea est symbolum) quàm in Cruce. In Cruce mors Christo obtigit; non satis ergo est pati, sed in Cruce mori. Configere & tu Cruci tuæ; nam dicitur: *Tollat Crucem suam*, & sequatur me. *Tua Crux est* id, quod te afficit, quo te DEVS probat, quo te homines infestant; quod etsi alijs leue videatur, tibi grauius toleratu est. *Tua Crux est,* quod à natura, quod ab obiecti vel negotij arduitate, quod ab occasionibus obtruditur, vt vincas. (*Certamen forte dedit illi, vt vinceret*) abnegatio tuî & tuarum cupiditatum, mortificatio interior & exterior, *cruces tuæ* sunt, quibus configere. Non omnes idem affligit & molestat; alijs rosæ, tibi spinæ: te si afficiunt, hæc *Crux tua* est, fer illam, fer te ipsum.

5. Henrico Susoni vox cælitus allata insonuit: *Esto deinceps Eques Crucis*: quasi antea tantùm in peditatu fuerit, cùm pauca & minora passus, non vt postea, cùm Eques Crucis esse elegit. Et tu id nomen elige, nec sis inter gregarios, vt tibi etiam dicatur à Christo: *Equitatui meo assimilaui te. At quadrigæ eius saluatio;* nam quatuor vulnera viuenti in Cruce inflicta talibus quadrigis in cælos euehuntur Heroes & equites Crucis quibus te inscribe.

6. Vsque

6. Vſque ad mortem, *mortem autem Crucis.* Crux fuit vitalitia Chriſto meo: Agnus occiſus ab origine mundi vocatur Chriſtus: & à prima conceptione in vtero, & ſemper ille in Cruce; pòſt actu, ſemper affectu, tota illius vita Crux fuit & Paſſio. Et tu Cruci dixeris cum *S.* Franciſco Xauerio: *Me tibi dedico in perpetuum:* Crucem vitalitiam porta. Nunquam non eſt Crucis occaſio: nec Inuentio huius myſticæ Crucis ad Maium expectanda, (nam & in Maio & fortunæ ætatiſq; flore crux reperitur) quæ non quærenti quotidie occurrit; Crux nempe in ferendis cenſuris, in calumnijs, in defectibus aliorum tolerandis, & alijs iuxta dicta in Face Prima de Praxi continuæ mortificationis. Inſuper adde præparationem animi ad quæuis ferenda, vt cùm tolerandum aliquid euenerit, dicas: Hoc eſt quod ſperaui, quod volui; ô Crux deſiderata & diu concupiſcenti animo præparata: præuiſa mala haud me feriunt franguntuè; nec durior ictus moleſtiùs incumbit, in quem toto deſiderio feror propter DEVM.

7. Porrò eſſe in deſiderio Crucis, & in ea permanere cum gaudio, ſeu ferre promptè & libenter, & ſuperabundando gaudio in omni tribulatione, eſt Crucifixi perfectio, Pauliq; Apoſtoli; & ante illum Iobi dicentis: *Hæc mihi conſolatio maxima, vt affligens me dolore, non parcas.* Et Iacobus monet: *Omne gaudium exiſtimate* fratres, cùm in varias tentationes incideritis. Hinc, quod dixit Romanus Sapiens: *Magna pars eſt Sapientiæ, ſcire, quo gaudeas;* pauci quidem id ſciunt, ſed ſcit ille, qui practicè ſcit IESVM, & hunc Crucifixum, & repletur conſolatione in tribulatione ſua. Sanè in cœlis gaudium maximum Rupertus ait poſt Viſionem DEI, in cantico cytharædorum canentium

de Christi Passione: *Redemisti nos DEO in sanguine tuo: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere honorem, & Diuinitatem.* nec minor ibi lætitia, de ijs quæ ipsi passi sunt propter illum & iustitiam Beati. Quare Crucem ama, de Cruce gaude semper; hæc est lignum vitæ in sanitatem gentium; sume & decerpe de illo quotidie, vt viuas in æternum.

§. LXVII. Vulnus vitale.

Ipse autem vulneratus est IESVS. Isai. 53.
Nolo esse sine Vulnere. Aug. Bern.

1. PRæbeas te Iaculo formoso, monet Origenes. Iaculum formosum est DEVS & Christus Patiens: Crux est, arcus. Quem illius amor vulnerat; formosum id & viuificum vulnus à *formoso Iaculo*; ergo in meta illi esto. Felices ita vulnerati! felices, qui in hoc amoris prytanæo vel quasi Nosocomio salubriter vulneratorum! Pulchra sanè hæc cicatrix: *cum sic infirmor* ex vulnere, *tunc potens sum.*

2. Vulnera alia lethalia, alia tantùm dolorifera & tantùm discontinuatiua partium: nam *dolor discontinuat.* Sed vulnus hoc vitale est, vnitq; nos cum vita & Spiritu nostro, qui est Christus Dominus; non verò separat. Alia vulnera sanari optamus, hoc vt magis & magis infligatur, optandum est. Modus, sine modo pati propter eum, qui priùs amore nostrî passus est. Nolo esse sine vulnere, cùm illum video vulneratum, & attritum propter scelera nostra, *cuius liuore sanati sumus.* Sim vulnus vnum & totaliter vulnus: semper vulneratus charitate in anima, dolore in corpore. Et vulnus, & dolorem amo: amor IESV

vulnerati me vulneret, & concidat vulnère suo ex vulnus. Hoc est, quod dicebat S. JGNATIVS Societatis Nostræ Parens: *Amore amoris tui moriar (patiarue) qui amore amoris mei dignatus es pati moriq;.*

3. Medicinam vulneri non alia præbeant fomenta, quàm illa, quæ vulnera dilatent, Crucemque desiderare doceant, & dicere cum S. Francisco Xauerio: *Ampliùs, ampliùs.* Sit in hac cicatrice sacer ignis, qui semper dicat, *Affer*, ampliùs. Vulnera ex vno & primario charitatis vulnere oriantur ac imperentur, vt vulnus in corpore per mortificationem, proficiscatur ex amore (Patior, quia amo) vulnus item in sensibus per restrictionem, vulnus in fama per ignominiam & amatum insipientiæ titulum. in his & similibus semper occinendum est: *Propter eum, qui prior dilexit nos: Propter te mortificamur totâ die:* Patior, non quia patior, sed quia diligo & Christo compatior. Sit dolor ex amore, & amor in dolore: Sit & passio & compassio. at si compatimur, & conglorificabimur.

§. LXVIII.

Scientia Pauli, notitia Crucifixi.

Non indicaui me scire nisi IESVM, *& hunc Crucifixum.* 1. Cor. 2.

1. PRæclara scientia, quæ non inflat, sed ædificat! Alia *scientia destruetur*, sed hæc permanet. Scientia tamen hæc est, nihil scire, seu nescire aliud quidquam, præter IESVM, & quæ ad illum. Qui nescit aliquid, seu non nouit; non vult illud, nec curat; nam non fertur voluntas in inco-

incognitum; si ergo & tu nihil præter IESVM scias, quomodo in alia præter IESVM feraris? Quæ nescio, in illa non propendeo, & tantùm volitum quid mihi IESVS, quia cognitum quid mihi IESVS.

2. Vide iam qualem IESVM sciat Paulus, alij nôrunt infantem & quærunt: *Vbi est qui natus est?* Alij nôrunt eius genus à Patre; *Tu es Christus Filius DEI Viui.* Alij nôrunt gloriosum in Thabor, & ibi quiescere volunt. *Bonum est nos hîc esse.* At Paulus scit IESVM, *& hunc Crucifixum*: Nouit illum in monte Caluariæ: scit *scientem infirmitatem*. Scit omnia, qui scit Crucifixum IESVM: nam in illo discitur, quanta sit dignitas DEI cui tantùm DEVS Homo satisfacere potuit ad æqualitatem pro mundi delictis: discitur, quanta sit Charitas DEI & Christi in nos, vt redamemus: discitur, vt supra innui, quantum sit pretium animarum, quantum pretium gratiæ & gloriæ, quanta dignitas Crucis & tolerantiæ, quanta malitia peccati. Scientia verò hæc Paulo tota Practica est, etsi sistat in veritate, quæ est Christus. nam in hac sistere & in eam ferri, amor est nimis Practicus: & qui non sistit in hac veritate per affectum, pertinet ad illos, quibus exprobratur: *Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* nempe quod recedit à veritate, est mendacium.

3. Multa alia Paulus sciuit edoctus in raptu ad tertium cœlum, adeò vt dicat: *Ne magnitudo reuelationum extollat me*; Tamen de hac scientia Crucifixi maximè gloriatur, quia hæc sufficit pro omnibus vna, cùm sit quædam encyclopædia, vt proximè ostensum: & scientiâ hâc vix quidquam esse iucundius possit: nam gratissimum est, id scire & recolere: *DEVS pro me mortuus est & extrema passus*;

mis passus; ô quanti me fecit, quantum æstimauit amor illius! Vt seruum redimeret, seipsum tradidit? Nihil item salubrius & ad virtutis studium, horrorem peccati, tolerantiæ amorem efficacius hâc scientiâ, vt patet.

4. Diuus Hieronymus Damaso Papæ scribens, vocat illum *Discipulum Crucis.* Talis discipulus fuit Paulus: esto & tu. Christus in Cruce, vt Doctor in cathedra est, à quo hæc scientia ducitur: hîc virtutes altissimas docet, vt patet discurrenti per singulas in Cruce & Passione exercitas.

§. LXIX.

Aspectus in Christum Crucifixũ.

Aspicientes in auctorem fidei & consummatorem IESVM. Hebr. 12.
Respice in faciem Christi tui, Psal. 83.
Qui percussus aspexerit, viuet. Num 21.

1. SIt oculus amorosus, vt Bernardus appellat Charitatem; & tamen *non taceat* simul *pupilla oculi tui,* cui opta fontes lacrymarum. Ergo *geminus* tibi sit *oculus, Amor & Dolor,* cùm IESVM in Cruce contemplaris: vel potiùs vterq; oculus sit Amor, vterq; Dolor; imò *totus* esto *oculus, totus dolor & amor*: te toto illum dilige, te toto plora, vt illum se toto laudat, qui dicit: Benedic anima mea Domino, *& omnia, quæ intra me sunt,* nomini sancto eius. *Oculi* sint hîc *in amore duces*: per oculos tibi IESVS ad cor penetret: Respice in faciem: *aspice, vt aspiciare.*

2. Varius hic aspectus & *Paralaxis amoris* est. *Nunc* Christum ante Crucem inspicit in Prætorio, & Iudi-

& Iudicem timet: *nunc* in Golgotha; & ex vulnerum fontibus salutem haurit: *nunc* in horto; & discit ad sanguinem resistere vitijs: *nunc* vias eius ad Prætorium, & in Caluariam recolit; & suas dirigit corrigitué: *nunc* sanguinis effusiones considerat: & suum immolare desiderat atque se desponsat sponso sanguinum: *nunc* 18. horas Passionis recogitat; & moram tribulationis amat: *Nunc* verba septem Crucifixi Domini considerat velut folia septem arboris vitæ in sanitatem gentium decidua; & illa non patitur in terram cadere, sed in Cor, quod etiam de Samuelis verbis dicitur: *Et non cecidit ex verbis eius in terram*: *Nunc* miracula in morte Christi cogitat, & duritiem cordis cum petra emollit, & ab eclipsato sole nouam lucem haurit: *nunc* internos externosqué Christi Cruciatus expendit; & per singulos in gymnasio patientiæ proficit: *nunc* verberum init rationem, aculeorum & puncturarum; & in flagella se parat: *nunc* octo beatitudines, opera misericordiæ & omnigenæ virtutis exempla ibi expressa aduertit; & ad eadem animatur. *Qui aspexerit, viuet.*

3. Quando aspicis IESVM Crucifixum & mortuum in Cruce, vide vt opus tuum, & agnosce à te exercitam in pijssimam Dominum lanienam & crudelitatem, & audi dicentem: *Plagatus sum ab his.* vide (vt admonet Augustinus) *vulnera, quæ inflixisti: agnosce latus, quod pupugisti*; & deteſtare facinus. Quòd cœlum excæcatum extincto sole, tu fecisti; quòd elementa insolito motu concussa, tu in caussa es: quòd Angeli pacis amarè fleant, tu in lacrymas compulisti; & magis adhuc obstinata durities & ingratitudo vulnerat. *Videbunt, in quem transfixerunt.*

4. Cùm Christum in Cruce aspicis; vide amo-

rem illius & dolorem. *Ecce quomodo diligebat eum* Disce à Christo, quomodo diligas: item dolori compatere, & patere: singula amantis vulnera deosculans id recogita: *Hoc propter amorem mei inflictum est IESV meo.* Ad hæc eadem vulnera cogita esse Oratores ad te, & pro te ad Patrem: cogita esse pro te Aduocatos: cogita eadem esse Mamillas Diuinæ bonitatis, sigilla charitatis: Fontes gratiarum, vel vt ærarium tuum & thesaurum; vel vt ignitabulum & fomites amoris Diuini; vel vt pretium & nummos, quibus emitur cœlum; vel vt scutum (vt etiam scutum quinque his plagis insignitum gerit Lusitania) & iuxta alios titulos bonitatis, & dignationis, quorum tibi plurimos suppeditabit ingeniosus amor, & fasticulus Myrrhæ (de quo supra) R. P. Vincentij Carrafæ. Illud etiam tibi obiter in memoriam reuoco, quod S. Brigittæ Christus dixit: *Qui me deuotè in Cruce aspexerit, eum in morte illius benignis oculis aspiciam.*

§. LXX.

Residentia in Vulneribus CHRISTI.

Manete in me, & ego in vobis. Ioan. 15.
In foraminibus Petræ, in Cauerna Maceriæ. Cant. 1.

1. SIcut *lætantium* & mærentium *habitatio est in te*, ô Saluator: lætantium; nàm & in cœlo, dum quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores, ac multitudo Angelorum in cytharis canunt, Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere honorem &c. ineffabile id tripudium est in cœlo. Quodsi in cœlo lætitia est in vulneribus Saluatoris; cur non etiam in terris? Sed tamen simul hîc mærentium habitatio,

bitatio, & *locus flentium* Quinque vulnera Saluatoris, sunt *quinque Valles lacrymarum.* Nam *plangent eum*, vt doleri solet in morte primogeniti. Et nonne meritò effundantur lacrymæ pro sanguine? *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lacrymarum?*

2. Esto vt Columba Nóé, quæ sub diluuium requieuit in Arca, eò quòd non esset extrà, vbi requiesceret pes eius Arca hæc est Christus, & eius vulnera. ibi requiesce, ne diluuio extrà pereas. Vt sub diluuio tantùm in Arca fuit securitas, alibi inundatio & interitus: sic cogita de vulneribus Saluatoris. Securus est, quem hæc contra tempestates ac inundationes protegunt. Columba tunc in Arca fuit, Coruus extra Arcam cadaueribus inescatus, tu Columba esto, non Coruus: nihil sit, in quo dulciùs requiescat cor tuum, quàm in Christi Cruce & Crucifixo: alibi Cadauer est, hîc vita.

3. Christus in Passione sua Vitis, tu palmes per quandam immanentiam & amorem in hac Vite esto; quatenus in Christi vulneribus defigat te iugis eorum memoria & pia erga Patientem IESVM affectio. Palmes *Vt in igne non sit, in Vite sit.* nam palmiti vnum de duobus congruit aut vitis, aut ignis. Porrò vt palmes non potest fructum ferre à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec tu nisi in Christo manseris. Tanti est te in hac vite manere!

4. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine Virtutum!* Tabernacula in pedum vulneribus respondent viæ Purgatiuæ: vulnera manuum, viæ Illuminatiuæ; Vnitiuæ, in corde & latere, vbi *patent Viscera per Vulnera.* Hîc sibi domicilia fixerunt amantes Animæ, dixeruntqué, *Bonum est nos hîc esse;* & meliùs in Golgotha, quàm in Thabor. nam nec in Thabor sapuisset gloriæ reuelatio, sine colloquio de

Chri-

Christi Passione & morte, vbi *loquebantur de excessu*, quem completurus erat in Ierusalem. Hîc Elzearius Comes residebat, & quærendum se dicebat *in latere Crucifixi.* Et Augustinus dixit, *nullibi tutiùs requiesci, quàm in vulneribus Saluatoris.* Hîc & tuum sit conclaue, hîc reclinatorium, hîc omne solatium: *Hæc requies mea, hîc habitabo* in sæculum, quoniam elegi eam: intra illùc; *patent ostia per vulnera* hiantia. intratur hùc per piam & continuam memoriam & dilectionem.

5. Mora autem hîc non sit otiosa. nam *Mora* hæc *Amor* est, & ex amore prouenit; & qui operari renuit, amor non est. Quare *tum* contemplationi gratæ & amorosæ Christi Passi mens inhæreat, vel in sanguine Agni lauet stolam suam, vel in eodem sanguine naufragium suî & terrenæ affectionis faciat, aut eundem lambat, vt pullus Pelicani: *Tum* cor eius cordi; actiones & affectus, eius actionibus & affectibus conforma: *tum* in corde scrutare amoris sublimitatem, profunditatem, longitudinem & latitudinem. &c. &c.

§. LXXI.

Testamentum CHRISTI.

Testamentum ipsius manifestetur illis. Psal. 24.

1. IN vltima Cæna & in Cruce Testamentum Christi solemniter est peractum. In Cæna Corpus & Sanguinem sub speciebus Sacramentalibus Ecclesiæ reliquit dicens: *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine.* Vbi non tantùm ius ad hæreditatem, sed ipsam etiam hæreditatem dedit Verbum Caro, dum seipsum. In Cruce Matrem Ioanni, Latroni Paradisum, Militibus vestimenta, Spi-

ritum æterno Patri, Crucem Christianis & Pacem testamento inscripsit. nam de Pace ab illo dictum, *Pacem meam do vobis*, Pacem meam relinquo vobis. De Cruce etiam patet; nam & acetum in ea gustauit, reliquum nobis hauriendum in amaritudine occurrente dedit. vnde illud: *Transeat à me Calix iste* (Crux nempe & Passio) Hugo explicat sic: *Transeat à me ad meos fideles*. Nullum ergo in hoc testamento Christus omisit, & insuper seorsim hæc omnia cuiquè legauit, memor omnium in particulari inter tantos Cruciatus.

2. Vide, vt nihil te prætereat eorum, quæ Christus inscripsit, & inprimis auidè Cor IESV require, nam cor illud Diuinum ex testamento est tuum: vrge executionem testamenti: etiam tu ipse es inter executores. Quia verò tuus est testamento IESVS; tuus iam erit & Spiritus JESU, de quo etiam tibi dictum puta, *In manus tuas* commendo spiritum meum: tua erunt flagella & spinæ illius, eius claui & lancea, eius opprobria & subsannationes, eius Mater & Cælum: adi hanc hæreditatem, nec diligentiores sint filij sæculi filijs lucis in minoribus legatis & hæreditate requirenda; nam *hæreditas tua præclara est nimis*. Ita autem hanc hæreditatem obtine, vt eadem dura ames, quæ tibi testamento legauit tuus amator JESVS.

3. Testamentum est *vltima voluntas de eo, quod quis post mortem fieri velit* de suis rebus: item sanguine & morte testatoris roboratur. Christi vltima voluntas & prima, ac continua fuit estquè Gloria DEI, & gratia atque gloria nostra, cuius gratiæ pignus in Sacramentis nobis reliquit: idem testamentum morte & sanguine illius roboratum est. Sed mortui huius Testatoris in te non extinguatur amor: viuat in corde, mortuus hic, qui in cœlis viuit; non sit *vt mortuus à corde*.

4. Per

4. Per leges testamentum facere prohibetur prodigus: at Christus pœnè in nos prodigus pessimè meritos, & abutentes eius donis & legatis: non prohibet illum nimia charitas nostrî obliuiscí in morte, quin nobis hæreditatem inscribat, cœlum & cœlestia, item sua merita & satisfactiones. Non tu sic prodigus, sed parcior in DEVM, à quo omnia dimanârunt. Testamentum & tu frequenter renoua, quo te DEO semel ex asse totum transcribas, vt DEVS sit tuî hæres, & Mater DEI. Robertus Bellarminus testamento amoris æterni partem dimidiam cordis legauit IESV, partem B. Virgini: tu totum vtrique, & omnia tua in gloriam, cultum, obsequium, & amorem vtriusq;.

§. LXXII.

Sepulchrum CHRISTI mysticum.

Et erit sepulchrum eius gloriosum. Isai. 11.

1. ALibi ne quære Domino sepulchrum, in te illum reconde. Artemisia Regina Cariæ epotos in cratere cineres Mausoli mariti sui sepelijt intra se, quod grande amoris argumentum fuit: potior amoris ratio in Christum quidni id tibi persuadeat? Illud quidem *sepulchrum eius gloriosum* à Propheta dicitur, quod de te dicere non licet; sed tamen mauult in te, quàm in saxo recondi, si velis. imò si saxa amat, & tu saxeus es, quem vix sanguis Agni emolliat. Si tanti apud DEVM meriti fuit Tobiæ sepelire quemcunque mortuum; quanti erit DEVM Hominem?

2. A sepulchro Christi desume mystici in te sepulchri non indignam Christo formam seu ratio-

 nem.

nem. Sepulchrum illud fuit *excisum in petra: in horto: in quo nondum quisquam positus erat* præter Christum: in eo positum Corpus IESV *in syndone munda* inuolutum *cum aromatibus*: lapis illi appositus grandis, qui illud muniret cum sigillo: adhibiti illi custodes, ne auferretur inde Corpus IESV: Angelis fuit spectabile. En quale Christi sepulchrum! hæc omnia eius adiuncta in te exprime; vt in te sepeliatur Christus. Effinget in te petram virtutum soliditas, hortum & aromata, Christi bonus & fragrans vbique odor; item alia effinget tum Zelotypia pro corde nulli præter DEVM ac IESVM concedendo: tum munditia & custodia cordis, & vita in carne Angelica; alioqui nisi cor, tale vel gloriosius sepulchrum Christo exhibeat, time, ne de te cœlum conqueratur: *Ecce locus, vbi posuerunt eum!* quàm vilis & indignus! Tale autem sepulchrum illi exstrue tum Diuina mysteria in Sacrificio Missæ percepturus, tum aliàs. Sanè continua Passionis Christi memoria, facilè cor in sepulchrum id commutat. Dum item in SS. Eucharistia recipis, cogita eum in te sepeliri.

3. Sed licet triduo tantùm retinuerit Corpus IESV sepulchrum illud gloriosum; tu semper voto & affectu, sæpe actu excipe. Illud sepulchrum reliquit, quia alienum; tu semper DEI esto, nec à DEO alienus, & dicet: *Ponam in te* sepulchrum meum, vt alibi dicit: *Veni electa mea, ponam in te thronum meum.* Denique felicior tu illo sepulchro; nam illud gessit mortuum, tu etiam viuum Corpus IESV. Esto nihilominus sepulchrum mortui pro te Domini, sit in te iugis eius memoria & amor; *nec dabis* tu etiam *sanctum tuum* videre in te *corruptionem*.

§. LXXIII.

§. LXXIII.

Ecce Mater tua. *Ioan.* 19.

SEV Causæ, &

Tituli ſpecialiter colendi DEIPARAM.

1. PRIMVS Titulus vel cauſa ſpecialis MARIANI cultûs, *Imitatio DEI*: nam *DEVS* ipſe (vt Angelus S. Brigittæ dixit) *eam ſuper omnes maximè dilexit*; & ſola fuit ſummæ TRINITATI gratiſſima, ſola de qua maximè lætabatur ipſe DEVS, cum qua ſola 30. annis in terris vixit, cum alijs annos tres conuerſatus. Et Bernardus voluntatem hanc DEI innuit, cùm ait: *Totis medullis cordium veneremur illam* quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos voluit habere per MARIAM. Et Chriſtus B. Petri ex Ordine S. Benedicti deuotionem laudauit erga ſuam Matrem dicens, ſe eius honore delectari.

Secundus: Quia Mater eſt omnium & tua. nam & S. Epiphanius ait: A MARIA vita mundo eſt genita, *vt fieret Mater viuentium*. Et Origenes inquit: *Omnis verè Chriſtianus, filius eſt MARIÆ*. Et Chriſtus D. Brigittæ dixit: *Mater mea ob compaſſionem & charitatem facta eſt Mater omnium* in cœlis & in terris. Hinc Albertus Magnus illud Scripturæ: *Parturiuit Sion*, id eſt, ſpeculatrix, *filios ſuos*; de B. Virgine in ſpeculatione doloroſæ Paſſionis Filij ſui intelligit. At ſi Mater eſt; *honora Matrem tuam*; & ſpecialiter tantam Matrem. Ecce Mater tua, Mater miſericordiæ; quam demerere: Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & ſanctæ ſpei; quam implora. Dic Domino: *Saluum fac filium Ancillæ tuæ*. *Pſal.* 85. Et vide ne tibi dicat ipſa: *Fili quid feciſti no-*

sti nobis sic? P. Adrianus Mangotius dicebat: *Qui hanc in terris non nititur habere Matrem, quomodo in cælis DEVM habiturus sit Patrem?*

3. *Tertius titulus:* Quia (vt eam Sancti appellant) fuit *Corredemptrix nostra*; non tantùm quia caro & sanguis, pretium redemptionis nostræ ex Virgine sumptum est à Redemptore; sed quia, vt ipsa S. Brigittæ reuelauit: *Filius meus & ego, quasi vno corde simul redemimus mundum.* Et S. Bernardus ait: *Sicut Adam* non solus fuit in nostra damnatione, *ita nec Christus* in nostra saluatione; sed Christus principaliter: MARIA minùs principaliter. Quod si colendi Redemptorem iusta est ratio; an non etiam Corredemptricem, quæ dilexit me, & tradidit Filium suum, quem super se diligebat, pro me; vel *tradidit seipsam non in se, sed in Filio*; vt loquitur Bonauentura.

Quartus titulus: Quia *Maternitas Diuina* iuxta S. Thomam *habet dignitatem quandam infinitam ex bono infinito, quod est DEVS;* & iuxta S. Bernardinum Sennensem ex eo, quòd sit Naturalis Mater DEI, videtur eleuanda fuisse ad quandam æqualitatem Diuinam per quandam quasi infinitatem perfectionum & gratiarum. Vnde Origenes exclamat: *ô digna digni, immaculata sancti, vna vnius, vnica vnici, dignissima Mater dignissimi Filij.* Quod si tanta illius excellentia, quantus illi cultus debetur? Sanè Cardinalis Lugo docet, quòd B. Virgo sicut in gloria, sic etiam in veneratione constituit classem ab omnibus Sanctis diuersam & longè superiorem; nempe hyperduliam, quæ est excellens dulia alijs omnibus altior, maiorquè veneratione, quæ Sanctis impenditur.

Quintus titulus seu causa est: Quia superat terrestrium titulorum splendorem hic titulus, Esse DE

Paræ seruum, esse Mancipium MARIÆ: tum quia illius esse subditum, est titulus, & laus ipsius Christi, de quo est illud: *Et erat subditus illis*: Tum quia Anselmus inquit: *Seruire MARIÆ regnare est, & inter mancipia eius connumerari, plus quàm regium*: tum quia cùm sit Domina vniuersorum, tum iure Diuino, tum Angelico (quorum cantus ille Regina cœli) tum iure & consensu Ecclesiastico, tum iure Morali; certè quantò maior est & excellentior Princeps, cui seruimus, tantò maior gloria nostra.

Sextus est: Quia supergressa est vniuersas: quidquid in quoquam sub DEO meretur cultum & affectum specialem, est eminentiùs in MARIA tum in gratia, tum in gloria, tum in priuilegijs, tum in merito & virtutibus. nimirum *quod non repugnat rationi, vel fidei, vel auctoritati Diuinæ*, ab Ecclesia *tribuendum est MARIÆ*, vt docet Augustinus apud Albertum Magnum in Mariali, & Scotus d. 9. 4. 1. Et S. Thomas dicit *in nullo & à nullo B. Virginem superari.* Si ergo alia minora sidera colimus; cur hoc non tantùm æquale, sed luminare Maius maiori cultu non prosequamur, quod etiam Iosepho Patriarchæ contigit, qui dixit: *Videbam stellas vndecim, Solem & Lunam adorare me?*

Septimus titulus: Quia singularis & constans cultus DEI Paræ, inter signa Prædestinationis à multis reponitur; tum ex illo, quod eidem Ecclesia accõmodat, *In electis meis mitte radices*; vnde *Mater Electorum* vocatur ab Ambrosio: Tum quia Anselmus ait: *Sicut impossibile est, vt qui ab illa auersus est & ab illa abiectus, non pereat; sic qui ad illam conuersus est & ab illa respectus, vt intereat*: Tum quia S. Germani Constantinopoleos Patriarchæ Sententià: *Nemo est, qui saluus fiat, nisi per eam.* ô felix cultus & obsequium MARIÆ præstitum!

Octauus titulus: sunt plurimæ aliæ vtilitates ex hoc eius cultu in nos promanantes. *Venerunt omnia bona pariter cum illa*; nam DEVS *totum nos voluit habere per MARIAM*, vt ait Bernardus, & nulla gratia in terram venit, nisi per manus eius. Cuius rei rationem reddit Bernardinus Senensis dicens: *Quia est Mater Filij spirantis Spiritum Sanctum* & in *vtero suo; vnde habet quandam*, vt sic dicam, *iurisdictionem siue authoritatem in omnes temporales processiones Spiritûs Sancti*, quibus vult, quando vult, quomodo & quantum vult, per manus eius administratur; ideòque ab Idiota dicitur *Thesauraria gratiarum DEI.* Est auxilio, est Patrocinio, est Aduocata, est Reconciliatrix, est iuxta Damascenum *vberrima benedictionis Scaturigo*; & iuxta Bonauenturam, *reatum nescit sceleris, qui eam deuotè sequitur, & qui illi placuerit, procul fiet à perditione.*

§. LXXIV.

MARIANVS Cultus specialis.

Supra modum autem Mater mirabilis, & bonorum memoriâ digna. 1. Mach. 7.

1. SIc scriptum est de Matre Machabæorum; sed multò magis de Matre Vnigeniti Filij DEI dicetur à nobis idem, quòd sit *supra modum mirabilis Mater*; seu Filium spectemus: seu modum concipiendi & generandi dignum Matre Diuinâ; seu eius alias dotes & priuilegia, ac dona gratiæ & gloriæ. Est item *bonorum memoriâ digna*, non tantùm, quia generosiùs sustinuit mortem, quàm Machabæorum Mater, Filij sui in Cruce pro salute mundi obitam; sed etiam ob alia, tum quoad se, tum quoad nos,

huius memoriæ motiua, & commoda. nam rectè Anselmus dixit: *Nihil vtilius esse post DEVM, memoriâ Matris eius.* Modus eam colendi est quidem & debet esse omnibus communis, ad quem hortatur Bernardus: *Non recedat ab ore, non recedat à corde;* sed tamen hæc memoria erit specialis cultus, si per sequentes exerceatur modos.

Primò. Facere illi magna ex imitatione DEI, qui *fecit* illi Magna. quod fiet, si optimis quibusque modis eam colas. Sauli proximè ante regnum Samuel dixit. *Et cuius erant optima quæque, nonne tibi?* & tu optima quæque, & optimo modo exhibe DEIParæ, pro more agentis optimi, cuius est producere totum penitùs effectum optimum; vel certè conando illud attingere, quod de se in extremis dicebat Ferdinandus III. Rex Hispaniæ: *Ego ex iis, quæ meliora putaui, nihil omisi:* qui Rex totus etiam fuit in quærendis exquisitis modis, quibus meliùs B. Virgini seruire posset.

Secundò. Elucidare illam. nam *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Elucidatur per ea, quibus laus eius & cultus singulariter & latè promouetur. Lux alia nocturna Lunæ ac stellarum, alia diurna solis, minor alia vel maior: tu semper plus lucis Nomini Virgineo coneris affundere, sisque potiùs dies Diem illuminans.

Tertiò. Maximâ dilectione in eam ferri post DEVM. Nam dicit: *Recti diligunt me;* & *eius amor*, teste Bonauenturâ, *Diuinum reddit amantem.* Speciale est, quod illi tribuit S. Petrus de Nolasco dicens de ea: *Quæ sedet super Seraphim* cùm de DEO dicatur, Qui sedes super Cherubim. Nempe illa habet suos etiam Seraphinos in eius amore ardentes, in quibus thronum suum & domicilium habet gratissimum. Talis inter alios fuit S. P. IGNATIVS, de quo eie-

ctus

ctus Mutinæ ex obſeſſo dæmon clamabat : S. IGNATIVS *me eijcit ob ſingulare ſtudium & amorem in B. Virginem, & ob ſuam humilitatem.*

Quarto. Beatificare & benedicere illam ; iuxta illud : *Beatam me dicent omnes.* Et : *Benedicta tu.* Si beatus populus, cuius Dominus DEVS eius ; ſi beatus, qui non abijt in conſilio impiorum ; ſi timentis DEVM beata eſt anima eius ; ſi benedictio Domini ſuper caput iuſti : ſi beatitudo eſt aggregatio bonorum omnium ; quis beatior dici debebit, quàm B. Virgo ? ſed tu inſuper illam glorifica & benedic; vt etiam illud tibi conueniat DEI promiſſum : *Benedicam benedicentibus tibi.*

Quintò. Vigilare ad poſtes eius quotidie. nam *Beatus, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei.* Sta pro foribus huius Dominæ, velut cuſtos atrij : Excuba ad omnes occaſiones obſequij & gloriæ eius. Neſcio, an non pertineant ad hanc laudem cultores Immaculatæ Conceptionis illius, quæ fuit velut oſtium & ingreſſus illi ad vitam.

Sextò. Quære illam iuxta illud : *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Quæritur illa, dum quæritur eius Filius, ac vtriuſque gloria, & apud vtrumq; gratia per multiplex obſequium.

Septimò. Radicatio illius in corde tuo, iuxta illud : *In electis meis mitte radices.* nempe ſi magis in te augeatur amor, cultus & deuotio ad DEI Param ex conſideratione tum eius excellentiæ, tum beneficentiæ in nos, aliorumque titulorum eam venerandi. Felix hæc radicatio, quæ eſt Electorum nota.

Octauò. Præparatio ad eius occurſum. *Exierunt obuiam Sponſo & Sponſæ,* id eſt, Chriſto & eius Matri. quod fit tempeſtiuè oleum procurando, ornando lampades cordis, in ijs ignem fouendo, vigilando.

Nono

Nonò. Exaltare illam *super Choros Angelorum*, & super omnes Cælites, ac super omnia, infra Christum. *Esse illi subditum* ex imitatione Christi: imitari S. Ioannem Evangelistã tum in affectu filiali erga illam, tum in eo: *Ex illa hora accepit eam Discipulus in sua*, sciuitqué, vt Matrem DEI ac suam colere

Decimò. Regiam domum tibi alijsqué ad habitandum in ea construe vel elige, iuxta illud: *Sicut lætantium omnium nostrûm habitatio est in te, Sanctâ DEI Genitrix.* B. Virgo Domus DEI aurea; lætare, quòd & tu *in* eandem *Domum Domini* ibis: Proteget te in abscondito tabernaculi sui. Ergo in visceribus eius maternis inhabita: hîc tuum reclinatorium, hîc Palatium sit & augustal: *Hîc habitabo, quoniam elegi eam.*

Vndecimò. Congratulari illi de tantis donis & excellentia. Nam dicit: *Congratulamini mihi omnes, quia cùm essem paruula, placui Altissimo.* Sic Carolus S. Brigittæ filius dicebat, placebatq́;: *Ita gaudeo, quòd B. Virgo sit DEO super omnes charissima, vt nulla sit creatura, quam ego in commutationem huius gaudij reciperem*; idcirco pro immensa eius gloria, sit DEO infinita gratiarum actio, & gloria æterna. Et Christus S. Mechtildi suasit: *Lauda & gratias age* pro omni dono & gratia, quod effluxit de abundantia bonitatis meæ in Virginem Matrem meam.

Duodecimò. Magnificare eum illa, & pro illa Dominum; exultare cum illa in DEO salutari: omnia sua bona DEO tribuere ceu fonti bonorum: *Fecit mihi magna, qui potens est* &c. Laudare illum pro alijs: Et misericordia eius &c. Pro alijs intercedere: Vinum non habent. Quærere sollicitè Christum. *Dolentes quærebamus te*: Inuenisti gratiam.

Gratiæ plenitudinem sectari, Dominum in se habere inhabitantem. &c.

§. LXXV.

Varia repræsentatio B. Virginis.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto? Cant. 3.

PRIMO sit tibi vt *speculum* tum *Diuinitatis*: nam Chrysologo teste, *quantus sit DEVS ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet*: tum tuijpsius, vt corrigas. hîc Magisteria 'probitatis, quid corrigere debeas, ostendunt.

Secundò. Sit tibi *vt schola virtutum*, vt eam vocat Abbas Persenius. disces earum sublimitatem, & admiraberis; item augmentum earum, meritorumque continuum admirabile: miraberis operantem iuxta latitudinem habitûs, & suprà: crescentem proportione Geometricâ in singulas horas pænè & momenta. Expende singulas virtutes, & Practicè edisce.

Tertio. Repræsenta illam vt *Palatium Verbi*: quale intus & extra, quàm dignum Verbo; *absq; eo, quod intrinsecus latet*, & tale Palatium esse opta.

Quartò. Effinge illam iuxta varios titulos, qui dantur illi ex scriptura & Doctoribus; vt *Auroræ*, Lunæ, Solis. vide libellum P. Pauli Barry, cui titulus, Magnificentia DEI erga Matrem suam, vbi tituli sunt MARIANI in singulos dies anni ex SS. Patribus. Item *Quasi Cedrus*, Quasi oliua speciosa, Quasi Platanus, sicut myrrha &c. Vt Mater viuentium; vt aquila prouocans pullos ad volandum, vt reorum Asylum, vt Thronus Diuinitatis, vt Gemma non 60. elegantiarum, sed innumerabi-

lium, vt Aurifodina, vt Pelagus Gratiarum, vt Idea Sanctitatis omnigenæ. &c. *Nota verò* in his repræsentationibus MARIANIS, te debere indulgere vario affectui congruo rei repræsentanti & repræsentatæ Virgini Matri: vt est gaudij affectus, congratulationis, amoris, admirationis, glorificationis, exaltationis, postulationis, imitationis, &c.

§. LXXVI.

Varia exercitia cultûs MARIANI.

Circumamicta varietatibus. Psal. 44.

PRænota illud Hieronymi: *Nulli dubium, quin totum ad gloriam laudis DEI pertineat, quidquid dignè Genitrici suæ impensum fuerit.* Ideo rectè quidam sensêre, *quòd in DEI amore cultus DEI Paræ lateat, & prout quisque sanctissimus est, ita sit in B. Virginem religiosissimus.* Item Pelbartus ait speciali ornatu & gloria discerni in cælo cultores MARIANOS: & in P. Vincentium Carrafam Christus è quinque vulneribus gemmeos riuos visus est fundere, dicens, quòd illum hac de causa specialius amet, quòd esset addictus suæ Sanctissimæ Virgini Matri. Iam cultûs Mariani aliqua profero exercitia.

1. *Statue* omnia facere ex motiuo hyperduliæ & amoris MARIANI, idque ex voto. Nempe, vt S. Thomas loquitur, *amor est causa omnium, quæ amans agit,* & ex hoc amore agit, quod agit, dicitq;: Amore amoris tui id facio.

2. Obsequia, cultum & amorem B. Virgini à quibusuis eius Cultoribus exhibitum & exhibendum assume, & tibi appropria, & collecta in vnum hæc obsequia quoad omnes eorum gradus, species & nume-

numerum sæpe in quocunque actu exhibe, & cuili-bet particulari actioni per intentionem, & affecti-uè include. Dicebat S. Mechtildis: *Vtinam omnium Creaturarum corda in potestate haberem, vt ex affectu & viribus omnium te, dulcissima Mater, salutarem.*

3. Obsequia & amorem Christi erga illam, & totius Trinitatis abæternam eius electionem & præ-destinationem ad tantam gratiam gloriamque sæ-pius eidem repræsenta, gratulare, & offer, tuum-qué in obsequio MARIANO defectum per id supple.

4. Quæcunque agis & offers in honorem DEI & Sanctorum, nunquam à cultu debito in ijs B. Vir-ginem seiunge. *Qualib. actio, sit laus & cultus* eti-am Diuinæ Parentis illâ dignus, illiq; proportio-natus.

5. Frequentem compensationem institue inter-nam & externam omissi vel imminuti cultûs illius à te & ab alijs, etiam hæreticis, & paganis.

6. Horaria ad illam oratio, & nulla alia deuo-tio sine illius memoria à te fiat.

7. Postulatio Matutina (& aliàs) benedictio-nis ab illa in omnibus agendis. Item vespertina omnium operum oblatio per diem illum exercito-rum; idque in vnione meritorum illius, per manus eiusdem (vt fecit Francilcus Godòius) instituenda.

8. Recursus ad illam in omni negotio & neces-sitate, cùm illa etiam sit veluti Sol, qui oritur su-per bonos & malos. Vnde si alicuius Sancti suffragio vtaris, illud ad eam dirigi pro te à Sancto velis.

9. Lauda illam (vt monet S. Bonauentura) *per modum benedictionis per modum attributionis illi omni-um perfectionum per modum inuitationis aliarum cre-aturarum ad eius laudes: per modum inuocationis: per*

modum

modum directionis omnium ad eius laudem, & hyperduliam.

10. Sub MARIANO pallio quiesce, sub illud refuge, sub quo visa est fouere Societatem nostram.

11. Oblatio tui cordis & alienorum frequens fiat, in vnione eorum affectuum, qui fuerunt in Sanctis oppositi defectibus cordis tui, cum postulatione doni tuis defectibus oppositi, vt suadet P. Carrafa.

12. Cogita illam vt *Mare Gratiarum*, de cuius plenitudine haurire & accipere tibi liceat, quantum velis. Bonauentura enim ait de illa: *De plenitudine eius accepimus.*

13. Festa eius specialius colere, per adinuentiones sanctas & solennitati congruas: tum præuentione illorum præparatoriâ aliquot antè diebus, tum cuiuslibet festi MARIANI celebratione interna cum Octaua: tum augmento mortificationum & deuotionum in festo, cum accommodatione mysterij Festi interna ad aliquas Missæ cerimonias: tum cum dispositione vitæ & affectuũ MARIAnorum accommodâ Sacrificio Missæ, quod fit de B. MARIA.

14. *Merita eius pro tua inopia offerre*, vt fecit P. Franciscus Piccolomini dicens in morte: Da, vt offeram merita tua DEO, cùm caream meis; ne vacuus ante DEVM appaream. *De illa frequenter loqui*. *Ut nonnulli* fecerunt tum alias, tum Sabbato aliquod de ea exemplum elocuti, & Concionatores in eius laudes effusi, memores tamen S. Damasceni dicentis: ut de te digna loquar, adaperi os meum. *Vespери & mane poscere ab ea benedictionem*, vt fecit Eduardus Trogmortonus. *Consilium ab illa requirere*, vt fecit B. Aloysius coram imagine B. Virginis, quæ Madriti exstat dicta S. MARIA Boni consilij, quæ illi consuluit ingressum Societatis. *Eius ope nil mediocri-*

diocriter agere, ſed ad ſumma excelſæ virtutis eniti, vt faciebat P. Dominicus Valeſius. *Clientelæ ſuæ pretium & velut cenſum capitis dare quotidie* Reginæ Cælesti, Dominæ tuæ, ac velut homagium, vt faciebat P. Ioannes de Valle, qui etiam ſchedulam ſuæ ſeruitutis & mancipationis B. Virgini inter reliquias ferebat. *Mendicare frequenter in cælo ab eadem*, quæ velut Materfamilias in domo D E I, miſericordiæ claues gerit, vt docebat Euſebius Nierembergius. *Colere illam ſpecialiùs vt Reginam Cælitum*, eorum affectu, vt P. Philippus Alegambe, die Dominicâ eam colens vt Reginam Angelorum: Feriâ 2dâ. vt Reginam Patriarcharum: Feriâ 3tia. vt Reginam Prophetarum, &c. *Illud etiam monitum* S. Bonauenturæ exequere metro comprehenſum.

Virginis intactæ dum veneris ante figuram,
Prætereundo caue, ne taceatur Aue.
Inuenies veniam, vel ſic venerando M A R I A M.

15. Placet alia documenta cultûs M A R I A N I è noſtris proferre. P. Didacus Martinez optabat eſſe *Martyr honoris M A R I A N I.* P. Realinus ſingulas horas diei ac noctis dedicauit B. Virgini. Alphonſus Rodriquez quotidie ſingulas horas Immaculatæ Conceptioni dedicabat ad euitanda peccata: eius diei cogitationes, facta, totum ſe & quidquid eſſet ſerui & mancipij, illi offerens.

P. Iuſtinellus *ſuadet ſingulis menſibus* aliquod vitare vitium in honorem B. Virginis: *ante opera*, Domina in adiutorium meum intende: *in afflictione*, ad ſummos eius quinque dolores quinquies dicere Aue. idem *conſecrationem cordis* illi faciendam ſuadet cum omnibus potentijs, præmiſſis antea mortificationibus & Sacramentis.

Ioannes Berchmans dicebat: *Extirpanda ſuperbia, ſi Ancillam Domini cupio habere Matrem. Actuabo me in*

actibus

actibus amoris MARIANI, etiam per totum Rosarium eos repetendo. Eiusdem intentio ante opera: *Hoc opus faciam, vt tibi DEVS meus, placeam, & B. Virginem lætificem.* Si quid impetrare vellet, *supplicem chartam* ad pedes B. Virginis ponebat, in qua suam necessitatem proponebat cum aliquo dono, v. g. cum tribus afflictationibus corporis, vel rosarijs. *In Communione cogitabat* B. Virginem cum Angelis & Patronis in cor illius Christum deferentem & sepelientem. *Dicebat insuper,* tempore periculi de asylo prouidendum, vt est, Pallium B. V. & Vulnera Christi.

P. Martinez *colebat quotidie B. V.* 300. vel 400. actibus glorificationis, *adorationis,* gratitudinis, pro datis illi à DEO beneficijs, ad id Angelos inuitans. *Aiebat:* si solus omnes omnium vitas haberem, omnes B. Virginis obsequijs addicerem. Vtinam vita mea omnium Cœlitum virtutes & momenta complecteretur, cuperem omnia perfectissimo & insatiabili B. Matris amori impendere. Fac & tu simile proposito P. Thomæ Sanchez:—*Omnis* cura & sollicitudo mea erit SS. Sacramentum, IESVS Crucifixus, & MARIA Virgo, erga quam singulari studio afficiar, ad eam ceu ad Matrem in omnibus recurram: per eam gratias agam, veniam precabor: illius honori amoriquè certa virtutis exercitia offeram.

P. Stephanus Binettus excellentias B. Virginis collegit. Illam ex S. Bernardino: *Plus magnificat DEVM MARIA, quàm omnis Creatura* simul sumpta. *Ex S. Anselmo:* Eius suprema *puritas omnem Creaturæ puritatem transcendit* incomparabili sublimitate. *Ex S. Laurentio Iustiniano:* Quidquid est gloriæ, totum est in MARIA.

Ex S. Ildephonso: Ex qua omnes beatificantur

Ex S. Petro Damiani B. Virgo est Respublica omnium gratiarum. *Ex Andrea Cretensi:* Est scopus Sanctorum omnium. *Ex Gregorio Nicomediensi:* Omnium pulchritudinum summa pulchritudo. *Ex S. Bernardo:* Est orbis DEI. *Ex S. Brigittâ:* Cuius Conceptio fuit aurea mundi hora. *Denique* Quis vt DEVS? Quis vt Christus? Quis vt MARIA?

Obsequium vnum adhuc DEI Paræ placet, vt P. Bernardo Colnago visa est prodidisse dicens: *Laborandum nauiter ac indefessè pro salute animarum; affer, & adduc mihi animas: hoc enim obsequium mihi præ reliquis acceptissimum.*

§. LXXVI.

Homo-Angelus,

Seu Imitatio & Cultus Angelorum

Et erunt sicut Angeli DEI. Matt. 22.

1. NEmo Angelos potiore modo colit, quàm qui eos exprimere laborat; & agendo approbat laudatque, quod illi sunt & agunt. Quò enim quis dignior colit, eò cultus æstimabilior: qui autem Angelum in se exprimit, ad Angelicam quodammodo pertingit dignitatem, vt proinde ceu Angelus Angelos colat, non vt purus homo. Posse autem Angelos à nobis exprimi patet; quia possumus, & iubemur exprimere etiam Dominum Angelorum. Ergo iam *per subsequentia Angelum exprime.*

2. *Humilia & subijce te Verbo Incarnato.* Noluit id malus Angelus, fecerunt boni, cùm illis dictum: *Adorent eum omnes Angeli eius.* Non est boni Angeli

indi-

iudicium, vbi eſt ſuperbia, & cultus abeſt amorquè DEI Hominis. Meritò profundè colitur tanta DEI in carne humiliatio & exinanitio.

2. *Vertigo capitis Luciferiana eſt cauenda.* Stare coram DEO, & DEO aſſiſtere Angelicum eſt: Lucifer ſtare noluit, ſed ſedere: *Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis; ſuper aſtra DEI exaltabo ſolium meum.* Hinc ei dicitur: *Quomodo cecidiſti?* cadit, qui ſtare non vult. At *omnes Angeli ſtabant in circuitu throni: millia millium aſſiſtebant ei.* Nempe ſtare firmiter ac in bono perſiſtere, Angelicum eſt.

3. *Angelico more* Zeloque *contra malos Angelos decerta.* Dic, *Quis ſit DEVS? Domine, quis ſimilis tibi?* Non te in partem aduerſam trahi permitte ſuggeſtionibus malis, quibus draco ille traxit tertiam partem ſtellarum: DEO adhære, vt ille noluit. Appretia & æſtima DEVM & exalta ſuper omnia: nihil apud te ſit vt DEVS, omnia infra DEVM.

4. *Imple ruinas Angelicas* in cœlo, te ipſo, & alijs, quos ad DEVM duces dirigeſquè. Nam prout quis in via DEI gratiæquè proficit, ac perficit alios, ita has implet ruinas. Tu inſuper amorem, laudem, cultumquè, quem ab Angelis malis & animabus damnatis DEVS habuiſſet, compenſa: ſic etiam ruinas eorum adimplebis.

5. Etiam cum ad Angelorum ſimilitudinem aſpiras, *te longè infra Angelos repone.* Minuiſti eum *paulò minùs ab Angelis.* S. Franciſcus Borgia ſe infra Luciferum reponebat ratione Naturæ: quomodo idem ſe non ſubmiſit bonis Angelis ratione gratiæ & gloriæ? Quò quis deterior, tantò minor eſt Angelis.

6. *Vnus Angelus eſſe coneris, & omnes.* Vnus, nam glorioſum eſt vel vnius laudem adæquare: *Omnes* tamen Choros eorumq; eximia decora exprime.

Seraphinum probet ignita charitas, Cherubinum sapientia Sanctorum: Virtutes, quæ mira operantur, exprimant miracula virtutum: Thronos pax, quæ solium DEO præparat; nam factus est in pace locus eius. &c. &c.

7. Angelis adhuc quoad sequentia conformare. 1. *Semper vident faciem Patris*: tu in omnibus respice DEVM. 2. *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & ministros tuos flammam ignis*: esto spiritus, & non caro; igneus DEI seruus per feruorem spiritus. 3. *Angeli potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius*: & tu obedi DEO. 4. *Vbi eras, cùm me laudarent astra matutina?* laus DEI, munus Angeli. Angeli sunt astra matutina, quia semper illis vt manè, vt primò, semper primitialis affectus & constantia, nec consenescens virtus; quàm primùm esse, cæperunt etiam DEO viuere. 5. *Angeli illuminant inferiores Angelos*, illuminantur à superioribus: & tu illuminare, & illumina. 6. *Angeli missi sunt in ministerium eorum, qui hæreditatem capiunt salutis*: & tu animabus ministra, earumque saluti. 7. Denique esto *conseruus Angelorum*, vt S. Ioannes vocatur ab Angelo.

8. Angelo Custodi insuper præsta, quod Tobias: item quod Bernardus suadet, *reuerentiam pro præsentia, deuotionem pro beneuolentia, fiduciam pro custodia*: in quouis angulo reuerentiam ei exhibe: in tribulatione inclama, *Domine, salua nos, perimus*. Eidem exhibe, quod DEVS iubet; nempe *obserua & audi vocem eius*, nec contemnendum putes; est enim nomen DEI in illo.

2 Omnium Angelos venerare, quos præteris: *Debitus Aligeris exhibeatur honos*. 4. Angeli ministrant hîc, & simul assistunt DEO: & tu inter negotia, oculum animumq; ad DEVM reflecte. Vide sub

& sub titulo, *Zelus animarum*, in quo te similem Angelis esse velit S. IGNATIVS. 5. Cum Sancto Sanctus eris, *Angelus cum Angelo*; viue Angelicè, vt infra doceberis, vt sit firmior inter pares amicitia. 6. Alapam inflixit Angelus S. Franciscæ viduæ pro leui defectu: nec tu eum irrita malè actis; *non dimittet, cùm peccaueris*. 7. Ministra alijs, vt ille tibi. 8. Septem Angelos, qui assistunt ante thronum DEI, specialiter cole, vt Michaëlem, Gabrielem, &c.

§. LXXVII.

Honor Sanctorum.

Nimis honorati sunt amici tui, DEVS. Psal. 138.

1. IVuat considerare dupliciter Sanctos: nempe in terris, in cœlis. *quales hic fuerint, quales sint ibi*: quanta merita, quanta singulorum gloria, vt ad vtrumque contendas.

2. *Mendicatio cœlestis* apud singulos Sanctos fiat quoad virtutes, gratias, suffragia.

3. *Offer per illos sæpius supplices libellos*, vt per amicos Regis Regum; & illis viciſſim obsequia cultumqué multiplica: *demereare illos* tum actu simili, quem illi in Sanctos exercuêre; tum aliter.

4. *Fiat compensatio cultûs* illis negati, vel imminuti à te alijsqué per ignorantiam ac errorem, vt faciunt hæretici, qui eos non colunt, nec inuocant. *Fiet autem compensatio* tum per exercitia neglecta, tum per auctiora neglectis, tum in tuo actu neglecta ab alijs, quæ debebant, vel fieri poterant in cultum illorum, includendo.

5. Compensare DEO, quæ Sancti in eius honorem egissent si vixissent diutius, vel quæ adhuc inten-

tensiùs agere aliqui potuissent, vel in quibus meritis impediti sunt ab ijs, qui abstulerunt labores eorum, ea supplere.

6. *Indue Personas Sanctorum*, & eorum affectu dilige, lauda, cole benedic DEVM, ac si non tu esses idque ageres, sed illi prout fuerunt in DEVM in terris effusi, vel fuissent, si illuminati fuissent vt nunc sunt.

7. *Christus dicitur Corona Sanctorum Omnium*, & *Sancti, Corona Christi*. ergo coronabis Christum hoc diademate, & illos vicissim: *Gaudium & Corona mea.*

8. *Transformari iterum* aliter in Sanctos, & imitari quoad actus virtutum non pigeat, quod celebrare delectat. vide quid in singulis singulare, quod imiteris.

9. *Confundaris per collationem tuorum* actuum, & Sanctorum: item *offer Christo* eorum merita pro tua egestate & oppositis demeritis.

10 Affectibus item varijs indulge ad Christum pro illis, & ad illos: vt Laudis, Gratitudinis, Gratulationis, duliæ &c. postulationum variarum. colere & exaltare illos, vt in cœlis gloriâ & honore coronatos & exaltatos: & gaudere de illorum gloria in cælis & in terris: optare illis nouam gloriam accidentalem in cœlo & maiorem cultum eorum in terra promouere: denique quod illis exhibetur ab aliis ac exhiberi sanctè potest, ad id anhelare; omnia ex cultu duliæ illis debito agere: & qui non *nimis honoras eos*, honorare satage, quantum potes.



FAX

FAX
AD VIAM VNITIVAM.

Pleraque ex dictis ad eam conferent; sed insuper propria huic Viæ adijcio.

§. I.

Pascha Continuum, Seu Vena Gaudij indeficiens.

Gaudete in Domino semper. Philip. 4.

1. ANima sine delectatione esse non potest; *aut enim delectatur infimis, aut summis* Sed *hoc est fundamentum, quo peruenitur ad summum, scire, quo gaudeas.* cùm enim iuxta Philosophum *talis sit voluptas, qualis eius causa*; si causa gaudij est apparens & deficiens; & ipsum gaudium tale erit.

2. Christi votum est, vt *gaudium vestrum sit plenum*: Terrena bona sunt extra rationem veri pleniqué gaudij; tum quia iuxta D. Thomam *gaudium plenum* ac fruitio *delectat vt vltimum*: reddit enim cor quietum, & implet omne desiderium satiatqué b.
proinde *habet in se Non plus vltra boni*, nec habet supra se alterum; hæc autem descriptio terrenis solatijs non conuenit: Tum quia plenum gaudium esse nequit, cum quo stat simul vacuitas cordis; in terrenis verò solatijs iuxta Salomonem est *afflictio spiritus*; at vbi afflictio in corde, est vacuitas à gau-

dio;

dio: Tum quia plenum non est gaudium, quod est auferibile, ideoq; de gaudio, quod nobis vult Christus dicens: Vt gaudium vestrum sit plenum; addidit: *Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis* (non auferetur ab ea) quippe ipsa notitia auferibilis gaudij posset gaudentem affligere, proinde plenitudinem gaudij non relinqueret: Tum denique, quia gaudij plenitudo esse nequit, si res amata non sit sufficiens nec proportionata animæ rationali ac immortali, vt sunt res sensibiles ac deficientes. Alibi ergo quære venam veri pleniqué gaudij.

5. *Gaudete in Domino semper.* Verum & perpetuum gaudium ab omnibus optatur; sed non inuenitur, nisi in solo DEO, qui solus perfectè satiare potest appetitum, & *in quo* quoad durationem *semper est plus vltra* boni delectabilis; & simul *quoad* soliditatem & *causam gaudij est in eo Non plus vltra boni.* Quis sic delectat, *vt is, qui fecit omnia, quæ delectant?* Ipsa beata vita est, *gaudere de te, & propter te,* ô Bonum indeficiens ac perfectum; ipsa est, & non est altera, dicebat Augustinus. *Sunt tamen* qui gaudent de DEI donis, neglecto DEO: velut ignari, quòd *qui fecit hæc bona & pulchra, sit melior pulchriorq;:* Sunt item, qui vtrumq; velint connectere, ac si de DEO quis gaudere simul possit, & de seculo; cùm tamen delicata sit cœlestis consolatio, nec detur admittentibus alienam. (*& alienus non bibet ex ea*) Et quid est necesse, vt quæras guttam, cùm habeas vndam? maximè cùm alia gaudia extra & præter DEVM sint, vel crudelia, vt olim Romæ in theatris & spectaculis gladiatorum; vel homine indigna, & cum pecude communia, vel mutila & instabilia, vbi nempe extrema gaudij, luctus: at in DEO gaudium summè amabile, summè honestum, summè solidum, stabile ac

perfectum: insuper *quoties gaudemus de DEO, toties Diabolum flagellamus*, ait Tertullianus; adeòq; duplex est tunc gaudium, nempe de DEO recreato, & de Dæmone cæso ac horrendè excruciato, quem plurimùm contristat gaudium animæ de DEO.

4. In cœlis sine cessatione Alleluia & Pascha perpetuum; *sempiterna lætitia super capita Beatorum*. In terris cœlestem vitam auspicare, vt semper gaudeas. Ego multiplicem veri gaudij venam & scatebram tibi aperio, ex qua deriuare licebit perpetuum lætitiæ aquæductum.

Prima vena gaudij veri est Conscientiæ tranquillitas. Nam ille *habet veram lætitiam* iuxta Albertum magnum, *qui sinceram habet Conscientiam*: immo verius homo gaudet de bona conscientia inter molestias, quàm de mala inter delicias. *Pascha* est maximum Festum in Ecclesia, & appellatur in Martyrologio *Solennitas Solennitatum*; atqui Chrysostomus *maximum Festum* esse dixit, *bonam Conscientiam*. Vt ergo festum id continuum sit, perpetuò conscientiæ bene consulendum, & illius curanda tranquillitas. Si enim è Diogenis placito, *sapienti nullus non festus est dies*: quis sapientior, quàm qui scit curatq; conscientiæ pacem?

Secunda iugis gaudij vena est, conformitas cum Voluntate Diuina. quis enim talem euentus contristet, cùm illi semper contingat, quod vult? nihil enim vult, nisi quod DEVS: omnia autem, quæ illi contingunt, vult DEVS, præter peccatum. Vide quæ infrà de desponsatione voluntatis nostræ voluntati Diuinæ §. XI. dicentur.

Tertia vena est auulsio affectûs à terrenis. Sic enim, si tollantur, non turbabunt lætitiam amittenitis, seu iacturam eorum passi, nec conticescet *sonitus cythara*; aliàs *non sine dolore amittitur, quod cum*

amore

amore possidetur. Seruient huc dicta in fine primæ Facis sub titulo: *Nausea terrenorum:* huc item spectat nulla existimationis humanæ & plausuum ac eminentiæ reputatio, & frequenti meditatione ac Christi contempti illusiq; exemplo, impressa animo vanitatum huiusmodi vilipensio, amor contemptûs, & odium sûi, de quibus actum supra.

Quarta gaudij Vena Per Parasceuen ad Pascha peruenitur; quod insinuat illud: *Communicantes Christi passionibus gaudete: omne gaudium existimate,* cum in varias tentationes incideritis & afflictiones. Mira felicitas (ait Origenes) dies *festus vocatur afflictio animæ.* Quò vt peruenias, iuuabit tum petere, vt materia patiendi cum auxilio ad perferendum tibi accrescat (amplius Domine) tum *gratias agere,* quoties tibi molestum aliquid contigerit, & DEVM benedicere cum Iobo; *Sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum:* tum cogitare de gaudio, quod DEVS & Cælites habent, dum generosè hæc pateris, & Heroëm te exhibes; vnde puta stare Christum huic spectaculo intentum, sicut Stephani lapidationi: tum protestari, quòd aliud nolis, etsi optio tibi daretur à DEO, vt possis, si velis esse liber ab hac afflictione, & materia patiendi: tum Christi aliorumq; exempla recogitare, & exemplum sumere tolerandi.

Quintam gaudij Venam tibi aperit seu indicat Sanctus noster IGNATIVS, qui Francisco Costero dixit: *Eris semper lætus, si humilis & Obediens fueris.* Consonat dictum S. Francisci, qui Fratri Leoni dicebat: *Non in gratijs gratis datis, non in cognitione scientiarum, nec in conuersione animarum, sed in tribulationibus est perfecta lætitia; nam illa DEI omnia dona sunt; pati autem libenter est res nostra cum gratia DEI.* Sic ille Sanctus dicebat.

§. II.

§. II.

Triumphus Christi Resurgentis, in anima adumbratus.

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, sapite Colos. 3.

1. RESurgendum moraliter, antequam resurgatur corporaliter. Imò. *esto gloriosus in anima, antequam & in corpore.* Christus, canente Ecclesiâ, *secum nos à mortuis iubet sepultos surgere*: Surgendum ergo nunc, sed vt Christus gloriosè cum triumpho. Resurgentis cum Christo indicium Paulus declarat: *Quæ sursum sunt, sapere, non quæ super terram: quæ sursum sunt quærere, vbi Christus est.* Resurgens ergo cum Christo, sapit cœlestia, quærit Christum immemor terrenorum. Adhuc es in sepulchro, & pænè cadauer, si geminum hoc signum vitæ non prætefers. Sic ergo resurge. Quoad triumphum resurgentis triplicem;

2. *Spolia Christi de inferno æmulare*, te, & plures alios inferis eripiendo: & hic est triumphus de inferno. Alter Christi *triumphus de morte* (*mors* enim illi *vltra non dominabitur*) exprimetur per proscriptum ab animo timorem mortis, & opera vitæ continua, de quo dictum in prima Face. item si *peccatum* (quod est mors animæ, vel ad illam dispositio) *non regnet* iam *in nostro mortali corpore.* Triumphat & *de hostibus* Christus, quos superauit eius mansuetudo & prodigiosa patientia. Et sic tu triumpha.

3. Ad triumphum Christus *amictus* est *lumine sicut vestimenta*: indidit corpori beatas dotes & incorruptio-

ruptionem. Hæc verò quomodo in animum victor transferre queas, modum indicaui in Face Prima. §. 45.

4. *Non est hic, surrexit.* Nihil resurgentem retinet, nec sepulchrum, nec infernus. Sic victorem sui & aliorum, infima non detinent. *Item* alium iam, & alibi esse oportet, quàm antea fuerit, qui vult cum Christo triumphante resurgere. *Non est hic,* vbi ante: *non est hic,* qui ante. *Hæc mutatio dexteræ Excelsi!* Sic Augustino obijciebant se priores (vt fatetur *lib. 8. Confess.*) *Nugæ nugarum,* & dicebant: *Illæ nos sumus* tuæ veteres amicæ, Augustine; quibus Augustinus: *At ego non sum ille.* Non est hic.

5. *Insuper* Christus triumphum nec ad tres integros dies distulit. *Eia citò triumpha,* nec differ laureas; nam plurimum in celeritate situm est momenti. In bonis & occasione triumphandi, *quod facis, fac citò,* iuxta verbum Christi; vel imitare B. Virginem, quæ *abÿt cum festinatione in montana.* Prompta & excellens virtus subuehit ad Capitolium Cœleste, in quo triumphum instruas.

6. Tria adhuc de Christo resurgente conferent ad immortalem triumphum. *Primò* dicitur de illo: *Surrexit* Dominus *verè.* *Secundò* quòd *mortuus peccato,* mortuus sit semel; *quòd autem viuit, viuit DEO.* *Tertiò lapis reuolutus ab ostio monumenti* patefecit eius resurrectionem. Et tu non *triumpha* phantasticè vel imaginariè, sed *verè*; non ad speciem vel oculum resurge. Item *viuere DEO, & mori peccato,* hic est nobilissimus triumphus; hæc vita verè triumphalis. *Deniq;* impedimenta resurgendi strenuè amolire; esto Angelus reuoluens lapidem ab ostio monumenti.

7. Triumphum resurgentis secutus est mox triumphus ascendentis. Victoria vna & triumphus, sit gra-

sit gradus alterius: non satis est semel vincere, sæpius triumpha. Facilè triumphus in Cœlo conceditur illi, qui in terra vel semel triumphauit de terra, & se ipso; quantò faciliùs, si sæpius triumphet Huc ergo conducet victoria multiplex & diuturna, aut continua suî & aduersorum.

§. III. Malacia Mentis.

SEV

Imperturbabilis pænè tranquillitas animi inter negotia quæuis & aduersa.

Pax vobis. *Ioan.* 20.

Si cognouisses quæ ad pacem tibi. Luc. 19.
Rogat ea, quæ pacis sunt. Luc. 14.

1. NOn ago hîc *de pace cum proximo*; quamuis & hæc possit huc reuocari, vt etiam *pax cum DEO*: sed ago de pace animæ & malacia cordis, de statu tranquillæ mentis ac omnis perturbationis experte, vt loquitur Chrysostomus. Non est optatius quid in terris, quàm sic DEO seruire in summa animi pace. Vita hæc beato statui simillima, & DEVM æmulatur, qui dicit: *Non mutor.* Nam & talis immutabilis est, quidquid ei acciderit. Hæc est illa pax, quæ exsuperat omnem sensum; hæc postulanda à Principe pacis, à DEO pacis & totius consolationis Spiritu Sancto, inter cuius fructus est gaudium & pax: deniq; Paulo attestante, *Regnum DEI est pax & gaudium in Spiritu Sancto.*

2. Ideam talis imperturbabilis statûs imprimis tibi

tibi proponam. *Primò* in statu Beatorum illam accipe, vbi pax perpetua & abundantia pacis, vbi DEO soli intenti, & contenti, nihil in se vel inter se perturbationis habent. De hoc statu Ven. Beda: *Quid illâ vitâ beatius*, vbi non est paupertatis metus, nemo læditur, irascitur nemo, nemo inuidet, cupiditas nulla exardescit, nullum ibi desiderium honoris pulsat, vel potestatis ambitio, nulla desideria terrena; sed omnia consona, tranquilla sunt omnia & quieta. En descriptio statûs pacati, & media illius consequendi!

Secundò ideam accipe huius statûs in primis Parentibus nostris, & statu innocentiæ, vbi summa pax interioris hominis oriebatur ex subordinatione rationis DEO, voluntatis rationi. Nam omnis inordinatio, turbatio est, & *inordinatus animus sibi ipsi est pæna*, teste Augustino.

Tertiò in Thronis status hic apparet, qui constituunt Chorum Angelicum: hi in pace altissima degunt, DEO in illis inhabitante & occupante illos velut solium; nam *in pace factus est locus eius*.

Quartò exemplum licet sumere ex Olympo monte, qui nubes excedit iuxta Pöëtam, in quo & literæ inscriptæ non delentur, eò quòd ibi nullæ procellæ, nullus Typhon vel Præster, nulli turbines, sed sibi constans äëris tranquillitas: tantùm ima impetit fulmen, terretq; tonitru; ibi in supernis pacata omnia.

Quintò exemplum sume ex malacia seu tranquillitate maris, & ex composita tempestate äëris iam tranquilli, sudi sereniq;. *Habes ideas*; æmulare statum hunc tranquillum. at quomodo? aude & disce mentem sic componere ad statum omnis perturbationis immunem per hæc dogmata, quæ sequuntur.

I. *PAR*

I. *Pax est*, vbi nulla inordinatio, prout proximè dictum. *Pax est*, vbi Passionum dominium, de quo egi §. XXXVIII. Face 2. potissimùm autem amor, & desiderium, ac ira inquietum reddunt, & tristitia perturbat. Nihil immodicè desiderare, ratione id compescere, nullo rerum statu permittere sese deijci, nec prosperis insolescere, huius Pacis interest.

II. *Turbaris erga plurima*, dicitur Marthæ; sed *vnum est necessarium*. Distractio cordis per plura, turbationis origo. *ad vnum referri omnia, pacis interest*, clamat Tacitus, & veritas. & hoc vnum, DEVS est: hunc in omnibus quærere, DEI voluntati suam conformare, vt non sint duæ voluntates, sed vna: non effundi in multa, vel non propter vnum, nempe DEVM; non implicare se alijs inutiliter, multò magis ad se non pertinentibus, huius Pacis conditiones sunt.

III. Pax, vbi humilitas cordis est & mansuetudo, ex Christi sententia: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Si quæ est perturbatio, hanc certè nimiùm quàm sentit elati cordis homo: inde & inuidiâ consumitur, seu liuore tabescit, ambitione distrahitur, præsumptione cadit.

IV. Heterogeneorum vnio turbat. Sic inijce oleo feruenti guttam aquæ, quantum obstrepet! DEVS postulat esse solus in corde humano, & meretur; ac beata est anima, quæ illum possidet: Si ergo alia se illuc ingerat creatura, pax turbabitur. Item aliena vitæ ratio à tuo statu, alienus ab eodem Spiritus perturbat: quia heterogeneus.

V. *Non est pax impijs*, dicit Dominus. impij *quasi mare feruens*. ergo *nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ*, beatum est, & laudatam malaciam cordi afferre.

Ab

Ab Angelis canebatur *Pax hominibus bonæ voluntatis*; non est pax, vbi mala voluntas; quæ nimirum vel mala vult, vel bona malè, aut inordinatè, vel aliud aliterq; quàm velit DEVS.

VI. Odium suijpsius, de quo in Face Prima §. 16. faciet, ne contristet, quidquid graue contigerit, seu confusio, seu persecutio. neq; enim ægrè afficiunt animum superuenientia mala, vel subtracta bona illi, in quem hostili quis odio exardescit.

VII. Pacem regnis arma & pacta conferunt. & nos, quod Paulus monet, induimur arma lucis, contra bella & hostem pacis internæ sed. *Pacta* etiam intercedant paci huic conciliandæ non incongrua: *nempe pactum cum virtute, fædus* contra propriam voluntatem (de quo §. 15. Face Prima) *pacta cum DEO*, de quo hîc §. XVII. *pacta cum cælo*, de quo face 1ma. §. 44. ineamus. His ergo modis ad pacem animi parandam insiste, alijsq; similibus.

§. IV.

Cœlestis Inauguratio Regis Regū.

Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. Prou. 6.

Regnum tuum, Regnum omnium sæculorum. Ps. 144.

ECclesia Christi Ascensionem vocat *admirabilem*, & est, seu modum attendas, & inaugurationis cœlestis apparatum, seu gloriam Regni. Currus triumphalis, nubes lucida. nam illi dicitur: *Qui ponis nubem ascensum tuum, & ambulas super pennas ventorum.* Comitatus Angelicus, & captiuorum è limbo Procerum. Solium eius illud: *Thronus tuus,*

DEVS,

DEVS, in sæculum, &, *Sede à dextris meis*: Paludamentum Regium: *Amictus lumine, sicut vestimento*, in quo inscriptum habet: *Rex Regum, Dominus Dominantium*, DEVS Deorum: Triumphus eius in *iubilo, in voce tubæ*: sceptrum, *virga directionis, virga Regni tui*, Sceptrum Diuinitatis. Qui deinde ibi plausus? quæ Angelica adoratio, & salutatio Regis gloriæ? quæ assistentia, *vbi millia millium* &c. Sed *parum est illi*, id habere famulitium; paucos putat assistere, nisi & tu assistas, ac plures tecum aggreges. *Insuper* hinc disces, quomodo Christum in cor tuum inaugures ac introducas, dum sacra mysteria percipis: *sit* illa *communio similis inaugurationi Christi Cœlesti*, sit cor tuum vt *Cœlum Cœli*: dum ad te Christus descendit, non sit illi *descensus ad inferos* in te, sed ascensio in Cœlum.

2. *Ascendit super omnes Cœlos*. Et tu illuc contende, ibi Christum quære, vbi est in dextera DEI sedens: Non satis sit in cœlum euehi, super cœlum cœli; sublimiùs enitere, & omnes cœlos transcende, cœlum aëreum, deuictis aëris potestatibus: transcende Cœlum lunæ, calcatâ inconstantiâ, & sic de alijs planetarum cœlis, puta, Martis, Saturni &c. nec ibi quæratur IESVS, sed super omnes cœlos. Virtus in sublime erigenda; nam sublimis est thronus Christi, in quo promittitur consessus vincenti; sublimis ergo sit victoria, quæ illic collocatur.

3. De Christo ait Cytharædus Domini: *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi*. Et infra dicit: *Qui ascendit super Cœlum Cœli ad orientem*. Nimirum per occasum itur ad ortum gloriæ in altum subuehimur per ima, per descensum. Quid est, *quòd ascendit, nisi quia & descendit?* per tribulationes & viam humilitatis hæc altitudo conscenditur. Ergo *descende, vt ascendas*: occide seu occasum patere vt oriare.

 4. *Ca-*

4. *Captiuam duxit captiuitatem.* Beata captiuitas, quæ in Cœlum euadit; Sis & tu captiuus Christi, sis in eius vinculis, vinctus in Domino, vt cum illo migres, & Cœlestem pompam illi ante currum triumphalem instruas. Sed qui Cœlum conscendere satagis, non solus ascende; duc illuc tecum plurimos, quos DEO captiuâsti, & ad Cœlum promoue: habe & tu captiuos tuos (iuxta illud Pauli: *Dolo vos cepi*) qui tibi etiam triumphum augeant.

5. *Sicut aquila prouocans pullos ad volandum*, & super eos volitans, Christus est Cælos penetrans. Et tu pullus Aquilæ esto: Aquilam hanc & Solem iustitiæ intuere, & ipse velut aquila ad volandum alios prouoca: quà grandis Aquila præit, hâc sequere. Interim dic illi: *Tu dux ad astra, & semita, sis meta nostris cordibus.* Sed si velut aquila in altum subuolas, non te teneant terrena. Pulchrè enim Gregorius: *Nihil nos delectet in infimis, qui Patrem habemus in Cælis.* Sit nostra *conuersatio in Cælis.* De qua Face Ima, §. 41.

6. *Vado parare vobis locum.* En occupatio Christi in Cœlo, vbi insuper interpellat pro nobis; & inde nobis mittit dona Spiritus, vt in coronatione sparguntur dona missilia: trahit insuper è cœlo corda nostra in cœlum, & illa subleuat ad se supernâ gratiâ: mittit inde & legationes ad nos cœlestes per instinctus & inspirationes sanctas, per Angelos: quare non sis ille, de quo dicitur: *Quis surdus, nisi ad quem nuntios meos misi?*

7. Cœlum mihi sedes; at anima iusti sedes est sapientiæ, & potior est DEO anima, qui de viuis & electis lapidibus æternum maiestati suæ præparat habitaculum: Quare Cœlum in animo effinge: sint lapides pretiosi omnes muri tui, & portæ singulæ ex singulis margaritis; sis vt iaspis, qui acuit visum

& ac-

& accendit gaudium animi: vt Saphyrus, qui est miri cœlestisq; coloris; vt topazius aurei coloris, vt carbunculus, qui sidus est in annulo: vt adamas infractus. Sit in te thronus ex Sole; nam in *Sole* posuit tabernaculum suum, non in Saturno frigido & torpenti; nam hilarem datorem diligit, & ascendit in iubilo. non ponit thronum in luna, quæ noctem & tenebras amat, inconstantiæ Symbolum: non in Marte iracundo, non in Mercurio aut Venere.

8. De quadam persona dicitur. *Ascensiones in corde suo disposuit.* Hæ sunt, quibus in Cœlum conscenditur. quæ autem? *Ibunt de virtute in virtutem*, videbitur DEVS in Sion. Gradatio Sanctorum in Cœlos est per ascensum virtutis, quæ velut Scala Iacob habet suos gradus altiores, & altiores. Per Scalam nemo sursum euadit, qui in vno gradu infimo hæret, nec it in alium aliumq;. I, & videbis DEVM in Sion; & *quò præcessit gloria capitis, eò sequetur & corporis* virtus.

§. V.

Viua Regia SSmæ. TRINITATIS.

Et mansionem apud eum faciemus. Ioan. 14.
In domo tua oportet me manere. Luc. 19.

1. POnam tabernaculum meum in medio vestri. Alicubi DEUS est vt hospes, alibi incola. Peccatum apud te sit hospes, non incola; sed DEVS apud te incola sit, non hospes tantùm. Hospes dicit: *Migremus hinc*; incola manet nobiscum in æternum. Vnde etsi aliàs bonum sit habere hunc Hospitem; dicit enim: *Hospes eram, & collegistis me*, *venite*

Venite benedicti; estq; dulcis hic hospes animæ; tamen felices, qui ei præbent incolatum, nec dicunt tantùm cum illis Discipulis: *Mane nobiscum*; sed cogunt: *Et coëgerunt eum.* Tu verò tantò libentiùs iugem residentiam illi in tuo corde concede, quòd nemo in Coelo inhabitet, nisi in quo inhabitat DEVS, *& Spiritus Sanctus erat in eo.* Porrò supernaturalis dilectio trahit DEVM ad diligentes eum, sine qua Coelum non patet.

2. Dauid votum vouit Domino: *Si dedero somnum oculis meis, donec inueniam locum Domino &c.* & per Salomonem ædificauit Domino domum celeberrimam & sumptuosissimam: de qua ipse Dominus: *Erunt oculi mei aperti, & cor meum ibi.* Effunde & tu sumptum in erigendam intra te Domum DEI viuentis; Sint tecta domûs cedrina, quæ cariem nesciant vitiorum; eme aurum ignitum, quo omnia inaures & exornes: sint ibi Cherubim, super quos sedeat Dominus, vbi intellige scientiam Sanctorum. Jmò parum est effingere in corde templum Salomonis; fabricam imitare, vt suprà innui. Item quia *factus est in pace locus eius*: stude paci conscientiæ, & cum proximis: Quia verò *lucem habitat inaccessibilem*; sit lux in animo, nec tenebræ in eo sint vllæ, vel *opera tenebrarum.* Adhæc adsint velati & accensi Seraphim, qui canant trisagion. at ille optime canit *Sanctus*, qui curat esse Sanctus. Deniq; quod in Coelis DEO exhibetur, exhibe in corde tabernaculum defigenti: adora & lauda cum Coelitibus, fruere illo cum ijsdem: sequere Agnum quòcunq; ierit: Alium ad hoc conclaue ne admiseris, ne pacem Domini turbet, illumq; exturbet; foris alia omnia. Sic illum occupa, vt illum apud te remanere non tædeat.

3. Breuiùs apparatum, quo illum excipias, describo

scribo. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Status gratiæ & augmentum illius sunt, digna *præparatio sedis eius*; & *qui manet in charitate, & DEVS in eo* manet. Ibidem humilitas sit reclinatorium; nam *super quem requiescet Spiritus eius, nisi super humilem?* deniq; *iustitia & iudicium præparatio sedis* eius. Vide dicta de omni iustitia Facis 2dæ. §. XIV.

4. In cœlis ita est beata TRINITAS, vt ibidem ametur & adoretur. Et tu in te manentem singulariter cole, & cultores tum Seraphinos aliosq; Cœlites adhibe, inter quos erit S. Augustinus auctor Præfationis (apud Engelgraue) de SS. TRINITATE: & Venerabilis Beda, qui in his verbis, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto* expirauit: & B. Ægidius S. Francisci Socius, qui ad nomen SS. TRINITATIS extasim patiebatur: & S. Magdalena de Pazzis eandem manè adorans, alijsq; eius notitiam postulans: & Ecclesia teneris affectibus eandem prosequitur; dum ait: *Spes nostra, Salus nostra, Honor noster, ô beata TRINITAS: gratias tibi DEVS, gratias tibi vera & vna Vnitas: Benedictus sit Pater, Vnigenitusq; DEI Filius, Sanctus quoq; spiritus,* quia fecit nobiscum misericordiam: *Tibi laus, tibi gratiarum actio, ô beata TRINITAS.* P. Franciscus Folianus cultor fuit SS. TRINITATIS eximius: triangulare illi cubiculum, tres asseres in lecto, tres tantùm cibi; in sacro ex concessione Papæ Præfationem de SS. TRINITATE dicebat in silentio: octiduo ad id Festum se parabat &c. Deniq; Bernardus ait: *O beatificans TRINITAS, ad te mea misera Trinitas* (tres potentiæ) *miserabiliter suspirat.* Porrò sit cultus SS. TRINITATIS vel per allusionem ad appropriatos titulos Personis Diuinis, vt Patri omnipotentiæ, Filio sapientiæ &c.

 vel

vel per alia, quæ illis propria sunt, quæq; de singulis sciuntur. v. g. de S. Spiritu dicitur: *Docebit vos omnem veritatem*; ergo gere te semper vt eius discipulum, & scholam Spiritus Sancti, vbi encyclopædiam virtutis docet, frequenta. De eodem Spiritu Sancto dicitur: *Pater pauperum*; ergo quotidie apud illum mendicabis dona Cœlestia &c. &c. *Item venerabere* SS. TRINITATEM loco omnium creaturarum & totius vniuersi cordibus replicatis per atomos eiusdem; pro omnibus & cum omnibus eam laudando, diligendo, adorando omni cogitabili modo: *item* mendicando ab eadem omnes tibi alijsq; miserationes: *item* eandem glorificando affectu omnium Cælestium, terrestrium, & infernorum: affectu iustorum Legis naturæ, scriptæ & Gratiæ: affectu triplicis Angelicæ Hierarchiæ. *Item* triplicia illi offerendo (iuxta illud, *Numero DEVS impare gaudet*) vt tres potentias animæ, bona animi corporis & fortunæ, trium Theologicarum virtutum actus, &c. *Item* aspirando ad visionem beatificam SS. TRINITATIS, ad amorem eius ac fructionem beatificam. &c. &c.

§. VI.

Memoria Immensitatis,

SEV

Præsentis vbiq; DEI.

Beatus homo, qui cogitat circumspectionem DEI. Eccles: 14.

Viuit Dominus, in cuius conspectu sto. 3. Reg. 17.

1. MEmor fui DEI, & delectatus sum, dicit de se Puer Domini; & tu sic memoriam exerce, vt

vt continuò recorderis illius. Iusta hæc mentis occupatio, vtilis & delectabilis. *Iusta*; quia etiam tuî DEVS perpetuò meminit: redde ergo memoriã pro memoria. Nec illa DEI de te est otiosa; quia in tui gratiam perpetuò in creaturis laborat, vt tibi seruiant: in sole tibi lucet, in igne calefacit, in aqua refrigerat, in terra sustentat. Sic nec tua de DEO præsente memoria sit otiosa, sed in eum toto affectu cordis effundere, cum eò confabulare, eum deprecare, eum glorifica, eo fruere, eum appretia, ab eo vt ab igne consumente accendere, postula varia tibi alij q; dona. *Vtilis* est eadem memoria de DEO: quia hinc robur ad vincendum, calcar ad strenuè agendum (*oculus Domini saginat equum*, & impinguat actionem) dat pacem in negotio, & occupationem in otio; vt ait Augustinus. *Delectabilis* est: quia Primum & summum Delectabile est DEVS: gaudeo, quoties recogito, quòd in me habeam omne bonum, quia innato in Oceano omnis boni, sum velut apis intra fauũ mellis. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus, teste scripturâ: at sicut lætantium omnium habitatio est in te, ô suauissime DEVS. Proinde iuxta Albertum Magnum memoria hæc *statum efficit Deiformem, vitæ æternæ præambulum, transfert in nunc æternitatis per introuersionem & sursum ductionem.* Ergo memor esto DEI.

2. Memoria hæc & mentalis ad illum respectus est quædam Visio beatifica in terris, seu oculus in DEVM apertus, quæ visio pro lumine gloriæ potest habere vel prælucentem actum fidei de immensitate Diuina; vel huius luminis vicem subeant creaturæ, in quibus spectetur ameturque DEVS, veluti in speculo, in ideato, in causato, in riuulis è Fonte illo vel Oceano, in radijs ab illo Sole pro-

deun-

deuntibus. Sic S. IGNATIVS Societatis nostræ auctor, teste Maffeo *in unius DEI recordatione* & quasi amplexu, *per summam delectationem quiescebat*, in creaturis illum contemplans tum per viam causalitatis & dependentiæ, tum modis infra dicendis.

3. Modus in præsentia DEI conuersandi sit ad instar videntis DEVM in cœlis. Suaserim actus amoris Diuini & contritionis præmittere, vt de statu gratiæ sit moralis certitudo ad Visionem prærequisitæ. (*præsentior est diligentibus, negligentibus abest*, ait Ambrosius) Sic enim etiam moraliter certus esse poteris de DEO in te inhabitante per gratiam, non tantùm per immensitatem, & eius tam suauiter tibi præsentis dulcius erit meminisse. S. Bernardus ait, quòd *anima tribus se modis exercere debeat coram DEO*; nempe *cogitatione sancta, affectione pura, intentione rectâ*; item, vt loquitur S. Bonauentura, *per motus ignitos & aspirationes flammigeras*, denique caue DEO præsente, quod vel homine intuente non auderes: omnia age dignè DEO spectante. DEVS dicitur Inspector Cordis (*Dominus enim intuetur cor*) quare cor ibi pulchram scenam agat, nil in eo sit, quod offendat, omnia recreent, tum cogitatio, tum affectio & intentio.

4. Multiplex ob oculos immẽsi DEI scena proponitur. Alia â nefarijs & peccatoribus, & â teipso delinquente. Horret hanc scenam Oculus DEI: submoue illam in te & alijs, & substitue gratiorem ac compensatiuam irreuerentiæ tantæ. Aliæ scenæ à iustis exhibitæ & exhibentur. Cogita singulas ex vitis Sanctorum, & illas exprime, illis spectatorem DEVM exhilara. Aliæ scenæ, quæ in cœlis exhibentur à Beatis. Ibi scenæ laudantium DEVM: ibi scenæ amantium eundem, ibi scenæ exultantium, adorantium, ibi scenæ Seraphicæ, ibi Beatorum agmina

agmina meritis distincta & coronis. Auge has scenas cœlestes, & tantis Actoribus te & plures insere.

5. Par insuper est frequenter meminisse DEI Incarnati, SS. Eucharistiæ, Passionis Christi, & B. Virginis. nam hæ Gazæ nostræ sunt, & promptuaria plena omnium bonorum donorumque, quæ etiam gratum exigunt clientem. Quare singulis in corde thronum erige vel aram, & exhibe, quæ placitura noueris; vbiq; te gere, sicut coram illis versari conueniret. *Amici auscultant. Cant:* 8. Et Christus quidem Crucifixus, vide, ne conqueratur: *obliuioni datus sum, tanquam mortuus à corde.*

§. VII.

Prodromus amoris,

Notitia DEI.

Cognosce Dominũ. Ier. 31. *Quis es Domine?* Act. 9. *Domine quis similis tibi?* Psal.
Quis vt DEVS?

VBique hoc Prodromo opus est ad amorem: Præcursor hic Diuinæ Charitatis est: & DEVS priùs intellectum illustrat docetq;, & sic voluntatem emollit in amorem. Nam in via donum fidei supernaturalis, in Patria Visionem DEI hic ignis in anima supponit; & insuper quidquid DEVS condidit, eidem indidit linguam & vim docendi Creaturam rationalem magnalia DEI. nam *inuisibilia DEI, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Nec tantùm salubris ac perutilis est hæc notitia, sed & in se præstantissima; quia nôsse DEVM, vitæ æternæ præludium est. Hæc est scientiarum

potissima; & præmium æternum ac summa hominis beatitudo formalis, est cognitio clara DEI. Quantò plus de DEO percipis, tantò propiùs ad beatitudinis confinia accedis. Nihil item prodest alia nôsse, si DEVM non nôsti, vt patet in sapientibus huius sæculi & antiquis. Ergo cognosce Dominum, quatenus licet; etsi iuxta Augustinum, *DEVS meliùs scitur nesciendo.*

2. Antequam tibi notitiam DEI instillem, tria te præmoneo. *Primò* esto paruulus, & te infra omnes humilia, atq; sapientiam sæculi & prudentiam carnis abijce, vt sis doctrinæ huius capax: nam Christus ait: *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Secundò* Noueris ad hanc doctrinam speciali lumine opus esse: *Nam nemo nouit Patrem, nisi cui voluerit Filius reuelare.* Quare lumen è Cœlo efflagita: & dic cum Paulo: *Quis es Domine?* & cum Augustino: *Nouerim te, vt amem te. Tertiò:* Quidquid noueris de DEO, minus est, quàm sciri possit: tua enim noticia finita est, & finito modo omnia percipis; DEVS infinitus est, & *magnitudinis eius non est finis.* Quare benè Simonides Philosophus ab Hierone Rege rogatus, quid esset DEVS, postulauit sibi non vnum diem ad id percipiendum, & ad respondendum concedi, eò quòd quantò diutiùs cogitaret de DEO, tantò sibi plura occurrerent, in quibus ad finem non pertingeret. His positis iam.

3. Cognosce, *quid DEVS non sit.* Quidquid bonum & suaue, quidquid pulchrum & delectabile, quidquid excellens & admirabile creatum est; DEVS id non est, sed super hæc omnia. Nam *qui fecit hæc* suauia, delectabilia, admirabilia, ijs est ipse infinities suauior, delectabilior, admirabilior; *esset q; grauis imperfectio,* vel perfectio DEO indigna, si aliquid

quid

quid tale esset in DEO, quale in Creatura etiam eximium: nam eo ipso, quòd sit creatum, est ex se deficiens, dependens, limitatum, imperfectum & mutationi obnoxium, quod DEVS esse non potest: ad Infinitum nulla est finitorum huiusmodi proportio; & *Va, si vel suspicaris* (ait Augustinus) *aliquid pulchrius illo, à quo omne pulchrum.* Si ergo hæc, quæ ex se nihil sunt, ita tibi cor magneticè trahunt, ita te contentum reddunt; *quid iam DEVS erit, respectu cuius* bona hæc vix boni rationem gerunt: hæc pulchra, deformia. *Sic* tui cordis magnes est mera vanitas, merum nihil!

4. Iam cognosce, *quid sit DEVS;* vbi imprimis vniuersaliùs loquendo, *quidquid de* illo & dignè illo cogites sentiasue, quidquid illi perfectionis & pulchritudinis attribuas, quidquid illi amoris laudisq; impendas, *superualebit adhuc, maior omni laude* & amore, maior omni sensu & cogitatione tua, & omni creatâ. Si adhuc aliquis alius perspicacioris intellectûs eadem de DEO perfectiùs perciperet, quàm tu, & adhuc tertius illo perspicacior, & sic in infinitum; adhuc omnibus illis conceptibus mentis in infinitum creabilîs perfectior & excellentior esset DEVS: nullus enim DEVM perfectè comprehenderet, nec posset comprehensione adæquatâ cognoscibilitati Diuinæ. *Adhuc aliter potes* vniuersaliori viâ modoq; cognoscere, *quid sit DEVS:* nempe quidquid bonitatis, excellentiæ ac perfectionis DEO non repugnat, adeoq; omnis perfectio simpliciter simplex, seu quam melius est in DEO esse, quàm non esse est in DEO, est DEVS: vbi iterum vides abyssum perfectionis Diuinæ: admirare illam & exalta: exulta de eadem, & dic: *Quis vt DEVS?* Domine, *quis similis tibi? Non est DEVS, vt est Dominus.*

5. Co-

5. Cognosce iam magis *in particulari*, *quid sit* *DEVS*, qualis est *dilectus tuus ex dilecto*? *Primò* quis & qualis quantusq; sit DEVS quoad se, seu quoad naturam & attributa Diuina: vbi consideranda est illius essentia & existentia necessariò æterna, omnipotentia, sapientia, & omniscientia, Bonitas, Pulchritudo, Dignitas, Æternitas ac Immutabilitas, Iustitia, Immensitas, Misericordia, Independentia, Sanctitas, Longanimitas, Dominium, Libertas, & omnis perfectio increata in eo formaliter existens, creata eminenter. *Hæc adora, ama, exalta.*

Secundò cognosce DEVM quoad Personas Diuinas & admirabilem earum originem sine inæqualitate perfectionis: item quoad distinctionem realem Personarum in identitate naturæ: item earum prædicata Notionalia, & quæ attribuuntur singulis per quandam appropriationem; & quidquid de Personis illis fides docent. *Hæc mirare, & crede.*

Tertiò cognosce DEVM, vt est auctor Naturæ & Creator & Iustificator: consideranda item Gubernatio totius mundi, Prouidentia & cura de omnibus, Prædestinatio, Reprobatio, Præscientia, concursus Causæ Primæ cum rationalibus & irrationalibus creaturis, tum quoad actus liberos, tum necessarios: Institutio & efficacia Sacramentorum, Diuersitas statuum & vocationum, miræ viæ ad salutem, instinctus, inspirationes. *Exere affectus congruos.*

Quartò cognosce DEVM ex varijs eius Nominibus quæ illi Scriptura tribuit, vt: *Protector meus, Firmamentum & refugium* meum, *Adiutor* & auxiliator, *Laus mea tu es, Gloria mea, & exaltans* caput meum: *Tu es ipse Rex meus, DEVS pacis* & totius consolationis, *Pater luminum*, Lux, Charitas, *DEVS cordis mei, DEVS salutis meæ, DEVS meus Misericordia mea*, omne bonum &c.

Quintò

Quintò cognoſce D E V M ex Verbo Incarnato, ex eius operibus, ſatisfactionibus, Sacrificijs, Paſſione, legibus, meritis infinitis, doctrina, ex eius titulis, ex poteſtate iudiciaria, poteſtate excellentiæ & Gloria Capitis, ex titulo Redemptoris, Magiſtri, Principis pacis, Patris futuri ſæculi, ex dignationibus, ex eius nominis exaltatione, Miraculis &c. &c. *Adorà & ama hunc Nobiſcum* DEVM.

Sextò cognoſce Dominum ex B Virgine & eius priuilegijs, dignitate & excellentia, plenitudine gratiæ, ſublimitate meritorum, virtutibus, gloria & exaltatione in terris & in cœlis, ita vt dicatur Magnificentia D E I B. Virgo, & non ſatis ſciat, quid ſit D E V S, qui neſcit, quid ſit DEIPara, vt ſuprà monui ex Chryſologo.

Septimò cognoſce D E V M ex Angelicis Hierarchijs & Ordinibus, eorum diſtinctione, intellectu & ſcientia, via & termino, Præmio & pæna, donis Naturæ & Gratiæ: Item ex alijs Sanctis & eorum medijs diuerſis, quibus ad beatitudinem peruenerunt, ex varijs eorum euentibus & virtutibus, mirabili D E I prouidentia circa illos, diſtinctione graduum gratiæ & gloriæ, gratijs gratis datis.

Octauò ex effectibus creatis alijs, tum naturalibus, tum ſupernaturalibus. Hic totum, quod in cœlo, terrâ, mari animalibus, volucribus, hominibus, linguis, ſcientijs, artibus, artefactis, regionibus & diuerſis Climatibus; in operibus gratiæ, in miraculis, percurre animo, & dices: *Magnus Dominus: Domine quis ſimilis tibi?* Quàm terribilia facta ſunt opera tua Domine! *nimis profunda facta ſunt cogitationes tuæ!* Denique quidquid ex ſcriptura ſacra, ex SS. Patribus, vel ex ſana ratione de D E O ſcitur, illiq; attribui poteſt dignè; id in cognitionem D E I, laudem, adorationem, & ſubiectionem,

latri-

latriam, amorem, timorem, admirationem, reuerentiam, altissimum de DEO sensum, & appretiationem illius trahe. Hæc enim cognitio DEI debet esse Practica: cognosce vt seruias, dignèq; colas: noueris, vt diligas: non sis ex ijs, qui *cùm cognouissent DEVM, non sicut DEVM glorificârunt*; nec ex ijs, qui dicunt *se nôsse DEVM, factis autem negant*.

6. Potissimùm tamen in quintuplici cognitione DEI quotidie verseris; nempe *in cognitione Bonitatis* Diuinæ, vt eam super omnia appreties, amesq; : item *in cognitione Iustitiæ*, vt timeas: *in cognitione dignitatis* & excellentiæ, & *Finis Vltimi*, vt Maiestatem reuerearis, & cultu debito prosequaris, & ad DEVM omnia referas: *in cognitione immensitatis* Diuinæ, vt vbique dignè conspectu DEI te geras: *in cognitione concursûs Diuini*, vt ad indigna concursum Omnipotentiæ non trahas, seu ne *seruire illam facias in peccatis tuis*.

§. VIII. Cherub terrestris.

Ex Magisterio Creaturarum:

SEV

Cognitio

Et Amor DEI ex Creaturis.

Inuisibilia DEI per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Rom: 1.

1. AB excellentia doni sapientiæ celebrantur Cælestes Cherubini; etiam Te his accedere volo. Præter cælitus hausta sapientiæ lumina, Cherubinum

binum te efficient *Creaturæ*, quæ *sunt velut Liber communis doctis & indoctis Auctore DEO editus* Hinc illud S. Pauli (*Omnia vestra sunt*;) explicat Doctor Angelicus. *vestra, vel ad vsum, vel ad intellectum.* Nempe *ex Creatis cognosci potest* DEVS, *vel per viam causalitatis* & dependentiæ, *vel per viam* limitationis, *per viam* potentialitatis & contingentiæ ac indigentiæ, *per viam* defectibilitatis; cùm tamen DEVS sit Ens primum, Ens per essentiam, Ens necessarium, illimitatum, independens, infinitum, actus purus, vnum & omnia. Sic ergo Creaturas in mundo considera, ceu Doctores in Cathedra, ex quibus trahas cognitionem DEI & Sapientiam Sanctorum, & sic Cherubinus terrestris efficieris, & facilè accedes ad Seraphinos. nam hæc scientia, quæ è tali Doctore & libro hauritur, Practica, & amoris Diuini magistra fomesque est.

2. Cognitio Beatorum *triplex*. *Vespertina* dicitur: cognitio Creaturarum in seipsis: *Cognitio Matutina* est cognitio Creaturarum in DEO. *Meridiana*, est cognitio DEI in ipso DEO. Cognitio DEI ex creaturis facilè hauritur, dum cognoscuntur quidem & in seipsis, sed non sistendo in ipsis, verùm ad Auctorem talium, quales sunt in seipsis, ascendendo. *Cognitio* verò *Matutina* seu Creaturarum in DEO requirit, vt cognoscatur in DEO esse ideale, causale & eminentiale; & sic cognoscentur Creaturæ in DEO vt in Idea, Causa continente eminenter perfectionem Creaturarum; in tali autem esse Diuino impossibile est cognoscere Creaturas, quin cognoscatur & DEVS. *Cognitio* item *meridiana* seu DEI in DEO, si sit cum cognitione terminorum, quos aliqua DEI attributa vel nomina respiciunt, cognitionem attinget Creaturarum, quæ iterum in nouam cognitionem DEI inducent ob suam ad eum

relati-

relationem. Sic ergo etiam tu cognosce Dominum *in* & *ex* Creaturis, & Beatos imitare, qui non ita cognoscunt creaturas in DEO, vt sit sola cognitio, & non sit amor beatus DEI. Vnde & tua cognitio DEI ex creaturarum cognitione illata inducat te in amorem DEI. Sic S. IGNATIVS Nostræ Societatis Parens ex floris etiam cuiusuis aspectu in amorem Creatoris planè extaticè rapiebatur. Et tu sapere hinc disce, ne sis inter eos, de quibus Hieronymus: *Ignorantes Creatorem, & adorantes lapidem*, seu Creaturam.

3. Quidquid boni vspiam in Creaturis videre licuerit, illud cogita dictum: *Si tanti vitrum, quid margaritum?* Et illud Bernardi. *Miraris in sole splendorem, in pane saporem, in terra fœcunditatem; non dubitem, quin ampliùs reseruauerit sibi, quàm dederit Creaturis*; multò vtique speciosior sole, & *stellæ non sunt mundæ* in conspectu eius. Quare si pulchra cor plerisq; infascinant, tuum cor *detur Pulcherrimo*, qui est DEVS. si bona; detur Optimo, respectu cuius omnia creata sunt vt nihil, vel prout gutta e situla pendens respectu immensi Oceani. Sic ergo ex bonis Creaturæ proficias in notitia DEI amorosa & appretiatiua. At verò quidquid in Creaturis arduum toleratu & sensibus acerbum aduerteris: etiam in hoc DEI Sapientiam & prouidentiam contemplare, cùm & illa suos fines habeant, ad quos condita, & cui vsui proficua; vt etiam videmus in insectis & viperis, quarum vsus medicinæ deseruit: ignis iustitiam DEI in flammis piacularibus commemorat, & terret &c. Denique cùm opus vides, artificem mirare & lauda: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti!* Similiter dum vides miram rerum dispositionem & ordinem, successionem temporum ac generationum vicissitudinem,

dinem, combinationem rerum & qualitatum, & alia plurima admiranda, dic: *Quis sapiens, & intelliget hac? Delectâsti me* Domine *in factura tua*; nam in illa me delectat tua sapientia, potentia & prouidentia. Dic iterum cum Augustino: *Qui fecit hac bona, melior: qui fecit hac pulchra, pulchrior: qui fecit hac sancta, sanctior.*

4. Iuuabit in Creaturis inquirere DEVM, sicut inquisijt Augustinus; qui Soliloqui. *cap.* 13. ait: *Circuiui per vicos & plateas Ciuitatis* huius mundi: misi nuntios meos, nimirum sensus exteriores, vt quærerent DEVM meum. Responderunt oculi: *Non est color*: respondent aures: *Non est sonus*; Nares: *Non est odor*; Gustus, *Non est sapor*; Tactus, *Non est Corpus.* Interrogaui terram, si esset DEVS meus, interrogaui mare & abyssos, Cœlum, Lunam, Solem, Stellas; & responderunt Creaturæ voce grandi: *Non sumus nos DEVS; quare supra nos, ipse fecit nos.* Addit idem Doctor aliam vocem Creaturarum: *Omnia ad me clamant, vt amem te.* Sic profecit ex Creaturis ille Sanctus Antistes; & tu profice.

5. Porrò inter creaturas est nobilissima Creatura Humanitas Christi, qui est velut Liber scriptus intus & foris. tolle, lege, & sapies; vbi etiam illud disce, quod S. Catharinæ Senensi dixit CHRISTVS: *Si noueris, quid tu sis, quid ego, beata eris: ego sum, qui sum; tu, qua non es.* Non sine causa de Christo dictum: *Implebit ruinas*; nempe etiam Cherubinos nouos substituet illius doctrina & vita, qui in locum succedant de cœlis proscriptorum. Sic igitur sub creaturarum magisterio in notitia DEI & scientia rerum Diuinarum profice in Cherubinum terrestrem, vt faciliùs ignescas in Seraphinum.

§. IX.

Seraphinus tereſtris, Seu Amor in DEVM.

Qui facit miniſtros ſuos flammam ignis. Hebr. 1. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat?* Luc. 12.

1. IGni huic imprimis fomenta addo à ratione & auctoritate. A ratione I. DEVS præcipit ſe *ſolum amari ex toto corde*, totâ animâ & totis viribus. vnde infer, quòd DEVS ſolus ſit tanto amore dignus; aliàs non præciperet DEVS erga ſe ſolum talem amorem. at quantum id bonum eſſe neceſſe eſt, quod ita debet amari ab omnibus *ex toto*, & ſuperualet adhuc, nec amor creatus eius amabilitati adæquari poteſt, eamque exhaurire? II. *Amor eſt deſiderium boni & pulchri* iuxta Dionyſium: DEO autem nihil pulchrius meliusuè; proinde nil amabilius. Quod ſi bonum eſt diffuſiuum ſuî; DEVS quomodo ſe non effudit in Incarnatione, in SS. Eucharistia & Paſſione, in gloria cœleſti? Item ſi Pulchrum exile & fæditati permiſtum oculos & cor captiuat, quomodo deſiderium non accendet Pulchrum ſuper omnia & indefectibile, Pulchrum abſque næuo & macula? III. Si aliquem dilectio rei certæ dignæq; diligi efficeret Regem vel Cæſarem, illam rem homo ambitioſus deperiret; at amor DEI te facit quodammodo DEVM; tum quia vim habet quandam transformandi in dilectum; tum quia Auguſtinus dixit: *DEVM diligis? DEVS es.* IV. *Minora bona* deperimus; an ergo infinitum bonum cor non rapiat? Bona alia fæculenta & mille imper-

imperfectionibus scatentia diligimus; an ergo bonum sine vlla admixtione mali & perfectissimum non iustiori amore prosequemur? V. *Amor amare pensetur*; & multò magis si & infinitus amor sit, quo in te amans fertur, & tu sis indignus, odiumq; ac iustam ab amante vindictam merueris: at ita est hîc. nam te *amat Immensitas, amat æternitas,* amat DEVS seipso te vtiq; inimicum iuxta illud Pauli: *Cùm adhuc inimici essemus, propter nimiam charitatem* misit DEVS Filium suum. *Denique* beneficia emolliunt cor & munera; at quis maiora contulit, quàm DEVS? VI. *Huc faciunt* tituli & encomia Amoris Diuini apud Vincentium Carrafam: vt quòd *amor hic* sit *participata beatitudo*, cum det pacem conscientiæ, serenitatem intellectui, gaudium affectui, quietem voluntati, satietatem desiderio. Item quod *hic amor* sit *vita animæ,* sine quod est mortua DEO; nam *qui non diligit, manet in morte:* Item quòd *Amor hic sit sanitas animæ*; alatus amor pingitur? *Sanitas in pennis eius.* Idem *amor* est *requies in laboribus*: nam *qui amat, non laborat* teste Augustino, & *verus amor non sentit amaritudinem, ac nomen difficultatis erubescit*: Item *amor hic est omnia,* & grata facit omnia, & sine illo *nihil es, nihil tibi prodest*: Item *amor hic* est cœlestis ambrosia, animæ pulchritudo, & paradisus eiusdem: *est* scientiarum compendium, *est* gustus Diuinus, *est* suauis complexus DEI, requies in Cruce, gaudium in lacrymis, donum super omnia dona: nam *maior horum est charitas.* vnde Paulus *Colos: 3. super omnia autem charitatem habete.* Denique *recti diligunt te,* vt dicitur *Cant: 1.* obliquæ animæ non item.

2. Ab auctoritate adhuc fomenta sacratissimo huic igni addam. Augustinus monet: *Breue praeceptum tibi datur, Dilige, & fac quod vis.* Idem inquit: *Non valet apud DEVM magnus clamor, sed magnus amor.*

Adhuc addit: *Si amare D E V M pigebat, saltem redamare non pigeat!* Bernardus verò inquit: *Solus amor reddit D E O æquiualens.* Iterum Augustinus ait: *Perdit, quòd viuit, qui te D E V M non diligit.* Stans in terra: in cœlo es, si diligas D E V M. Idem adhuc ait: *Amor est omnis virtus.* Et: *Sola charitas discernit inter filios D E I & filios diaboli.* &c.

3. Ab Angelis disce diligere. *Amor Seraphicus* iuxta Dionysium *est semper in exercitio*: est amor intensissimus, est suauissimus eiusq; vna stilla superat Oceanos voluptatum mundi: est amor sursum ductiuus; sunt nempe Seraphini vt carbones accensi & accendentes. Sic arde, si velis esse Seraphinus.

4. Proprietates amoris Diuini tibi indicabo, vt ad hunc velut Lydium lapidem aurum tuum probes. I. Amor hic *insuperabilis*: item *inseparabilis*: item *inuariabilis* item est *insatiabilis*: est *insociabilis ad alium ab amato*: est *inaccessibilis Creaturæ non propter D E V M*: est amor *solitarius*, amor *vnius*, amor *purus*, amor *infatigabilis*; nam teste Bernardo, *vbi amor est, labor non est, sed sapor*: est *amor incomparabilis*, quòd nihil sic diligat sicut D E V M: *est amor incontaminabilis dilectione mundanorum.* II. *Aliter* hanc artem & proprietates gradusq; Seraphici amoris tibi propono. *Amor Diuinus facit languere peccato* & terrenis iuxta D. Thomam: *Facit quærere dilectum incessanter*, vt Magdalena quæsijt, quæ dilexit multùm: *Facit operari indesinenter*: facit *sustinere infatigabiliter*: Facit *appetere impatienter*, mauultq; non esse, quàm esse sine eo, quē diligit: *Facit currere velociter* instar cerui ad aquas: *facit audere* vehementer, *stringere* indesinenter: *facit assimilari totaliter*. III. *Adhuc aliter* adiuncta amātis expono: *Proprium est* illius, *diligere vnum* tantùm, & omnia pro eo contemnere. Item *infelicem se putare sine illo* & extra illum: *omnia pati,*

pati, vt sit cum illo: *ornare se*, vt dilecto placeat: *esse cum illo* vel re, vel cogitatione saltem: *amare omnia, quæ ad illum* pertinent; puta interna & externa DEI: Item *cupere laudes amati*, neque posse pati eius ignominiam: Item *flere cum amato, si absens*, ex tristitia; *si præsens*, ex lætitia: *diligere sine quæstu*, seruire illi non cogitando de præmio: *diligere eius bona* & gloriam, non vt bonum tibi, sed vt bonum DEI. Præterea hic *amor est semper mobilis* in DEVM, in quem semper omni actione & affectione tendit ac fertur: est *amor interminabilis* ac incessabilis, vel vult esse talis: toto impetu fertur in amatum; semper ardet, semper feruet, & semper magis ac magis ardere & inflammari desiderat. *Denique amor* verus *ligat in intellectu*, *vulnerat* in affectu, *facit languere* in actionibus amore dilecti (Amore langueo) facit *deficere à propria* vita (*viuo ego, iam non ego*) En habes quo amorem tuum explores.

5 *Ars artium est amor Diuinus*, vt ex Bernardo dixi. quò quis hac in arte versatior, eò beatior. hæc planè est Scientia Sanctorum, cuius aliam adhuc descriptionem accipe & amoris Diuini gradus. I. *Amor DEI debet esse appretiatiuus*, seu *amor excellentiæ*, debetq; diligere super omnia, ita vt eligat potiùs omnium iacturam, quàm DEI vel eius offensam. II. *Amor* hic est *complacentiæ*, dum sibi in eo complacet anima, quòd DEVS tantus ac talis sit; vnde si velle hoc esset efficax, daret esse DEO. III. *Amor hic est beneuolentiæ*, quo vult DEO omne bonum intrinsecùm à seipso, extrinsecum à Creatura. vult autem ob bonum DEI, seu prout est bonum DEO. IV. *Amor hic est vnionis*; nam & secundum Dionysium, amor est *vnio amantis cum amato*; & iuxta Doctorem Angelicum est essentialiter *Vnio affectiua connotans realem*, id est, desiderando illam,

quatenus est possibilis. V. *Amor idem est amicitiæ*, qui amat DEVM quatenus dignum amore, & obseruat leges amicitiæ. porrò *amicitia est tum in amore mutuo*, conuiuendo amico delectabiliter; *tum in mutua beneuolentia*, volendo ei bona, gaudendo de bonis amici, tristando de eiusdem malis; *tum in mutua communicatione bonorum*, cùm amicorum omnia sint communia, & amor sit sui diffusivus in amicum, & in alios propter amicum. Porrò amor sine reciprocatione ex parte rei amatæ, est simplex amor beneuolentiæ: quando est reciprocatio, est amor amicitiæ. Reciprocatio amoris in eo consistit, vt sit mutua dilectio, mutua communicatio & familiaritas. VI. *Amor hic est conformatiuus voluntatum* inter amantem & amatum. nam idem velle ac nolle, ea demum firma amicitia est. VII. *Amor hic est transformatiuus*; nam iuxta Bonauenturam eius vis non tantùm est vnitiua & diffusiua, sed etiam transformatiua in amatum. VIII. *Amor idem desiderat frui* amato & possidere summum illud Bonum *per visionem*: gaudet de præsentia amati, & de illo etiam absente cogitat iuxta illud; Vbi thesaurus, ibi & cor: & magis est anima, vbi amat. IX. Amor hic est ex toto; vnde Chrysologus: *Ama, & totus ama*, de quò infrà. X. *Amor hic est Zelotypus & sine riualibus*, seu totus debet esse Sponsi cœlestis, amor solius DEI vel propter DEVM. XI. *Amor hic est liberalis & gratuitus*: nam se effundit propter DEVM ad multa sine respectu ad præmium; etsi *non sine præmio diligitur* (vt inquit Bernardus) *quod sine intuitu præmij diligi debet*. XII. Amor hic est *tractiuus plurimorum ad amorem DEI*. nam ille in amore DEI maior est, qui ad eius amorem plurimos trahit. XIII. Amor hic *crescit vsq; ad odium sui*: est item *separatiuus à bono commutabili*: amor crescit, vbi decrescit

crescit cupiditas. XIV. Amor hic debet esse fortis; & probatur in aduersis, resoluit se ad ardua, vsque ad effusionem vitæ pro amato, iuxta illud; *Maiorem charitatem nemo habet*, quàm vt animam suam ponat pro amicis suis. item *debet esse indeficiens, indefatigabilis*, constanti amicum, & ea quæ amici sunt, amore prosequens. XV. Denique veri amoris indicia collige ex *S.* Paulo qui 1. Cor. 13. sic ait. *Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Heracleum habes lapidem, ad quem auream Charitatem examina. Materiam hanc *Rosario Amoris Diuini* vel corollâ concludo. In primo maiore globulo precatorio dic cum Augustino: *Serò te amaui, Pulchritudo noua & antiqua.* In minoribus globulis decem, dic: *Appretio, æstimo & diligo te DEVS meus super id omne, quod non est DEVS.* In secundo maiore dic cum eodem Augustino: *Væ tempori illi, quo non amaui te, vnicum & summum Bonum meum.* In minoribus decem, vt ante. In 3tio. maiore: *Diligam te Domine, virtus mea, delectatio mea dulcis, solatium* meum suaue. In minoribus vt ante. In 4to. & 5to. maiore: *Quid mihi est in cælo & à te quid volui super terram, DEVS cordis mei, & pars mea DEVS in æternum?* Quis mihi det, vt diligam te *amore Seraphico, Mariano, Theandrico, & Diuino?* vt diligam te sicut vis & mereris? *At verò* P. Engelgraue iubet in vna decade dici: *Amo te plus quàm omnia bona mundi & sæculi huius voluptates.* In 2da. *Amo te ita, vt velim propter te dura omnia pati, & nolim vllis tormentis separari à te.* In 3tio. *Amo te & amare desidero amore Seraphico, & omnium Sanctorum ac tuo,* & amore supplente amo-

te amorem eorum, qui te non amant, & damnati, & non creandi. Hic est amor & longè maior, cum omnibus descriptionibus suprà positis, quem volo, cùm dico, *Amo te.* Conclude cum Bernardo: *ô amor veni in nos, possid́e nos:* cresce in nobis in momenta, nec vnquam extinguere. Accendat in nobis DEVS ignem sui amoris, & flammam æternæ charitatis. vide Facis Purgatiuæ. §. 31. & 36. 59.

§. X. Ex toto:

Seu Effusio totius cordis & affectûs in DEVM.

Diliges Dominum Deum ex toto. Luc. 10.
Confitebor tibi in toto corde. Psal. 110.

1. SÆpius id Scripturæ inculcant, vt toto corde inhæreamus DEO. Non satis est in parte, sed in toto potiùs. Immensa etiam decent immensum; at tu etiam tui cordis angustias ei neges? Si das dimidium tantùm; sic etiam luxuriosus Herodes fecit dicens: *Etiamsi dimidium regni mei petieris, dabo* Ergo ex toto, in toto age, lauda, crede, dilige.

2. Cuius putas illam fuisse vocem in illa fæmina filium alterius matris sibi arrogante, postea dicente: *Diuidatur?* Fuit vox hæc inuidiæ & maleuolentiæ. Tu si idem de tuo corde statuas, *Diuidatur (in DEVM & creaturam)* vox hæc stultitiæ & malignitatis est. hæc vox contradicit DEO, qui præcipit: *Dilige ex toto*: hæc vox collocat in corde lucem & tenebras. Arcam DEI & idolum Dagon. *Nihil dat DEO,* qui cor dat diuisum. nam DEVS vult bonum cor, sed sic diuisum, est cor nequam; nihil ergo dat eorum, quæ volebat DEVS. *Item nihil dat*
dignum

dignum DEO, qui cor diuisum offert: nam non est pro Maiestate DEI, in throno cordis iuxta DEVM collocare Belial vel idola, quæ amas colisque. Totum potius da; at totum constat ex partibus omnibus, simul sumptis & vnitis.

3. Quid magnum à te exigitur, cùm exigitur, vt ex toto diligas, vel sic laudes ac inhæreas DEO? DEVS dat se tibi totum, toto se diligit te, tota immensitas & æternitas Diuina te amat: redde ergo totum pro toto; etsi, vt rectè loquitur Bernardus: *Si anima se totam in amorem effuderit, quantulum te est ad illius Fontis perenne profluuium?* Sed tamen redde vicem amori tanto: non potes reddere æquiualens, redde quantùm potes; si parum, saltem totum: satis illi est, quòd illi des tantum, vt nihil tibi vel alijs relinquas in corde & de corde tuo; si des ita, vt nihil supersit, quod dare queas. *Præterea* quid magnum à te exigit, qui dicit: *Mea sunt omnia?* Ab illo es, ab illo habes hoc totum, quod exigit, & idem est sub Dominio DEI: redde ergo totum, quod illius est. Vt omnia dat tibi affluenter, sic & vires, quibus diligas dat amplissimas; quid ergo tam parcè diligas, parcè laudes? Potiùs totis viribus, quas ab illo habes: Totus ama, totus lauda, totus crede. nam & de fide dicitur à Philippo: Si credis ex toto corde; & de alijs affectibus alibi.

4. Etsi Scripturæ, vt dixi, laudi, fidei, confessioni, alijsque in DEVM sanctis affectionibus attribuant modum hunc, vt fiant *ex toto;* sed tamen principaliter amori Diuino, de quo illud Magnum & primum DEI mandatum: *Diliges Dominum DEVM tuum ex toto* &c. Sit ergo hic *amor ex toto, quoad intensionem,* amando DEVM tota virtute & applicatione animæ: Sit *ex toto, quoad extensionem,* continuando hunc

do hunc amorem vbique semper, in prosperis & aduersis, in omnibus actionibus & occasionibus, & per æternitatem: Sit *ex toto, quoad vires animæ* & corporis, & omnes potentias, quoad omnes potentiarum actus, per omnes intendendo amore DEVM: *Sit ex toto, quo ad imitationem* amoris in DEVM Seraphici, MARIANI, Theandrici, & Diuini: *Sit ex toto, quoad relationem & ordinationem omnium ad DEVM*, omnia propter DEVM & ex eius amore operando: Sit *ex toto in te & in alijs*, per te & per alios: Sit *ex toto quoad omnem modum possibilem*, ab omnibus, super omnia: sit toto conatu, adæquatè ad vires gratiæ. *Sit ex toto*, vt præcipit Euangelium: Diliges *ex tota anima, ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus, ex tota fortitudine tua.* Sit *ex toto, quidquid est in te*, quo colas DEVM, totâ substantiâ & entitate tua iuxta illud: *Et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* Sit *ex toto, totâ entitatum omnium substantiâ*, latitudine & capacitate, quibus dices: *Benedicite omnia opera Domini Domino.*

§. XI.

Desponsatio Voluntatis Deo.

Non mea, sed tua voluntas fiat. Luc. 22.

1. OMnis Creatura ex doctrina Augustini velit nolit, vni *DEO & Domino suo subiecta est: iustus, vt filius*, ex libera voluntate: *peccator, vt seruus*, ex necessitate. Verumtamen *subiecta esto anima mea Domino*, esto subiecta voluntas eius voluntati, velut Filia, velut sponsa: nam & huic dicitur: *Sub viri potestate eris;* Viri, inquam, illius, de quo Propheta: *Ecce Vir, Oriens nomen eius.* Voluntas au-

tem

tem DEI & Christi Sponsi *melior est* infinities tuâ, & meliùs vult illa tibi sibique, quàm tua. *Sanè hoc* est fundamentum pacis internæ, quâ carent impij, qui dum voluntate suâ à DEO dissentiunt, bellum cum DEO gerunt. *Denique* cùm amicorum sit idem velle & nolle; multum est, quòd te inter amicos DEI inscribat hæc voluntatis tuæ cum Diuina conformatio. *imò* DEVS quodammodo efficeris; nam voluntas in te Diuina est, ac velle in te Diuinum hoc ipso, quòd cum eius voluntate in omnibus consentias.

2. Magna dignitas voluntatis Creatæ, quòd possit desponsari Diuinæ, se illi totam tradendo. nam hoc sacrum epithalamium, & Diuinum mentis connubium traditione voluntatum perficitur, & annulo suo subarrhat IESVS voluntatem sibi veluti sponsam. ô beata Sponsalia! ô nuptiæ Agni!

3. Ergo desponsa DEO voluntatem tuam; id enim & ipse requirit, cùm postulat sibi *præberi cor tuum*, proinde vult illud accipere in suum, atq; sic desponsari; & tu non potes meliori Sponso voluntatem tradere, quàm Cœlesti, qui nouit etiam sesê tali sponsæ affatim communicare. Forma contractûs Sponsalitij sit hæc: *Non mea vnquam, sed tua voluntas fiat: Volo, quod vult DEVS: nolo, quod non vult. Sicut fuerit voluntas in cœlo; sic fiat semper.* Vinculum sponsalitium firmetur semper assistentiâ Cælitum: sit autem vinculum indissolubile ac æternum, nec diuortium voluntatum intercedat. Quare in omnibus, vbiq; & semper, in re, in modo, in causa & fine, in euentu omni, in spiritualibus ac corporalibus, temporalibus ac æternis, in dubijs DEO tuam committe voluntatem; ille vtatur veluti re suâ, & velut è molli cera fingat, quidquid velit. Sane hæc sponsæ conformitas, iuxta Bernardum

dum est *DEI formitas*, & hi sunt velut Dij suæ voluntatis omnipotentes, *nec est in terris gaudium*, quod concordiæ voluntatis cum DEO comparari queat.

4. Huic etiam sponsæ dicitur: *Sponsabo te mihi in fide & charitate*: nam & charitas exigit hanc voluntatum concordiam; & fidem exigit à sic desponsata voluntate DEVS; alioqui *perdidisti eos, qui fornicantur abs te*, ait regius Psaltes. Item ab eadem requirit DEVS, quod S. Teresiæ dixit: *Deinceps ut vera sponsa meum zelabis honorem*: nam hic etiam illi in votis est, vult illum DEVS. *Gratum insuper est*, si frequenter hic contractus sponsalitius frequenter renouetur; sicut de B. Virgine nonnemo scripsit, eam nocte illa, quâ Christum inaudijt captum ac indignè tractatum apud Caipham, sexcenties ad Patrem æternum dixisse: *Fiat voluntas tua.*

§. XII.

Permutatio cordis cum DEO.

Fili, præbe mihi cor tuum. Prou. 13.
Auferam à vobis cor lapideum.
Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Psalm. 76.

1. FElix iactura cordis tui pro Diuino! mutationis non pænitet, quando per illam transitur in esse quoddam Diuinum. *Si detur* optio agresti & inculto homini permutandæ animæ vel mutandæ hebetudinis cum alio docto, consultissimo & plurimis animi dotibus instructo, nonne abnueret? vel mutandi lacerum indumentum pro regali trabea, egestatem pro thesauris Darij; quis mutationis id genus refugeret? At in permutatione tui cordis cum Diuino accipis cor ipsius DEI, corde Diuino acci-

no sapis, & vis. *Quantum* & illud boni est, quòd vi huius mutationis tuum cor sit in DEO, quòd *DE*VS illud veluti suum gerat, vt suo vtatur, quòd cor tuum sit *Diuinorum* motuum & deliciarum domicilium. Si cor primum viuens; primò viuet, nec meliùs viuere poterit cor tuum, quàm vitâ DEI, semper viuens, nunquam moriens stante hac permutatione.

2. Dum ergo hæc *beata* fit *cordium permutatio*, maxima gratia tibi præstatur, nullum dispendium vel incommodum. nam tunc cor tuum fit quiddam Diuinum. Gerit quidem in se tuum cor thesaurum, ob quem iuberis *omni custodiâ seruare cor tuum*; sed idem cor cereum ex se in vitia, non sic ad salubria; estq; vt *arbor boni* simul *& mali*. nam *ex corde* etiam *exeunt furta*, & alia vitia, quæ Christus recenset. Gratiam tibi præstaret, qui cor tam noxium & peccaminosum à te auferens, melius vicissim daret. At verò cor *DE*I, quod dat hæc mutatio, totum suaue, hortus deliciarum, officina amoris, voluptatis paradisus, fons dulcoris, cor amabile ac desiderabile, vena vitæ; denique cor DEI est DEVS, tam bonum, quàm bonus ipse DEVS. Quid ergo cunctaris? sine mora exime cor tuum, & DEO trade, vt detur tibi vicissim cor Diuinum: *In sumptione* SS. Eucharistiæ *cogita te cor IESV* intrò *sumere*.

3. Fecisse talem cordium mutationem cum quibusdam legitur Christus, & facere non abnuit. Sic abstulit cor Catharinæ Senensi, & *Diuinum* dedit. Et P. Laurentius Gorettus videre visus est sibi B. Virginem cor nouum suo pectori inserentem dicentemq;: *Cor istud cautè vt custodias, vide*. Et Paulus cùm dicit, viuo *ego* iam *non ego*, sed in me Christus; videtur hanc felicem permutationem fecisse cùm Christo, nec suo corde vixisse. Imitare hos tam felices, vt tibi similis contingat felicitas.

4. Ergo deinceps viue, vt gerens cor Diuinum, cor Christi, non tuū. In tua etiāmanu est hæc permutatio; velis, & permutasti: sed pòst iam viue non vt tu, sed viuat in te DEVS; nec agas, quod non deceat cor *Diuinum*. Ex corde hoc nullæ procedunt abominationes, nullæ contentiones, nulla mala; sic neque ex tuo deinceps, quia *Diuino*, non iam tuo. *Diuinum cor* in omnes profusum, in omnes beneficum, misericors, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam, facilè condonans, volens omnes saluos fieri; Sic esto & tuum charitate in DEVM & proximos ardens ac plenum: indue viscera misericordiæ DEI. *Fiat verò hæc* transmutatio, vel vt fit in SS. Eucharistia panis in Corpus Christi, nempe immutatione & totali conuersione, ac quâdam mira transubstantiatione cordis tui in Diuinum: vel vt fit in contractu permutationis rei pro re; sic cordis pro corde.

§. XIII.

Vnio cum Deo.

Qui adhæret Deo, *vnus Spiritus est cum eo.* 1. Cor. 6

1. DVm aspiro ad vnionem cum DEO, volo & vniri DEO, & esse quid vnum seu quodammodo identificatum cum DEO (nam *adhærens DEO vnus Spiritus est cum eo*) volo esse *vnum & vnitum*, volo *vnionem & vnitatem*. Nam *inprimis*, obiectum amoris, non tantùm est bonum, sed bonum coniunctum & possessum; cùm amor sit vnio affectiua. *Præterea* inest amori vis quædam transmutandi in dilectum; vnde ex Tostato dixi: Qui *amat, amanti identificatur; quia amicus alter Ego*: Et S. Augusti-

nus *amicum* suum vocat *dimidium animæ suæ*, & vnam animam habitantem in duobus corporibus, ac *alterum sese*. quare amor vnionis cum DEO, dicet desiderium & vnionis seu arctæ coniunctionis cum eo, & desiderium vnitatis cum eodem. Christus etiam orat: *Pater, Volo, vt vnum sint, sicut & nos vnum sumus*; nempe vt nos sumus vnum per naturam, sic illi fiant vnum nobiscum per gratiam, quâ reddantur *consortes naturæ Diuinæ*; & insuper vnum sint per voluntatem, habentes idem velle nobiscum. Sanè per Gersonis sententiam *anima DEVM amans ita fit vnum cum DEO, vt ferrum candens cum igne, àër illuminatus cum luce*, materia formâ informata.

2. Amor vniens cum DEO est sicut *calor*, qui *segregat heterogenea*, seu illa, quæ sunt diuersæ rationis ac naturæ; & *congregat homogenea*, seu eiusdem rationis. Nam *amor hic separat* pretiosum à vili, amorem boni incommutabilis ab amore commutabilis & defectibilis boni: separat spiritum à corpore per auulsionem affectuum à terrenis, corporeis & visibilibus: separat animam à Spiritu, per translationem partis superioris animæ in DEVM. *Idem Amor* seu Calor mysticus *congregat homogenea*, spiritualia spiritualibus; comparando, proportionato animæ spirituali ac immortali, Bono inhærendo; & Animam per Gratiam sanctificantem Naturæ Diuinæ participem, DEO inseparabiliter illigando, ita vt dicat: *Quis me separabit à charitate Christi? neque mors, nec vlla creatura* poterit me separare. *Quid ergo* per diuersa diffluis? Non est hic amor seu calor animæ, sed frigus, quod congregat heterogenea seu diuersa: si amore æstuas, vni inhære DEO: *vnum est necessarium*. Si DEVS & Creatura simul est in corde tuo; diuersa hæc, nec cum his consistit calor & flamma illa dulcis: *Non potestis*

DEO

DEO servire, & Mammonæ: quæ lucis coniunctio ad tenebras? Frigus est, aut valde exilis calor, vbi hæc diuersa nectuntur: *Minùs enim te, Domine, amat*, (teste Bernardo, *qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat*.

3. Ad vnionem Physicam *requiruntur* dispositiones vltimæ, intima præsentia vel indistantia vniendorum, adeoqué negatio intercepti alicuius diuidentis. *Etiam ad vnionem* cum *DEO debent* præcedere *dispositiones* hominem deificantes; vt sunt iustificantes actus, Gratia sanctificans. Quò maior Charitas, eò maior hæc vnio: quò maior separatio à creatis, eò maior potest esse cum Creatore coniunctio. Nempe *vnio hæc simul est disunio*: vnio ad *DE*VM, disunio à creatura, & eius inordinato amore. Sit illa hîc *intima præsentia*, quam facit charitas, iuxta illud Ioannis: *Et qui manet in charitate, in DEO manet, & DEVS in eo*. Ergo sic coniungere, & simul separare: sit in te amor vnius, amor vniens, & dicto modo disuniens: excludatur omnis terrena cupiditas, solue fasciculos colligationis mundanæ, & eris vnus spiritus cum amato *DEO*.

4. Triplex datur vnio cum *DEO*: vnio naturæ humanæ cum Verbo: vnio cum *DEO* per gratiam inhærentem & charitatem: vnio Sacramentalis. *Prima vnio* hîc non suadetur; tamen, vt supra innui, posset illam quis licitè optare non studio excellentiæ, vt Lucifer; sed vt *DEVM* posset colere adæquatè dignitati *Diuinæ*, & per actus infinitè dignos. *Secunda vnio* curanda omnino est per statum gratiæ, & per charitatem, per quam qui adhæret *DEO*, vnus Spiritus est cum eo; & augetur hæc vnio per augmentum charitatis. *Tertiam vnionem* confert vsus debitus SS. Eucharistiæ, per quam Christo coniungimur, *vt cera liquefacta inuicem commista*,

vnitæ, vt ait Cyrillus. *Duæ* tamen poſtremæ vniones ſunt diſſolubiles, & ab illis homo ſæpe excidit: prima indiſſolubilis, & quod Verbum aſſumpſit, non dimittet vnquam. Non ſatis tamen vniri cum DEO; ſed vniamur inſeparabiliter ac indiſſolubiliter: *æternus validò ſtet robore nexus*. Væ enim tempori illi, quo DEVM inter & animam amabile id vinculum diſſoluitur! Mors eſt animæ, hæc ſeparatio à DEO; vt mors corporis, ſeparatio animæ à corpore. *Vt verò* vnio animæ cum DEO ſit perpetua, iuuat poſtulatio frequens perſeuerantiæ in gratia, & ne permittat DEVS te ſeparari à ſe: iuuat æternum peccati odium, & cura continui ſtatûs gratiæ, aliorumq; mediorum ſolidantium virtutem.

§. XIV.

Cor ſigillatum:
Seu Dedicatio cordis DEO.

Sanctum Domino vocabitur. Luc: 2.
Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum. Cant: 8.

1. NIſi cuperet DEVS cor tuum ſibi conſignari, non diceret tam ardenter: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum.* Et neſcio, quid tibi felicius contingat, quàm in corde gerere ſignaculum DEI. *Ex ſigno* colligitur, cuius ſit aliquid. Sunt qui recipiunt *ſignum beſtiæ*, de quo Apocalypſis: ſunt quorundam *cauteriatæ conſcientiæ* teſte Paulo; ſed tu *pete tibi* aliud *ſignum à Domino DEO tuo*. Et alij quidem ſignum hoc gerunt *in frontibus ſuis*, vt illa 144. millia ſignatorum ex tribubus filiorum Iſrael: S. Agnes de ſe dicebat: *Poſuit ſignum in faciem meam*, *vt nul-*

Vt nullum prater eius amorem admittam. Sed tu signum hoc cordi apprime, cor tuum sit velut res sigillata DEO & à DEO. Quæ quis suo sibi sigillo consignauit, nefas alteri hæc vsurpare, & soluere sigillum: Sic & tu consignare DEO, esto vt liber ille signatus sigillis septem, quem nemo aperire potuit præter DEVM & Agnum, nec in terra. nec sub terra, nec respicere illum vllus potuit, sed *Vni patuit Verbo*, seu Leoni de tribu Iuda. Sit, inquam, cor talis liber; *sigilla* 7. illud muniant, *id est*, Amabilitas DEI super omnia, Dignitas super omnia, SS. Eucharistia, *Sanguis* Christi Passi, beneficentia & terror DEI, amor æternorum, & reflexio ad illa, exempla Sanctorum.

2. Quod DEO dedicatur, deputatur id in cultum DEI, soliq; consecratur, ita vt ad profana id non deseruiat. Cor quidem humanum, quod DEVS totum desiderat, dedicatur illi in Baptismo, in ingressu Religionis, in susceptione status in DEI cultum deputati, in voluntaria sui dedicatione DEO; sed vide, an dedicetur *soli DEO*, & antotum. Cor est affectuum officina: ibi amor & odium, & tristitia, spes & desiderium, & alij affectus. Qui cor DEO consignat, debet omnes in *D*EVM affectus transferre, vt omnis affectio eius sit Diuina. cor illud nempe est iam res DEI: debet ergo vsui Diuino deseruire, nec vtendum illo, nisi vt vult DEVS, Deumq; velle decet.

3. Corpora nostra, *templa DEI Viui* vocat Apostolus; & Ecclesia dicit: *DEVS, qui de Viuis & electis lapidibus æternum Maiestati tuæ præparas habitaculum.* Ergo & cor sit *circumornatum vt similitudo templi*: sint in eo omnia ex auro vel auro vestita: sint ibi *Sancta Sanctorum* sit propitiatorium, sit ara, in qua sacrificium laudis & iustitiæ iuge, & holocausta

& thy-

& thymiama virtutum fiat, aliæq; oblationes DEO non *Ignoto*: sit cor domus DEI, domus orationis, plena crucibus, quas perferat: nil sit profanum, nec non ad cultum DEI ordinatum.

4. *Ritus dedicationis* seu consecrandi cordis hic esto. 1 *Expurga illud* ab omni affectione terrena, quarum cuiq; dic, Cede DEO. 2. *Purifica illud* in sanguine Agni, & sit cor contritum. 3. *Consigna illud* signo Crucifixi, & inscribe: *Sanctum Domino*. 4. A terra eleuatum, in amore & vnione sacrificij Christi & aliorum illud *offer DEO*, consecra, & deuoue in æternum. 5. *Imitare* cerimonias dedicationis Ecclesiæ. 6. *Festum Cordis* B. Virginis celebrant aliqui primâ Iunij; item dedicationis festum quotannis quoad Ecclesias celebratur: Tu quotidie *Festum Dedicationis cordis tui*, vel frequenter saltem renoua; & quotidie mundum illud, nec veneno afflatum conseruare stude. nam & apud Gentes veri DEI ignaras, corda victimarum veneno imbuta ignis sacrificij non absumebat. *Deniq;* tale sit cor DEO dedicatum, vt DEVS etiam de illo dicat, quod corde aureo à Rege Hispaniæ sibi oblato Iaponiæ Rex dicebat: *ô quâm gaudeo!* Esto *Basilica Saluatoris* digna inhabitante DEO, digna illo priuilegio templi Salomonis: *Elegi & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.* Paralip. 7.

5. Sacrilegium est res sacras in vsum profanum conuertere, vel rapere: tu ne sic sacrilegus fias quoad cor tuum Numini consecratum; vide, vt sanctа sanctè tractes; nec auferas quæ DEI sunt, DEO. Ad extremum, si se in cor insinuare velit aliena affectio dices: *Serò venisti: iam alteri dedicatum est:* cupiditati hîc vel alteri DEO non sacrificatur, nisi vero & vni DEO.

§. XV.

Inſcriptio in Societatem Amoris,

Tempus tuum, tempus amantium. Ezech. 12.
Diligentes me diligo. Prou: 8.

1. MVltiplex eſt ſocietas, ac prout ſunt ſocij, ſic illa eſt bona vel mala: ſed nihil hîc de malis. *Societas* bona eſt tum *timoris*, tum *Societas amoris*. Ad primam pertinent, qui in actis Apoſtolorum dicuntur *Viri timorati*: Ad alteram ſpectant ij, de quibus illud Ezechielis trahi poteſt: *Tempus tuum, tempus amantium.* Sed timor filialis non ſecluditur ab amore, qui tantùm *foras pellit* ſeruilem *timorem*. Proinde qui ad ſocietatem amoris aſpirat, etiam *Timoris non ſeruilis ſocietas* illi ineunda.

2. Inter affectus voluntatis eſt præcipuus amor, quem etiam DEVS ſibi totum ex eſſe vendicat, cum iubet diligere ſeſe ex toto. Multùm intereſt, cui res tam pretioſa adhæreſcat: vide igitur, quid diligas, quid tam præſtanti voluntatis actu digneris. nam de multis conqueritur Chriſtus: *Dilexerunt magis tenebras, quàm lucem.* Et Dauid expoſtulat: *Vt quid diligitis vanitatem?* Tu ſi in ſocietatem Amoris mox explicandam inſcribaris, benè amorem collocâſti.

3. Thomas Sanchez ſcripto teſtatus, ſe vnicè deperire SS. Sacramentum, IESVM Crucifixum, & MARIAM Matrem IESV. En amores huius eximij Sacerdotis: *& tuum tempus* eſto hæc *amantium.* Ego quintuplicem tibi ſocietatem ſuadeo, quæ tamen omnes vnam Societatem Amoris conſtituunt

Prima Societas amantium SS. Trinitatem, DEVM vnum & trinum; in qua ſocietate prænobiles

ſunt

sunt Personæ, nimirum Sanctorum Seraphicè viuentium & Diuinæ Trinitatis mysterium speciali cultu & amore prosequentium; item Seraphinorum trisagion illi canentium, B. Virginis, Christi & DEI seipsum amantis.

Secunda Societas est amantium specialiter Verbum Incarnatum; in qua sunt singulares itidem Personæ, B. Virgo, SS. Michaël & Gabriel, S. Ioseph, SS. Apostoli, S. Augustinus, S. IGNATIVS vterq; &c.

Tertia Societas est amantium intensissimè Christum Dominum in SS. Eucharistia: in qua est S. Ioannes Euangelista, S. Andreas Apostolus, S. Chrysostomus, S. Thomas Aquinas, &c. & nostræ Societatis Sancti. Certè Augerius *SS. Eucharistiam* appellauit *Sacramentum Societatis IESV*.

Quarta Societas amantium Christum Passum & Crucifixum; in qua est S. Paulus, S. Franciscus, Sancta Brigitta, &c. &c.

Quinta Societas est diligentium Verbi Incarnati Matrem; cui etiam Ecclesia illud accommodat: *Ego diligentes me diligo: Omnes qui me oderunt, diligunt mortem.* In hanc quintuplicem Societatem plurimi sunt inscripti, de quibus dicatur: *Multiplicâsti gentem, & magnificâsti lætitiam.* Inter hos & tu inscribere, & leges obserua.

4. *Leges harum Societatum* digito DEI scribuntur in tabulis cordis, quarum *Prima est*: Ama & redama. *2da.* Trahe alios ad amorem: Omnia traham. *3tia.* Transfigurare in amatum, & exprime illum in tua viuendi ratione. *4ta.* Amor non sit verbo neq; linguâ, sed opere & veritate. *5ta.* Propter amatum age, & quàm plurima patere. *6ta.* Omnia quotidie ad amati cultum ordina & dirige, & ex amore illius omnia operare. *7ma.* Quod huic Socie-

etati contrarium eſt ac repugnans, amolire; nilq; in tuo corde angulum inueniat, quod ſe in amorem non propter hæc quinque accenſum inſinuet. *Sua.* Specialiter ad hæc myſteria afficere, de illis ſæpius cogita & ardentiùs.

§. XVI.

Liberalitas in DEVM.

Qui parcè ſeminat, parcè & metet &c. 2 Cor: 9
impendar & ſuperimpendar. 1. Cor: 12.

1. LIberalitatem hanc inculcat S. IGNATIVS noſtræ Societatis Parens, dum ait. *Quantò quis liberaliorem ſe DEO exhibuerit, tantò illum erga ſe liberaliorem experietur.* Eandem liberalitatem meruit antecedens & continua erga nos DEI liberalitas. *Inſuper* Creaturæ ſpecioſum eſt, ſi obſequium DEO præſtet, quod poteſt, nec ſinat, vt tota illa capacitas & vires ſint fruſtra à DEO. *Adhæc* ſi laus erit vnicuiq; à DEO, etſi parcius ſe DEO exhibuerit, quantam à DEO conſequetur olim laudem liberalitas? *Denique* ſi homo homini ſe impendit liberaliter; quidni & DEO, à quo omnia habet & poteſt? Si liberaliter ſeminat ob ſpem vberioris meſſis; quid hîc agere præſtat, vt veniat quis portans manipulos ſuos? Quare deberet in homine ſimilis liberalitas in agendo elucere, qualis in retribuendo promittitur: *Menſuram bonam & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.*

2. Virtus liberalitatis iuxta S. Antoninum attenditur in affectu dantis, non in quantitate dati; ſeu in modo dandi cum amore, promptitudine ac hilaritate, ſine quæſtu & animo quæſtus: *Secundariò* tamen

men consistit in obiecto seu quantitate dati, si cum modo illo sit coniuncta. Ergo & in DEVM sine animo quæstus esto liberalis. Eadem virtus moderatur æstimationi, & affectui rerum, quas possidet; & opponitur illi auaritia per excessum immoderati amoris habendi, prodigalitas per defectum; imò & auaritia deficit in dando. Sed respectu DEI nunquam es prodigus, si te illi totum & totaliter dederis, & omnia tua in eius cultum & gloriam direxeris: auaritia verò hîc locum non habet, vbi nil suum vult homo habere, quod non det DEO.

3. Etsi modum huius liberalitatis videatur satis præscribere illud: *Quantum potes, aude, & da*; tamen facilius modus & mensura dandi ab amore præscribetur. Quadrat huc exemplum de Eduardo Rege Angliæ, qui de pecunia in vsus regni corroganda tale edictum dederat: *Tantum quisque det, quantum diligit* (nempe Regem) dictumque id *Tributum Beneuolentiæ*. Et tuæ liberalitati idem edictum puta: *Tantum da, quantum diligis*: da *tributum beneuolentiæ*; non est parcitas, vbi est charitas, vtique diffusiua sui suorumque; & multò magis se effundet, vbi magis diligit.

4. Actus, quo se quis in seruitium DEO addicit, est donatio suî iuxta illud: *Separabis oblatos Domino de medio filiorum Israel, vt sint mei, quoniam dono donati sunt mihi.* At donatio iuxta Philosophum est *datio irredibilis*: alioquin si velis id, quod donas, ad te redire in æquiualenti, est mutuum, vel permutatio; si idem numero; est depositum vel commodatum. Item donatio est contractus gratuitus, quo res traditur sine pretio & mercede. Ergo gratis viuere debet DEO, qui se illi donauit, nec manum ad præmium exporrigere, vt sancta illa 4. animalia, de quibus illud: *Et manus hominis sub pen-*

nis.

nis eorum; ceu nihil egiſſent ac dicerent: ſerui inutiles ſumus. *Quò ſpectat* & viſio illa Sapientiæ æternæ ſancto Iuoni oblata ferentis ignem & aquam, vt his elementis incenderet cœlum, extingueret infernum, ne homo DEO ſeruiret intuitu mercedis, & retributionis. Et tamen plus meretur, qui gratis DEO ſeruit, vnde Chryſoſtomus: *Tunc tibi augetur merces, cùm non ſpe mercedis, ſed ſtudio placendi operaris.* Et Auguſtinus: *Gratis cole DEVM, & ipſum accipies.* Illi etiam operarij in vinea ab vndecima hora, laudantur à Patrefamilias, cùm primi, qui *ſuſtinuerunt pondus diei & æſtus*, non laudentur: quia nempe illi conuentione factâ ex denario diurno operati; alijs dictum ſimiliter: *Quod iuſtum fuerit, dabo vobis*; at verò vltimi non conducti ad laborandum in vinea acceſſerunt. Quare ad gratis DEO ſeruiendum tua etiam ſe extendat liberalitas: ſit hîc donatio liberalis & gratuita.

5. Multiplex liberalitas in DEVM exerceri poteſt. *Primò Liberalitas Puritatis*, in cauenda minima offenſa & labe animæ ac imperfectione etiam non peccaminosâ, vt ſimus immaculati in conſpectu eius in charitate. *2dò. Liberalitas intentionis* & oblationis, totum te & omnia tradendo quoad corpus & animam & bona extrinſeca, non tantùm per vota, ſed etiam omnes actiones & momenta vitæ in DEVM referendo, & purè propter DEVM omnia agendo. *3tio. Liberalitas in modo actionis*, totâ applicatione, attentione & perfectione, intensè ac feruenter operando. *4tò. Liberalitas temporis*, illud in rebus Diuinis non minuendo, ſed potiùs extendendo: libenter illud, nec curſim ac perfunctoriè Diuinis rebus & obſequio animarum ac virtutum exercitijs impendendo: item particulas temporis benè & meritoriè in actione externa vel interna collo-

collocando. *5tò. Liberalitas tolerantia* in omnibus, ab omnibus, & perseueranter. *6tò*, Ad opera supererogationis te extendendo, non tantùm ad obligantia. *7mò*. Ad multa te DEO, Superioribus, & promptè, & purâ intentione offerendo, & gaudendo te multis occupationibus continuò proptèr DEVM ab obedientia distineri ac destinari. *8uò*. Occasiones benè merendi de DEO acceptando, arripiendo, non negligendo, prensando & quærendo, vt abundes in omne opus bonum. *9nò*. Gratuitò omnia faciendo sine spe, affectu ac desiderio solatij, vel præmij aut commodi proprij, compensationis, laudis, nec in re, nec in acceptatione, nec domi, nec foris, iuxta illud: *Gratis date*; operando etiam sine intuitu mercedis æternæ, seu etiamsi illa non esset danda, tamen DEVM propter DEVM amando, & illi propter se seruiendo. *10mò*. Impendere & superimpendere sese vsq; ad impendium vitæ pro DEO, & dispendium famæ, honoris, sanitatis, commoditatum. *Præterea* optare DEO maximum cultum & gloriam à Creaturis, eius cognitionem & amorem maximè dilatando pro virili. *Deniq;* conando agere supra habitum, iuxta totam capacitatem & virium latitudinem.

§. XVII.

Pacta cum DEO.

Feriam pactum. Isaiæ. 55.

Hoc est pactum inter me & vos. Gen: 17.

1. LIcet cum DEO pacisci, & pulchrum est, si fœdus cum illo ineat Creatura. Pacta inter homines aliqua ad tempus seu induciæ: alia æter-

na. Cum DEO quæ hîc ferientur, æterna sunto. Hæc autem pacta, sunt quædam promissa DEO facta sponte, quæ etsi obligationem voti non contineant, tamen liberum est ad aliqua etiam voto sese obstringere. Eadem non ita onerosa sunt, quin etiam sint lucrosa. nihil enim in gratiam DEI promittitur, quod non etiam Creaturæ fæneretur apud DEVM.

2. Quod si alij faciunt pactum, & cum hoste, & amicitias pangunt; quidni tu cum DEO per pacta firmes amicitiam? Plus hic amicus tibi conferet, quàm per pacta velis: tantùm vide vt fidem serues, nec sis fædifragus. *Hæc pacta* iam exponam, quæ scribere licet sanguine non tuo, sed Christi, & roborare in sacrificio coram cœlesti Curia.

3. *Primò*. Quotidie (quatenus id per gratiam & auxilia DEI possibile, certè est appetibile ad maiorem cultum, gustum & gloriam DEI) volo augere intensionem & bonitatem actuum proportione tali Geometricâ, qualis iam huc vsq; per minuta decima vel centesima creuisset, si à primo instanti creationis mundi habuissem intensissimos actus amoris Seraphici vel MARIANI, & simul si illo instanti Seraphicos & omnium creaturarum rationalium elicitos, eliciendos, vel elici possibiles ac debitos actus bonos in primo illo actu contentos & coadunatos elicuissem, ita vt secundo instanti elicitus actus esset intensior proportione ductâ per numerum arenæ maris vel atomorum in àere, vel toto mundo; vel numerorum supremi cæli superficiei inscribendorum, vel aliâ grandiori proportione Seraphicis intellectibus excogitabili. Item volo cum simili proportione singulas actiones quotidie sic augere, v. g. cum sic intensiori amore in DEVM & deuotione celebrare, orare, breuiarium recitare, obe-

re, obedientiæ & aliarum virtutum actus elicere.

2. *Secundò.* Quoties hanc actionem pono v. g. gressum aliquem vel ictum oculi & arteriæ, vel aliquam aliam; toties volo omnes actus meritorios & quicunq; DEO grati fuerunt, & erunt, in Christo, in B. Virgine, in sacrificijs, Martyrijs, conuersionibus animarum ad DEVM, mortificationibus, eleëmosynis, actibus heroicis, actibus virtutum quarumlibet approbare, ratificare, offerre, huic actioni includere, replicare in momentis & atomis rerum & actionis, illos quasi actu elicere, & me ad illos cum gratia DEI offerre, & eius occasioni me immistum velle, & Seruos DEI insignes velle reproducere, aut reproduci, qui similes actus elicuerunt vel elicerent.

Tertiò. Quoties actum aliquem bonum pluries elicio v. g. amoris Diuini vel alterius, *non tantùm volo alium sequentem* ab alio in dicta illa proportione, de qua proximè actum, superari; *Sed etiam volo in eo actu omnes alios similes*, tum meos, tum alienos in quacumq; temporum reuolutione elicitos & eliciendos esse inclusos, & sic DEO oblatos: v. g. in Missa omnes omnium dignas celebrationes quouis loco & tempore: in vocalibus orationibus vel mentalibus omnem omnium in similibus deuotionem ac feruorem &c. *Similem* proportionem *volo crescere* in literis, dum lego, scribo, in ictibus disciplinæ, in salutationibus Angelicis Rosarij vel Coronæ, in gressibus & dictis &c. *Item volo æternitatem actui tali cuilibet, & illum substituere* loco aliorum malorum actuum meorum & alienorum, & loco bonorum in multiplicatione cogitabili: Item *volo omnia agere nomine omnium Creaturarum, nomine Cœlestium, terrestrium & infernorum*; ita vt quæuis actio mea, qua DEVM glorificare volo, sit glorificatio ab omni

Creatura

Creatura, per me elicita. Item *volo agere totâ meâ & vniuersi entitate & atomis partium*, adeoque *volo* vt glorificatio D E I à me proueniens sit toties replicata & multiplicata simul toties : Item *volo agere* omnia tributariè supremo Domino vniuersorum, & Regi sæculorum homagialiter tributum laudis, amoris, gratitudinis, subiectionis impendere &c.

Quartò. Volo *omnia agere* intentione illâ, quæ in fine libri huius apponitur, vel aliâ meliori, adeoquè tum Christum Dominum imitando dicentem, *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, sic facio*; tum S. Magdalenam de Pazzis, quæ dicebat : *Si crederem me vno verbo dicto ob alium finem, quàm ob amorem D E I, euasuram in Seraphinum, nunquam id dicerem*, volo agere, pati omnia *ex amore erga D E V M* atque *id voueo*, ita, *vt omnis actio mea sit amor elicitus, vel imperatus*, etiam amorem concupiscentiæ, quo mihi Bonum æternum volo ac spero, reducendo ad amorem amicitiæ vel beneuolentiæ; quòd illud bonum velim non vt id est mihi bonum, sed vt DEO gloriosum vel honorificum. *Potes etiam* illâ formâ dicendi vti, quâ S. Augustinus : *Amore amoris tui facio id, Domine.* Sanè amor, vt Diuvs Thomas ait, est causa omnium quæ amans agit; & ex hoc amore agit, quæcunq; agit.

Quintò Quòties fit mentio D E I in legendo, audiendo, scribendo, dicendo; toties volo omnia, quæ debentur D E O à creatura omni perfectione ac intensione; item quæ illi vnquam exhibita, vel exhibenda sunt, & quæ ab ipso D E O fiunt se comprehensiuè cognoscente. *Quoties itidem fit* mentio Christi, B. Virginis & Sanctorum Cœlitum; toties ea, quæ ipsis possunt ac debent exhiberi in omni intensione & perfectione à me, ab alijs, dignè & adæquatè ad illorum merita, & creatas vires gratiâ ad-

iutas, actu exhibita esse volo; & toties eorum merita approbo, offero, opto per omnia momenta eaque replico toties. *Quoties fit* mentio peccati, vel peccatoris; omne tunc odium, detestationem, dolorem, compensationem offensæ, exhibitis actibus amoris alijsq; possibilibus volo, cum oblatione satisfactionis Christi, & eius actuum infiniti valoris, ac exhibiti honoris Patri æterno ab illo & ab alijs Sanctis, cum oblatione virtutum oppositarum illis peccatis, à Sanctis exhibitarum, & cum desiderio ardenti & amoroso, vt cessent offensæ Bonitatis Diuinæ, neque pereat pretium Sanguinis in tot animabus. Quod idem volo, dum audio pænitentium peccata. *Quoties fit mentio* bonorum actuum; fiat approbatio, oblatio eorundem, gaudium de glorificatione DEI per illos, postulatio augmenti eorum.

Sextò Paciscor item de æterno peccati etiam leuis deliberati odio, etiam oblatis omnibus mundi bonis, & intentatis quibusuis terroribus malisq;.

Septimò. Paciscor, quòd omnia velim agere in & ex latria erga DEVM; in & ex hyperdulia erga B. Virginem & dulia in Sanctos, idq; etiam voueo: *item* ex motiuo & affectu omnium virtutum, ita vt hæc & quæuis actio sit omnis amor DEI, omnis adoratio, laus, resignatio, gratitudo, detestatio peccati, submissio &c.

Octauò. Confirmo pactum de Societate amoris quintuplicis: de Purgatorio desiderij & amoris continuo: de Igne amoris æterno: de Martyrio perpetuo: de permutatione & dedicatione cordis, & desponsatione voluntatis DEO: de fœdere contra rebellionem propriæ voluntatis: de præparatione mortis horaria, de quibus omnibus actum suprà: de continua victoria mei ipsius ac mortificatione.

Nonò.

Nonò. Quoties tentatio animum pulsauerit; paciscor, me DEO totaliter adhærere velle, & nullatenus ab eo separari; & contrarios bonos vel amoris Diuini actus tunc substituo & substitutos volo, ac vt illa molestia, quam tunc patior, sit actualis amor & laus DEI, & omnis iustitia.

Decimò. Quoties horam vel quadrantem indicabit horologium; toties actus virtutum quosdam breuiter eliciam, vt adorationis, amoris, contritionis, intentionis renouatæ, renouationis votorum, variæ postulationis pro viuis & defunctis, examinis horarij, præuisionis circa agenda & vitanda horâ subsequenti: Glorificationis MARIANÆ: compensationis offensarum DEI per orbem &c.

Vndecimò Quidquid agam ad DEI gloriam maiorem: nunquam id secernam à cultu debito B. Virginis, tum in actionibus, tum in mortificationibus; & toties approbo omnia exercitia cultûs erga illam in fine Facis *2dæ.* descripta, vel ab alijs facta scriptaq;.

Duodecimò. Actus quoscunq; ad DEVM referibiles (vti & cessationes vel omissiones debitas) proprios & alienos, oblatos & non oblatos, actu ad DEVM refero, & relatos esse ac fuisse volo, ita vt nullus actus & cessatio non sit ad vltimum Finem id est, DEVM directus.

Decimotertiò. Pactum de omnium satisfactionum cessione facta animabus Purgatorij tam in quolibet opere in vita, quàm quæ post mortem mihi applicabuntur, ex voto confirmo, & cedo easdem semel pro semper.

Decimoquartò. S. Augustinus ait: Hoc mihi tecum pactum erit, dulcissime JESV. *Plenè moriar mihi ipsi, & tu solus in me viuas.* Illud etiam Christus Dominus à quadam persona pactum requisijt:

Cogitat

Cogitatu de me, & ego cogitabo de te. quamuis citra hoc pactum cogites de te D E V S.

Decimoquintò. In pactum deduc ea, quæ superiùs posita sub titulis, *Diues ex alieno, Diues ex nihilo.* Item vouendo omnia, quatenus potes, pro viuis & defunctis pro conuersione peccatorum, paganorum, hæreticorum; pro agonizantibus, pro tentatis & afflictis, & captiuis apud infideles, pro iustis, vt perseuerent & augeantur, pro tua Congregatione, amicis, inimicis.

Decimosextò. Huc refer pacta illa ex Sallutio: Tibi D E O & Creatori meo Patri, Filio, & Spiritui Sancto, ego misera & infelix Creatura me tibi dedo, consecro in perpetuum seruulum & mancipium donatione & resignatione, quam tu concipis maximam, cum firma voluntate, tuam in omnibus quærendi & perficiendi; & in testimonium aduoco B. Virginem ac omnes Sanctos, quos rogo, vt meæ pollicitationi per eorum suffragium satisfacere possim ad gloriam & laudem tuam.

1 Quoties dixero, *ô I E S V tibi me offero*; tunc volo cum ea efficacia & affectu & offerendi sublimitate ac perfectione, quam tu potes concipere, offerre me & omnia mea cum renuntiatione carni, dæmoni, mundo; offerre tibi volo diuitias omnium rerum conditarum & quas creare posses, ita vt si meæ essent, eas amore tui in tui cultum effunderem: offerre tibi volo omnes infamias, iniurias, quas aliqui tolerârunt, vt si tibi placitum esset, voluissem eas amore tuî tolerare: offerre omnes dolores, cruciatusq́; Martyria, afflictiones omnium: omnia item bona opera quorumcunq́; & sacrificia cum voluntate ea agendi amore D E I: offerre me volo ad omnia eo modo, quo tibi placet; offerre omnes labores, dolores & merita Christi, B. Virginis & SS. &c. &c.

2. Quo-

2 Quoties dixero: Domine, *Peto à te.* toties postulo mihi alijsq; concedi ea, quæ in oratione Dominica, ea quæ Ecclesia rogat, ea quæ vis à te postulari, ea quibus maximè indigeo alijque, & per quæ obtenta maximè tibi placere possimus; vt etiam dona Spiritus Sancti & fructus, cognitionem & amorem tui, cuiq; statui & ætati necessaria ad salutem; peccatoribus, afflictis, iustis, animabus purgatorij &c. &c.

3. Quoties dico: Domine, *Gratias ago tibi*; toties ago affectu gratitudinis excellenti tum pro beneficijs Humanitati Christi, B. Virgini, & omnibus Cœlitibus, tum mihi collatis &c. IV. Quoties dico: *Domine te laudo & benedico*; volo omnes laudes, quæ datæ tibi vel dari poterant possentq; ab omnibus Creaturis, quas tibi dant sacræ literæ & omnes libri, quas Angeli & Sancti, quas B. Virgini & Christus, quibus te afficere possent infiniti mundi, ac creaturæ infinitæ & omnes possibiles ac cogitabiles, & à te conceptibiles; & opto ad id, totidem corda & linguas habere ignitas, vt sunt in Seraphim & B. Virgine ac Christo, vt tibi laudes te dignas tribuere possim. V. Quoties dico, *Amo te* vel: *DEVS meus & omnia.* vel. *Transforma me totum in te, vni me tecum* inseparabiliter; toties volo, quæ hic perfectissimè & tibi placitissimè cogitari & desiderari ac tibi exhiberi possunt.



b

§. XVIII.

§. XVIII.

Homo DEVS.

SEV

Imitatio Omnipotẽtiæ, aliorumq́; quæ sunt DEO propria.

Si vis, potes. Mat. 8. *Similes ei erimus.* 1. Ioan. 3.

1. DOctor Angelicus Sorori suæ medium ad sanctitatem postulanti respondit: *Si vis.* Nempe omnipotens est cum auxilio gratiæ Diuinæ voluntas nostra: potest omnia, si velit cooperari DEO: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Itaque in oborta tentatione superanda dicendum tibi: *Si vis, potes* superare; adest præstò gratia, illamq́; vberiorem si postules, habebis. In arduis aggrediendis *si vis, potes:* In victoria tui, in virtute sublimiùs prouehenda, *Si vis, potes.* Esto ergo sic omnipotens. Sane si tibi daretur potestas patrandi omnia miracula, quæ Omnipotentiæ Diuinæ propria sunt; quantùm te pro eo censeres obligatum DEO? quomodo hâc potestate vtereris? At miracula virtutis potiora sunt; vtere potestate datâ cum auxilijs gratiæ ad ea patranda, nec *in vacuum gratiam DEI* recipias.

2. Omnipotentia *DEI* relucet cum in ijs, quæ produxit ex nihilo; cum in effectibus supernaturalibus, & miraculosis; cum infinitis alijs possibilibus, seu quæ potest facere. Quæ nihilum suum bene cognoscit, sibi diffidit, nihilq́; sibi tribuit, talis anima aptissima est, vt per illam ac in illa Spiritûs sancti gratia multa & mira operetur. nam hæc

 humili-

humilibus datur. Actus iustificantes & meritorij sunt supernaturales, quos tamen & tu cum gratiæ auxilio elicere potes; in modo etiam operandi si ad omnem possibilem actu vel conatu aspires, & tuos actus infinitis Christi actibus meritorijs conjungas, & omnes possibiles desideres *DEO* exhibere; etiam hæc erit quædam voluntatis omnipotentia.

3. Quia verò omnia potes cum adminiculis cœlestis gratiæ; hinc tria infer. *Primò* Propositum non accipiendi in vacuum gratiam *DEI*, sed illi cooperandi semper, vt de se Paulus fatetur: *Gratia DEI in me vacua non fuit.* *Secundò.* Cùm possis omnia, sed non sine auxiliante DEO; *ini fœdus cum hoc Auxiliatore, cum Gratia* Præueniente & Efficaci, vt tecum sit & tecum laboret; eam quotidie implora tibi & alijs: *te illi* vt seruulum, vt clientem, vt discipulum, vt alumnum, vt lactentem altrici & manuductrici ac dominatrici offer ac deuoue. *Tertiò.* Cùm omnia possis, sed cum DEO tantùm, nihil sine DEO; ergo quid glorieris, *quasi non acceperis?* quid superbias, ceu de tuo? *Da gloriam* soli *DEO, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia; ipsi gloria in sæcula,* sine quo pauper es, miser & miserabilis, Christusquè dicit: *Sine me nihil potestis facere.*

4. *Similes ei erimus* in Patria; simus & in via, etiam in alijs attributis Diuinis eum imitando. vide dicta in Face secunda §. XLIII. Hic addo quid requirant, & qualem in nobis expressionem DEI velint Sancti. Dionysius *immutabilitatem* nobis commendat: *DEI* enim, inquit, est *eodem modo semper se habere.* Leo Papa *imitationem Diuinæ Voluntatis* inculcat: Augustinus *imitationem amoris Diuini.* S. Petrus *in sanctitate* DEVM imitari iu-

bet. Paulus *longanimitatem DEI* commendat. Euangelium hortatur: *Estote misericordes*, estote perfecti, sicut Pater cœlestis; qui etiam solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Petri monitum alij Scripturæ cōforme: *Sancti estote, quia ego Sanctus sum.* Deniq; DEVS sese definit: *Qui est, misit me ad vos. Qui est*, tibi conueniat quoad studium & perseuerantiam virtutis, *non qui fuit, vel qui erit*: nec fuisse bonum sanctumq; tantopere est laudabile, si iam non es: nec futurum, si non es adhuc; Sis, Qui est: age & viue sanctè in præsenti. S. Bernardus etiam definit DEVM: *Quid est DEVS*, inquit? *est beneuolentissima virtus formans ad beneuolentiam.* Et tu beneuolentiâ ac benefica benignitate omnes complectere.

§. XIX.

Paraclitus DEI.

SEV

Consolatio quædam Diuinæ Triados, & compensatio iniuriarum, quas per orbem terrarum in momenta patitur DEVS.

DEVS tactus dolore cordis intrinsecus, Gen: 6.
In seruis suis consolabitur DEVS, 2. Mach. 7.

1. IN Personis Diuinis est Paraclitus seu Consolator: si caderet in DEVM tristitia, nullus magis egeret consolatore, quàm DEVS. nam vix est, qui non contristet illum in terris: quod innuit Paulus monens, *Nolite contristare Spiritum S.* Hæc

contristandi DEI malignitas cœpit ab initio mundi, & Agnus dicitur ab origine mundi occisus, cùm in esu ligni Crucem homo fabricauit Creatori; creuitquè mox malitia hominum, ita vt de DEO dicatur, quòd *tactus dolore cordis intrinsecus* dixerit, *Pœnitet me fecisse eos*: & durat huiusque augeturq; similis malitia, proinde exspectat consolatorem Dominus: consolamini, consolamini illum filij hominum.

2. Capiti compatiuntur reliqua membra: quò maius vulnus, eò dolor maior; quò maior is, qui patitur & amabilior, eò maior oritur debeturquè illi compasio. Mensura huius est dolor, quo aliquis afficitur; crescit, si offensus sit innocens, si illustris, si beneficus in te & omnes, si illum debeas amare & ames super omnia; & talis est DEVS. Nemo plus patitur & diutiùs, ideoq; DEI longanimitas prædicatur in Scriptura. Quot peccata, tot tela in cor Diuinum directa & infixa: *non est, qui faciat bonum, non est vsq. ad vnum*; nulla ætas, nulla conditio ab hac in cor Diuinum laniena vacat, quin sagittet *Immaculatum*. Vide, quem hæ sagittæ cruentent, in quem hæ lanceæ vibrentur; vtique in Amorem & amatorem tuum, & in purum putum Bonum.

3. *In seruis suis consolabitur DEVS*, ait Scriptura. Habet suos Paraclitos; sed *aliqui onerosi sunt Consolatores*, qui aggrauant dolorem, dum solantur; eò quòd vnâ manu solatia propinent, alterâ poculum nouercale, nec plùs mellis, quam fellis offerant: dum & illa, quæ faciunt bona, malis plurimis permiscent; & in vnius aut alterius virtutis studio, mille vitijs scatent. *Aliqui Paracliti* paulò meliores, sed *ad tempus*; solatia dant maxima, sed non diuturna, ob virtutis inconstantiam, eò quòd in tentatio-

tentatione recedant. *Rarior est Paraclitus*, cui dicatur: *Consolationes tuæ lætificauerunt animam meam, secundùm multitudinem dolorum*: Lingua huius consolatoris eucharis, suauis est, ad quam anima Sponsi liquefacta; nihil in eius factis & intentionibus DEVM contristat; de præteritis vinum compunctionis, vinum lætificans Diuinum cor exprimit, dum sæpe conteritur, & de cætero non audet ori Dominico dare *suam acerbam*. Si alicubi mæstior animum Sponsi ferit symphonia; apud illum suauis modulatio: *In te cantatio mea semper*; cantat *canticum nouum*; nam vetus est, quod contristat, cæpitq; in Paradiso voluptatis.

4. Esto & tu Paraclitus DEI, ne iterum querimoniæ sit locus: *Non est qui consoletur* eum. Quare *inprimis omnes vires* & potentias in dolorem concita, omnes dolores & compassiones in tuum cor congrega, omnes creaturas in doloris societatem aduoca, omnium cordibus de DEI summè amabilis offensis & iniurijs dole, eas detestare, & affectu MARIANO sub Cruce condole: *opta* ex animo, vt desinant offensæ Diuinæ in mundo, vel saltem minuantur: *postula* peccatoribus gratias efficaces ad resipiscendum, & pro peccatorum conuersione omnia, quæ ages & patieris, offer: *monitis* salubribus, & piâ cohortatione ac exemplo ad eorundem conuersionem collabora (*Docebo iniquos vias tuas*) & sic ad Paracliti Diuini rationem aliquatenus accedes: maximè si nil ipse agas, quod contristet; & operibus sanctis lætifices ac vitæ sanctitate.

5. Sed præter solatia, etiam iniurias, quas DEVS per orbem patitur, compensare stude. *Omnes ergo* & singulos omnium actus peccaminosos, & singulas in specie, numero, gradu, & intensione ac extensione malitias compensa per actus amoris

Diuini, appretiationis Diuinæ, adorationis & contritionis, laudisq́, multiplicatos in maxima, quam cogitare poteris, proportione; si fieri potest, *vnicuiq́ gradui malitiæ* in peccato quouis contentæ correspondente: *Omnium corde* & affectu zelatorum gloriæ Diuinæ, assumptis etiam cordibus & personis peccatorum eosdem sanctos actus exercendo, *in vnione illorum* cum actibus Christi omnibus & peccata detestantibus, & colentibus in amore æternum Patrem, & actibus B. Virginis ac Sanctorum: huiusmodi actibus compensatiuis *implendo omnia instantia* & momenta actionum peccaminosarum quarumuis; & *replicando hos actus* compensatiuos in omnibus momentis vitæ peccatorum, & atomis omnium creaturarum, cum continuo eorum augmento maximo excogitabili. *Restitue* pro illis honorem læsæ Excellentiæ, Dignitati & Immensitati Diuinæ, in cuius conspectu flagitia sunt patrata (*Et malum coram te feci*) *Restitue* honorem cultumq́; debitum, ac simul deprecare Omnipotentiam DEI, quam seruire fecit iniquus in peccatis suis, eius concursu abusus in contumeliam Creatoris: *Deprecare & solare Bonitatem* ac Charitatem DEI pro ingratis, quòdq́; *amor non ametur*; & sic alia attributa Diuina & Personas solare, Curiamq́; cælestem cum Matre Dolorosa. *Iuuat sæpius* in vim compensationis & solatij Diuini plenioris, offerre Diuinæ Triadi infinitè gratiora Christi merita, eius Passionem, mortem & satisfactiones, idq́; pro singulis actibus malis & momentis ac gradibus malitiæ; *item* actus bonos & satisfactiones, B. Virginis & Sanctorum offerre, *nec non* varias pro peccatoribus tuis afflictationes, adinuentiones, & contraria eorum peccatis virtutum exercitia, tum sub Bacchanalia, tum aliàs. *Deniq́* dum euigilas noctu, breuiter in

com

compenſationem offenſarum DEI per orbem nocturnarum, aliquid breuiter DEO offer vel elice modo dicto. Sic ſolatium capiet à te DEVS; quod etiam illi dare conaberis ſimili modo, dum audis confeſſiones pœnitentium & peccata. *Manè, meridie, veſperi,* Roſaria conſolationis Diuinæ percurre.

§. XX.

Familiaris cum DEO conuerſatio animæq; Recreatio.

Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. Prou: 8.
Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius. Cant: 7.
Non habet tædium conuictus illius. Sap: 8.

I. THomæ Kempenſis oratio indicat, quæ illi conuerſatio fuerit ſuauiſſima: *IESVS & MARIA ſint mecum ſemper in via, in omni loco & in omni tempore pro bona cuſtodia.* Et DEVS noſtram conuerſationem ambit, qui teſtatur ſibi *delicias* eſſe *cum filiis hominum*; & Paulus innuit, quòd *noſtra conuerſatio in cælis* & cum DEO eſſe debeat. Facilè hæc iniri poteſt, facilis ad Dominum hunc acceſſus; vocamur ad illum: *Accedite, & illuminamini;* & ipſe vltro ad nos accedens dicit: *Ego ſto ad oſtium & pulſo; ſi quis aperuerit mihi, intrabo & cœnabo cum illo.*

2. Familiaritas cum ſolo DEO inita & amabilis cum eo conuerſatio, eſt vnica animæ recreatio: *melius eſt cum DEO momentum, quàm cum creatura æternitas.* non habet tædium conuictus illius; & qui cum illo vel tantillum eſt, dicet, *Bonum eſt nos hîc eſſe.* Dixi, *cum ſolo DEO*: nam ſi aliud ſi

simul cordi familiare extra DEVM, turbat gaudium cordis. Monet proinde Augustinus: *DEVS solus est finis desideriorum*. qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.

3. *Non est bonum hominem esse solum*, dicebat DEVS. *Solitudo tamen* (vt inquit S. Thomas) *non tollitur* per associationem alterius extraneæ naturæ; vnde tu solus esse diceris in horto, etsi tecum sint ibi plantæ & arbores: quare solus es, si tantùm creaturæ tecum irrationales. quod si sint intellectuales, etiam illæ solitudinem à te non depellent; quia cùm non sint vbiq; & semper, vbicunq; & quando fueris sine illis, solus eris. At DEVS vbiq; est & semper: Si sis cum illo, non solus eris: nam vbiq; Dominus tecum. Ne ergo solus sis, quòd non sit id homini bonum, adiunge te DEO, ambula cum DEO, & cum illo familiarem coniunctionem ineas.

4. Henrico Susoni apparuit Diuinus Amor in forma Iuuenis infinito decore coruscantis. In facie illius inscriptum fuit: *Pulchritudo*. In capite inscriptum: *Æternitas*. In ore inscriptum: *Suauitas*. In veste: *Felicitas*. In manibus inscriptum: *Rerum omnium abundantia*. Quàm suauis cùm hoc conuersatio, animæq; recreatio! Tantillum illi duo Emmauntem euntes cum eò conuersati, & orant; *Mane nobiscum*: quantum enim est bonum suauiter commorari cum tam amabili, cum bono æterno; & ditari à tam felici & abundanti rebus omnibus: delectari cum tam pulchro, de quo etiam Areopagita ait: *DEVS est Primum Pulchrum, & causa omnis Pulchri*; neque Spiritus cœlestes æternis Pulchri fulgoribus coniunguntur, seu æquiparantur! Cum hoc conuersare, & semper gaudebit cor tuum; nam, vt ait Angelicus, *gaudium de bono Diuino est æternum ac inuariabile*.

5. Quæ familiarem faciant vnum alteri, quibus modis familiaritas conseruetur, quomodo conuersandum cum illo, cum quo conuersatio debet esse simul reuerentialis; tecum id expende & exequere. Amabilem & affabilem te in hac conuersatione exhibe, & dilectioni mutuæ te impende, memor illius, quod ait Bernardus: *cùm DEVS amat animam*, Immensitas amat, amat Æternitas. *Unde necesse esset*, vt anima immensè & æternaliter redamaret. Suauiter & simul reuerentialiter cum eo confabulare: effunde te in hanc conuersationem: quæ placitura ei noueris, exhibe, quæ nauseam pariunt, caue & submoue: *exulta ei cum tremore* in hac conuersatione, in qua varia postula, pro alijs etiam non ingratus; nam vt rectè Augustinus: *Non est dignus dandis, qui non est gratus pro datis.* Est autem gratitudo iuxta Albertum Magnum, *extollentia donorum cum annihilatione suijpsius.* Nota verò hic obiter, quod quisquis est gratus pro beneficijs Diuinis, bis DEO obligetur, imò pluries; nempe & pro beneficijs, pro quibus est gratus; & pro hoc ipso, quòd sit gratus; nam idipsum nouum DEI beneficium est, & ad id gratiâ fuit opus, vt ad alia virtutum opera. Sic ergo gratus in hac Diuina conuersatione esto, nec minùs huic affectui, quàm *alijs in DEVM* affectibus liberaliter indulge.

§. XXI.

Amissio suî in Abysso DEI.

Abyssus Abyssum inuocat. Psal: 41.

Scrutator Maiestatis opprimetur à gloria. Prou: 25.

1. MVltiplex & vna simul est Abyssus, cui te ac

me immersum desidero. Abyssus hæc DEVS est, qui inexhaustus, & incomprehensibilis, ac *nimis profundæ factæ sunt cogitationes eius, mirabilis facta scientia* illius, & non potero ad eam. Ad fundum creatæ Abyssi vix pertingitur; ad fundum Abyssi increatæ impossibile est intellectui creato pertingere: tenebræ super hanc etiam faciem Abyssi, quæ in tantum penetrari oculo mentis nostræ queunt, quantum lumen est, quod cœlitus affulget. ô homo, qui es altera, sed nihili Abyssus, *Abyssum inuoca*, vt se tibi reuelet, & penetres, quantum potes.

2. Prænoto, quid sit immergi in hac Abysso: item quid amittere sese in eadem.

Primò. Immergi tripliciter explico: *Tum* penitiori cogitatione in DEO Diuinisq; defixum, penitiùs scrutari Maiestatem & profundum conari penetrare pro viribus gratiæ, & quidquid in DEO fides & mens cœlitus illustrata concipit, & concipere pro dignitate DEI potest secundùm totam eius latitudinem, longitudinem, profundum inscrutabile, & sublimitatem ac excellentiam, contemplando Diuina attributa quoad omnes terminos, quos respiciunt: *Tum* immersio hæc dicit te totum esse in DEO, & nihil tuî exstare extra DEVM, ita vt omnes potentiæ tum superiores, tum inferiores sint DEO intentæ ac inhærentes iuxta illud, *Cor meum & Caro mea exultauerunt in DEVM viuum*; quod si nihil tuî extra DEVM est per hanc immersionem, nihil tuî debet esse situm in creaturæ occupatione, in quam mens feratur non propter DEVM: *Tum denique* hæc immersio dicit ex parte voluntatis inhæsionem totalem DEO toto affectu, totâ voluntate ac viribus per amorem ex toto, per laudem ac æstimationem super omnia, per saporationem & gustum DEI super omnia, per obli-

obliuionem creaturarum & separationem ab ijsdem nec vllam inordinatam illis inhæsionem.

Secundò. Amittere sese in hac Abysso DEI intelligo tripliciter. *Inprimis* illud in se experiri (quod ait Gerson) *Vt anima DEVM amando*, sic vniatur ac intimetur illi pelago inexhausto bonitatis ac dulcedinis, *Vt mens nostra dimittat seipsam*, id est *exuta quasi suo esse*, *acquirat esse Diuinum*, ita vt nihil cognoscat, nihil amet, nihil sentiat, nisi DEVM, seipsam verò tantùm nouerit in DEO & per ordinem ad DEVM ac vt quodammodo diuinizetur & transformetur in DEVM. iuxta illud S. Dionysij: *Amor Diuinus amatorem sui iuris esse non sinit, sed in eum, quem diligit, penitus transfert.* II. Præterea amittit seipsum in hac Abysso per extaticam quasi admirationem tantæ Maiestatis, ita vt præ stupore quodam magnalium DEI sit homo extra seipsum, & præ amore (nam teste eodem Dionysio *Amor Diuinus extasim facit*) & præ gaudio de bono tanto iam possesso vel possidendo; planè vt in hac contemplatione DEI, simile quid eueniat, quod Reginæ Sabæ, quæ videns sapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, & cibos mensæ eius, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium, vestesq; eorum, & holocausta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat vltra Spiritum, dixitq; ad Regem: *Maior est sapientia & opera tua, quàm rumor, quem audiui.* Et ecce *plus quàm Salomon hic!* III. *Deniq; amittit se* homo in hac Abysso DEI per comparationem sui, & Creaturarum cum DEO, puta, sui intellectûs cum Diuino, creatæ sapientiæ & finitæ virtutis cum Diuina &c. quæ omnia in creatis respectu DEI sunt merum nihil, vel sicut guttula aquæ, immenso mari iniecta seipsam amittit; Sic enim est creatura comparata

rata DEO, & se comparans. His ergo iam prænotatis immergere, & te amitte.

3. Prima Abyssus est, cui immergaris, & in qua te amittas, est Contemplatio SS. TRINITATIS. hîc intellectum amitte & abnega in obsequium fidei; & tamen, vt potes, vide quomodo in Personis proprietas, & in essentia vnitas, & in Maiestate adoretur æqualitas: quomodo Natura cum attributis communicetur Personis, non item Personalitates Diuinæ indistinctæ realiter à natura: quomodo aliquæ Personæ originentur ab alijs citra vllam perfectionis inæqualitatem vel prioritatem temporis ac naturæ: quomodo tres sint, qui testimonium dant in cœlo, & hi tres vnum sint: quomodo Filius generetur ab æterno, nec desinat generari; *Generationem autem eius quis enarrabit?* &c. Item in singulis Personis considera, quod illis appropriatur, vt Patri Omnipotentia & Creatio, & quòd sit Principium Deitatis, ingenitus nec procedens, sine inæqualitate cum genito, & procedente non genito: Filio Sapientia & Redemptio, Spiritui Sancto Bonitas & Sanctificatio: item quòd Verbum sit Caro factum sine mutatione; quòd communicatâ Humanitati sanctitate, non item Immensitate: item alios eius titulos, vt quòd sit imago Patris, Via, Veritas, Vita &c. Spiritus Sanctus Donum Altissimi quale & quantum: quantus item hic Paraclitus, in quem desiderant Angeli prospicere, teste Petro Apostolo. Deniq; DEVS dicit de se: Quid quæris nomen meum, quod est mirabile! Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis, &c. His intentus cum mentis ratiocinio, te amitte admirando, obstupescendo intellectum abnegando, adorando, appretiando, summè gaudendo de bono Diuinarum Personarum, & cum Seraphim trisagion canendo.

4 Secun-

4. Secunda Abyssus sit Natura Diuina cum attributis & specialiter actibus liberis. Immergere eius Omnipotentiæ tum quoad effectus Supernaturales in substantia vel in modo, tum naturales & quoad omnes eius terminos & latitudinem: Item eius Scientiæ, quâ omnia ab æterno, antequam fierent, prænouit: Scientiæ conditionatorum positâ quâuis conditione: scientiæ possibilium, notitiæ secretorum cordis: Immergere Æternitati nec principium, nec finem habenti: Immergere Pulchritudini, Dulcedini, Charitati, Bonitati, Misericordiæ & Multitudini Miserationum eius, Prouidentiæ in rerum gubernatione, productione, conseruatione, dispositione: Prædestinationi abæternæ ante vel post præuisa merita absoluta: Iterum Bonitati se communicanti in Incarnatione, in SS. Eucharistia, visione beata, alijsq; donis participatis. Item miris DEI adinuentionibus in Ecclesia noua & veteri, in Sacramentis, in gratijs gratis datis, in verbo DEI, in prophetijs & reuelationibus. Liberi actus DEI sunt profundum inscrutabile. In his omnibus te amitte, vt Saba in admiratione Salomonis, & magis: dic *Domine, quis similis tibi?*

5. Tertia Abyssus sint Iudicia DEI in tolerantia & exaltatione improborum, proborum depressione temporali, & mira eorum directione: in exaltatione humilium, & depressione tumidorum: in permissione tot scelerum, & tot reprobandorum, ac tot infidelium, & plurimorum, qui pereunt; in paucis, qui saluantur, etsi possent facilè reduci per miracula & aliquas extraordinarias gratias, quæ alijs factæ, non item illis: in retributione alijs temporali, alijs æterna: in prorogata alijs vita, qui si maturiùs obijssent, salui fuissent: in aliorum morte præmatura, qui rapiuntur, ne malitia mutet intelle-

tellectum eorum: item in alijs abyssalibus DEI iudicijs, in quibus dici debet: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Iudicia tua, Abyssus multa.*

6. Quarta Abyssus est, quam ingressi sunt Beati, vbi se amittunt veluti inebriati ab vbertate domûs DEI, toti in pelago & abysso deliciarum, ingressi in abyssale gaudium Domini sui. Hæc abyssus est Pulchritudinis & amabilitatis & appretiabilitatis diuinæ, abyssus beatitudinis obiectiuæ, quam quisq; profundiùs intrat pro ratione meritorum. Immergere his eorum delitijs & Oceano suauitatum, quas ex DEO, ex Christo, ex Sanctorum contubernio hauriunt diuersimodè pro qualitate meritorum.

7. Quinta Abyssus est DEVS ipse vt seipsum comprehendens, à nullo alio sic comprehensibilis: prout seipsum cognoscit & amat, à nullo sic cognoscibilis & amabilis. Ex his omnibus, quæ ascenderunt, & non ascenderunt in cor tuum & cuiusuis creaturæ de magnalibus & mirabilibus DEI, rapere in stuporem, & dic: *Non est similis tui in Dijs, Domine.* Item rapere in extaticum pœnè amorem & gaudium de tanto bono Diuino ac tuo, quia totum se tibi communicat: Omnia item terrena fastidire disce, nec magni facere, omnibus Creaturæ ornamentis cum Creatore collatis, qui non dubium est, quin plus reseruauerit sibi, quàm dederit Creaturis.

§. XXII.

Charitas in proximum.

Mandatum habemus, vt qui diligit Deum, diligat & proximum suum. 1. Ioan. 4.

1. EX Diui Ioannis sententia non amat DEVM, qui non

qui non amat proximum. quare odium proximi, est etiam quasi odium DEI & Christi, qui sibi reputat fieri, quæ minimis eius fiunt. Proinde D. Thomas 2.2 q. 15. ar. 1. ait, *quòd idem specie sit actus, quo diligitur DEVS & proximus.*

Charitatem huiusmodi suadent & congruentiæ. 1. *Proximus tuus, est frater Christi:* nam idem est Pater omnium Cælestis, qui est Pater Christi, atque ipse: *Dicite fratribus meis:* quidni autem diligas Fratrem Domini, Fratrem Christi? 2. *Proximus tuus est Filius DEI* per gratiam, in qua est, vel certè ad illam restitui potest. Imò vniuersaliter omnes dicimus apud Isaiam ad DEVM: *Pater noster tu, & nos lutum: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* At si Regis filios obseruamus; quidni eos, quibus *dedit DEVS potestatem filios DEI fieri?* De quolibet dicit Angelis suis, quod Dauid: *Seruate mihi puerum meum* Absalon. 3. *Proximus tuus est Concorporeus & Consanguineus Christi,* (vt nos vocat Cyrillus Hierosolymitanus) imò transformatur quodammodo in Christum per vsum SS. Eucharistiæ, ratione cuius dicitur: *In me manet, & ego in eo;* quis verò Christum non diligat? feritur is anathemate à Paulo. 4. *Proximus tuus est Conuiua Angelicus,* nam vescitur Pane Angelorum. *Eiusdem dignitas* crescit *à custodia Angelorum.* quod Hilarius exaggerat dicens: *Pusillorum Angeli DEVM continuò vident: periculosè ille contemnitur, cuius desideria & postulationes ambitioso ad DEVM famulatu Angelorum perferuntur* 5. Pyxidem Eucharisticam colis, & *viuum Christi receptaculum* oderis vel contumeliâ afficias? 6. *Proximus tuus dignus est visus,* ob quem Filius DEI incarnaretur & moreretur in cruce, extrema pro illo passus: *est item* capax cœlestis gloriæ, capax DEI eiusque Gratiæ, per quam participatur certo

modo

modo Natura Diuina: *Idem est* fortassis tecum in cœlo corregnaturus & familiarissimè per æternitatem victurus; & hunc in tempore non diligas? 7. *Nolis dici* credique *homicida*, & tamen *qui non diligit fratrem suum, homicida est*, vt legitur 1. Ioan. 3. *Denique* charitate in proximum vult Christus *nimiam suam in nos Charitatem* rependi: nam ibidem Ioannes dicit Apostolus amoris: *quomodo ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animam ponere.* Quod si vitam pro illis debemus impendere; quidni Charitatem longè minorem & citra dispendium vitæ ijsdem præstemus?

3. Titulos adhuc huius mandati de dilectione proximi expende. Christus illud vocat, *Mandatum meum, Mandatum nouum, mandatum* primo & summo *simile*, quod est de DEO diligendo: Iacobus Apostolus vocat *legem Regalem*: Paulus *plenitudinem legis*, & *quòd operiat multitudinem peccatorum*, nempe & tuorum, qui diligis; & eius, quem diligis, ne illa vel videas, vel citra necessitatem reueles. Ioannes Apostolus vocat *Notam Discipulorum* Christi, imò ipse Christus ait: *In hoc cognoscent, quòd Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem.* Ergo, *diligite alterutrum*, vt monuit Discipulus, quem diligebat IESVS.

4. *Diliges, sicut teipsum.* Modus diligendi proximum clarissimus. Idem vnumq; es cum proximo tuo iuxta illud: *Credentium cor vnum & anima vna*; quare proximum non debes quid reputare diuersum à te, sed quasi teipsum, & diligere veluti sit ille alter tu; in malis ei compatiendo, velut ipse illa patereris: in bonis congaudendo, tanquam tua essent, & eadem optando velut tibi. *Huc spectat* præter alia zelus animarum, correctio fraterna, opera misericordiæ spiritualis & corporalis, fuga

scandali

scandali seu ruinæ spiritualis proximi, fuga suspicionum & iudicij temerarij, fuga detractionis & seminandæ discordiæ, amor inimicorum & oratio pro illis, Christo monente: Diligite inimicos vestros, vt sitis Filij Patris, qui in cælis est.

5. In dilectione tamen proximi (quod egregiè monet Gregorius Magnus) videndum est, *an Charitas sit an cupiditas*, vel passio amoris non rectè ordinati; vel vtrum sit amor propter DEVM, an ob sympathiam causamq́; naturalem, & quæ non constituat actum charitatis supernaturalem, qualis necessarius est, vt sit charitas meritoria vitæ æternæ, quæ per actus supernaturales attingitur & obtinetur. *Dilige*, quia DEVS præcipit, vt diligas: *Dilige* propter DEVM, quem diligis: *Dilige* ex motiuis supernaturalibus alijs, quæ hîc prioribus tribus numeris habes exposita: *Dilige* & inimicum, ne sis inimicus & hostis DEI, sed vt sis filius eiusdem DEI.

§. XXIII.

Sacerdos DEI Altissimi *Genes. 14.*

Vt sit illi Sacerdotij dignitas in æternum.
Eccles: 45.
Fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes.
Apoca: 5.

1. DIgnitati respondeat cultus & comitatus: regiæ, regalis. at *Regale* id *Sacerdotium*, vt Melchisedech Rex & Sacerdos; adsit ergo cultus regius & comitatus, adsit digna solio indoles, de qua etiam Christus; *Dabo illi sedere in throno meo.* Et DEVS quidem dat tibi regale epulum de sei-

 pso;

pso; (*Præbebit delicias Regibus*) tu cultum & paludamentum indue illud: *Induimini Dominum IESVM Christum.* Hoc tibi vestimentum conuenit, qui *in persona Christi conficis* Sacramenta. Quid mirum, si eum induas, qui eius personam inibi geris? *Comitatus* etiam adsit *Regius*, dignæ Sacerdotio virtutes, eæq; triplices; virtutes ad DEVM, ad se, ad alterum. Quò maior dignitas, plura exigit & dispendit. *Probrum item dignitatis est*, cùm fasces gerit improbitas aut vecordia: etiam inter homines talis non amatur Purpuratus, nedum sit gratus DEO ad altare.

2. Sacerdoti iam leges præscribo. I. *Sacerdos sit gemma Sacerdotum*, vt Ecclesia appellat S. Martinum. In gemma nitor, candor, pretium & rotunditas. *Candorem* Sacerdoti indet summa puritas, nam si dicitur: *Mundamini qui fertis vasa Domini*; quid iam, qui fertis ipsummet Dominum Christiferi, seu Christum in corporibus ferentes? vt loquitur Cyrillus Hierosolymitanus. *Nitorem* dabit pulchritudo animæ à virtutibus refusa, & illustria vitæ exempla in conuersatione, iuxta illud: *Luceat lux vestra*; *luceat omnibus, qui in domo sunt.* *Pretium* dabit tum illud aurum: *Suadeo tibi à me emere aurum ignitum*, nempe charitatem in DEVM & proximum, ac ardentem zelum gloriæ Diuinæ & animarum; tum continentia, iuxta illud: *Non est ponderatio digna continentis animæ.* II. *Sacerdos sit*, cui meritò dicatur: *Tu es Christus*: eiusdem legatus, & in eum transformari hîc solitus: *In me manet, & ego in eo.* Sit *Sanctus, innocens, segregatus à peccatoribus*, excelsior cælis. III. *Sacerdos sit tanquam DEVS.* talem enim esse necesse est eum, qui Diuina facit opera Deiq; propria, vt est peccata remittere, & immutare naturas, quod fit in transsubstantiatione Eucharistica. Legem hanc præscribit & Nazianzenus

nus dicens: *Sacerdotis est, DEVM esse, alios efficere Deos, imaginem Creatoris restaurare, superno mundo opificem agere.* Vbi *DEVM esse*, non intellige naturâ, sed excellentiâ potestatis, & Deiformis actionis ac vitæ. Rectè enim Areopagita docet: *Oportet diuina non citra Diuinitatem exequi*; ne cum *actio sit Deifica* (vt addit Ambrosius) vitæ ratio sit illicita. IV. *Sacerdos sit vbiq, velut ad aras*, quod encomium est apud Iuglarem Ludouici XIII. Regis; qui *vbiq vixit, tanquam ad aras Sacerdos, cauens, ne quid ageret DEO teste indignum.* Atqui plus à Sacerdote exigitur; quàm à sæculari Rege. semper ergo immolet spirituales hostias, tum de seipso, tum de alijs; nec semper solo Christi sanguine litet, sed etiam suo. Quodsi innocentiam ad altare apportare iubetur Sacerdos; Chrysostomus vbique illum ait debere *ita esse purum, ac si in cælis collocatus*, inter cælestes illas virtutes medius staret.

Quinta lex. Sacerdos *ita viuat, vt meritò quotidie celebrare possit*, quod nostræ Societatis Sacerdotibus sanctissimè lex præscribit. Quare quotidiana *vita sit continua præparatio ad sacrum dignè celebrandum*, tum per directionem omnium operum, etiam ad hunc finem, tum per vitæ inculpatæ studium. Dixi: *quotidie celebrare*: nam quod alijs, idem Sacerdotibus inculcat Chrysostomus: *Vnus sit dolor hâc escâ priuari*, & non sacrificare Omnipotenti DEO.

Sexta lex: Ita *quotidie sacrificare contende, vt primo die conatus es.* semper *velut primitiale sacrum* celebra; quia semper & eadem dignitas Sacrificij, & DEI, cui sacrificas, id exigit, & alia plura motiua, quàm in primo sacrificio, cùm quotidie post illud DEI beneficijs augearis.

Præter has legas, adhuc *alia sæcularibus quibusdam Sacerdotibus* conueniunt *de vitijs in statu Clericali fu-*

li fugiendis, vt est *auaritia*, *simonia*, *pluralitas beneficiorum*, *impuritas omnis*, *vita scandalosa & nihil differens à sæculari Laico*, *neglectus animarum illis commissarum*, quæ pereunt sinè Sacramentis, sine pabulo Verbi Diuini, inque sceleribus insordescunt. *Item inculcandum ijsdem* de superfluis ex bonis Ecclesiasticis in pias causas ex præcepto Ecclesiæ expendendis.

3. *Tu es Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech*, sed anteà præmittitur: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum*, de collato tibi hoc Sacerdotio. Nempe sunt Sacerdotes, de quibus illum quodammodò pœniteat, & dicat, quod ob corruptelam hominum ante diluuium dixit: *Pænitet me fecisse eos.* Ergo sic esto Sacerdos, vt non pœniteat DEVM, quòd te fecerit Sacerdotem sibi. Esto Sacerdos, vt Melchisedech, qui fuit Rex & Sacerdos DEI Altissimi, & Sacerdotem æternum, secundùm ordinem Melchisedech æmulare: Quod ibi fit in pane, fit in te mysticè. Sicut ibi separatur substantia terrena, sicut accidentia sunt sine subiecto inhæsionis, sicut obediente DEO voci hominis, ponitur ibi in qualibet particula DEVS Homo, & replicatur per tot hostias; sicut se ibi omnibus indulget, pauperi & diuiti; sicut latet ibi sub velo Christus multa tolerans, & patiens se transferri pro cuiusuis libitu; ita & tu, sacrificans secundarie, hæc in te moraliter adumbra. Item Melchisedech Rex Salem, Rex pacis & pacificus; ita tu & ipse pacem cole, & esto pacificans omnia. Denique vide, ne sis inter Sacerdotes inglorios, vt quosdam Iob appellat. C. 12.

§. XXIV.

§. XXIV.

Deſcriptio Sacerdotis.

Ex Eccleſ. 44.

Ecce Sacerdos magnus, &c.

1. SAcerdos ſit magnus, cum ſit Hoſtia Gigas; *nam exultauit vt Gigas.* Hinc monet: *Creſce, & manducabis me*, ac immolabis. Qui parua vel magna etiam offert, ſed exili animo & conatu; *pigmæus hic Sacerdos, non magnus.* Sit Gigantæa virtus, & eris Sacerdos magnus: nam vt ſtaturæ proceritas magnum corpore hominum oculis efficit; ſic *virtutis eminentia facit Magnum coram Domino.* Deniq; *nemo coram DEO* magnus, qui non eſt paruus apud ſe: quò magis in ſuo ſenſu minoratur per animi demiſſionem, eò magis in oculis DEI grandeſcit. *Humilitas eſt ceu Microſcopium*, quod auget obiecta, & pulicem oculo ſubijcit propè vt elephantem.

2. *Qui in diebus ſuis placuit DEO.* Nemo magnus, qui huic diſplicet. Gratia dat *Maioratum* apud DEVM. Abſint alij tituli, quibus grandis euadas; ſufficit ad magnitudinem, DEO placuiſſe. Sed quid ſi mihi Dominus dixerit: *Non places* (2. Reg. 15.)? Non audiet tamen vocem hanc terribilem Sacerdos, qui cum Chriſto dicere poteſt: *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper.*

3. *Placuit DEO?* non mirum, quia *inuentus eſt iuſtus: iuſtitias dilexit.* En nummus, quo emitur, & manu tenetur Cor DEI! vt illi placeas, neceſſe eſt eſſe iuſtum, inueniri iuſtum; vel cum Dauide dicere: *Iuſtitias eius non repuli à me.* Erit autem Sacerdos iuſtus, ſi ſit, vt ille Sacerdos, qui de ſe di-

 cebat

cebat alijsque: *Seruiamus in sanctitate & Iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Iustus reddit, *quæ DEI, sunt, DEO,* & reddit, modo Diuino. Vide dicta §. 14. titulo: *Omnis iustitia* &c.

4. *In tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Sacerdos sit mediator inter DEVM & homines, & murum se opponat pro populo DEI, dicatq; inter vestibulum & altare: *Parce Domine, parce populo tuo.* nempe *debet pro populo, vt & pro semetipso offerre pro peccatis.* Beatus planè Sacerdos, si de illo etiam dicat DEVS, quod de Iob: *Faciem eius suscipiam.*

5. *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi.* Non tantùm doceat legem, sed impleat alijs perfectiùs. nam docere absq; eo quod facias, Pharisæorum est. Magnum illud, si & conseruet legem, & alios superet. Conetur tamen superare: nam non satis est esse parem, sed bonis etiam præcellat, & *Sanctus,* præ alijs *sanctificetur adhuc.*

6. *Fungi Sacerdotio, & habere laudem in nomine ipsius.* Non in alio Sacerdos Magnus gloriatur, dum Sacerdotio fungitur, sed in nomine Domini, *in Domino gloriatur*; cùm interim alij, quorum gloria in confusione ipsorum, in curribus & equis, vel alijs rebus creatis vanè glorientur; sed *gloria* ipsorum *ad instar puncti,* imò nihili: Sacerdos Magnus gloriam DEI intendit: *Laudem Domini loquotur os meum.*

7. *Offerre illi incensum in odorem suauitatis.* Hoc est Sacerdotis optimi, vt incensum dignum offerat, dignè DEO. Id quidem quod offert nouæ legis Sacerdos, est ex se dignissimum, nempe Christus, qui est hostia & Sacerdos; immolans & immolatum; sed vt incensum etiam sit dignum ex parte secundarij Sacerdotis, qui est minister Christi; necesse est, vt se dignum oculis Diuinis exhibeat, nec actioni

actioni sacrificæ aliquid indignum admisceat, *Sancta sanctè tractentur.*

8. *Offerre in odorem suauitatis.* Vbi non tantùm de victima dicitur, quòd eam odoretur Dominus, vt rem suauissimam; sed etiam de modo ipso offerendi tenente se ex parte tua; vt sit talis, qui odorem suauissimum DEO creat; simulq; thymiama virtutum insignium in Sacerdote deposcitur, & intentio præscribitur: *Offero in odorem suauitatis.* Talis ergo sit Sacerdos.

§. XXV.

Triplex Sacerdotij Sanctitas.

Sacerdotes Sancti. Deut: 2.

I. IN triplici differentia sanctitatem Sacerdotis tibi describam; nempe *vt est* Sacerdos Sacrificans, vt *Sacerdos iudex* in Tribunali conscientiæ, vt *Sacerdos Doctor Veritatis* & Concionator.

Quoad primum, non vulgaris sanctitas in Sacerdote ratione sacrificandi exigitur. Nam Dauid precatur: *Sacerdotes tui induant iustitiam.* Hæc, est eorum vestimentum, non splendens tunica. Nec sufficit ei iustitia, qualis v. g. in IosephoSpōso Deiparæ, de quo illud: *Cùm esset iustus*; sed debet eniti ad iustitiam similem Christo. nam ibidem dicitur: *Sacerdotes eius induam salutari*; hoc est induere IESVM.

II. *Elegit eum Dominus Sacerdotem sibi ad sacrificandum ei.* Mira electio, pro qua in æternitate beata continuæ DEO gratiæ: *fecisti nos* DEVS noster *Sacerdotes.* Quale verò id sacrificium, ad quod electus es? Hic dicitur *hostia laudis*, alibi vocatur tum *hostia vociferationis*, tum *hostia pacifica*, *tum Sacrificium pin-*

um pingue, sacrificium iustitiæ, sacrificium vespertinum, hostia pro peccato, oblatio munda, holocaustum. Quæ omnes denominationes & elogia sunt tam excellentis sacrificij, & simul stimuli ad sanctitatem debitam muneri tuo, ô Sacerdos. Nam est *hostia laudis*: quòd & laudem deferat DEO per illam Sacerdos, & ipse DEO laudem referat ratione actionis sacrificæ. Carpit Augustinus Iudam, quòd *bonum malus malè acceperit*, seu quòd fuerit laudabile acceptum, illaudabilis acceptio & acceptor: quare sit etiam sacrificium laudis, & ratione rei oblatæ, & sit laudabile ratione offerentis tui ipsius. *Adhuc hostia vociferationis* dicitur hoc sacrificium, ad quod es electus; quare vide, vt ex tua etiam parte aures Domini Sabbaoth feriat. Si amor, magnus est clamor; adsit hic, erit hæc vociferatio, & Christo dicent cæli: *Dimitte illum, quia clamat post nos.* Item est hoc *sacrificium iustitiæ*; ergo iniustitijs tuis non inquinetur, *iustè iustum* exequere. Est *hostia pacifica*; non ergo indignâ DEVM tractatione de nouo irrites. Est *hostia pro peccato*; non sit ergo hostia cum peccato, vtiq; tuo. Est *Sacrificium pingue*; non sit emarcida & succi expers deuotio sacrificantis. Est *sacrificium vespertinum*, seu vespertini in Cruce sacrificij expressiuum, quod horâ diei nonâ moriens Christus peregit; ergo adsit deuota recordatio & imitatio Dominicæ Passionis in celebrante.

III. Adhuc Aaronis amictus Sacerdotalis te instruat, quanta sanctitas te ornare debeat. Rationale cum 12. lapidibus pretiosis, vbi *Doctrina & veritas*; vestis ex purpura & cocco bis tincto, & bysso retorta, cum malogranatis aureis, & tintinnabulis sonoris in ora vestimenti, & cydaris. quæ omnia mysticè in animum transferes ornamenta. Plura huc spectantia proximè dicta sunt.

Quoad

Quoad secundum, seu quoad sanctitatem in foro conscientiæ. Inprimis Christo conformari debes: nam eius locum pro tribunali hoc sacro obtines. *Omne enim iudicium dedit Filio Pater*; in eadem sella iudiciaria resides cum Christo. Deinde adhuc in terris incipis aliquid de potestate iudiciaria vsurpare, quam Christus suî sequacibus promisit: *Sedebitis iudicantes 12. tribus Israël*; sed hoc illis pollicetur: *vos, qui secuti estis me.* Quare sequi Christum, eiusq; sanctitatem ac virtutes imitari debet hic Iudex, qui etiam pro sacro tribunali sedet iudicans. Deniq; dicebant alij: *Quis peccata dimittit, nisi solus DEVS?* quantam sanctitatem non exigit DEI titulus & tanta potestas? Leges iudiciariæ.

1mò. Sit *Sacerdos* in foro hoc Diuino *vt DEVS, vt Christus.* vt DEVS, quia Diuinam potestatem exercet, remittendo peccata: DEVS autem est iustus & Misericors. Sit DEVS zelotes, DEVS *dissimulans peccata hominum, propter pœnitentiam:* induat viscera misericordiæ DEI nostri. Hic tamen quasi DEVS, sciat DEO tali etiam seipsum indigere: quia etiam ipse est Homo, seu quasi DEVS Homo & dicit; *Homo sum, nihil à me humani alienum puto.* Sit vt Christus, qui expoliauit potestates infernas, & spolia ex inferno cepit.

2dò. Sit vt pius ille Samaritanus infundens vulneribus oleum & vinum, miscens lenitati acrimoniam, & dans fomenta salutis: oleum autem inflammatur, Vinum accendit & lætificat.

3tiò. Sit vt radius solis, qui in fimeto non inquinatur: sic ille audiens varia flagitia, nullum inde contrahat næuum, & contra illum se præmuniat oratione, & meditatione, ac proposito.

4tò. Sit non tantùm merus auditor, sed sentiat vulnera pœnitentis, vt Paulus: *Quis infirmatur &*

ego

ego non infirmor ? sentiat DEI offensam, & tum DEO compatiatur internè, tum fleat cum flentibus, dicatque: *Doleo super te, fili mi Ionatha*; sed magis super te, ò DEVS offense.

5tò. Sit inferni & peccati hostis, eamq; hostilitatem tunc strenuè exerceat, procurando vt omnia ritè fiant, per quæ pœnitens plenè DEO reconciliatus eruatur ab inferno inferiori & potestate Dæmonis; & hostili odio contra peccatum imbuatur. Seminandæ hæ discordiæ æternæ inter pœnitentem, & dæmonem ac peccatum.

6tò. Pro anima peccatoris & sanguine Christi zelet, in quo lauabit & dealbabit animas, ac tantis impensis, ne in cassum eant, occurret.

7mò. Sit consolator Christi super tot animarum perditione & iactura. Dicit enim: *Consolantem me quæ siui:* non inueni.

8uò. Sit auctor & causa illius gaudij cælestis, de quo Christus: *Gaudium est in Cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm super 99. Iustis*, quales plerique sunt, ad quos trahit affectio tantùm humana, non indigentia illorum. Vnde *sit* simul *Pincerna Angelicus* vel tractator, qui Angelis illud vinum propinet, de quo Bernardus: *Lacrymæ pœnitentium, vinum sunt Angelorum. 9nò.* sit vt ille pastor, qui *reliquit 99. ouiculas, vt vnam inueniret*: & vt illa mulier, *drachmam perditam* accenso lumine diligenter *quærens*.

10mò. Sit medicus animarum sanans, & præseruans, ac præcauens funus animæ.

11mò. Cogitet se DEI adiutorem esse, destructorem inferni, ostiarium cæli; nouerit se exhibere & imitari Patrem misericordiarum, vbi & captiuos è potestate Dæmonis, & dura seruitute peccati eruit, & de vinculis liberat clamantem: *Educ de custodia*

dia

dia animam meam; & docet ignorantem, corrigit peccantem.

12mò. Sit Thaumaturgus; quia *peccatoris conuersio maximum est miraculum* Chrysostomo. cæcis visum restituat, surdis ad vocem DEI auditum.

13tiò. Non sit *acceptor personarum*; & cogitet quòd ipse efficiat Cæli Reges, quos indutos paludamento plus quàm regio cælestis Gratiæ dimittit.

14tò. Interiùs ad DEVM recurrat, dum aliquid vrget. Pro singulis aliquid internè DEO offerat, & offensas, ac iniurias DEI pro viribus compenset. Illud curet: *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Et cum Salomone postulet *Sapientiam ad iudicandum populum.* Humiliet se intus: *Nox nocti indicat scientiam.*

15tò. Post confessiones *examen ineat secum de* administratione huius Sacramenti: offerat susceptum laborem DEO & Sanctis, quorum est Festum, & Sanctis Angelis Custodibus confitentium: actus aliquos virtutum vel affectus compensatiuos offensarum DEI auditarum eliciat: oret pro pænitentibus, & pro illis offerat mortificationes, eorundem in sacrificijs sit memor.

16tò. Ante Cõfessiones Pænitentium oret, ne quis sacrilegè illi confiteatur, vt contritè omnes, & quia *opus diuinissimum est, conuersio animarum*, de suis viribus diffidat, seipsum præmuniat contra ea, quæ in hoc foro vincenda vel cauenda: Actum contritionis vel amoris Diuini ipse eliciat, vt in statu gratiæ Sacramentum hoc administret: Item præmittat intentionem absoluendi Pænitentes, & alias sanctas intentiones. inuocet Spiritum Sanctum eiusque lumen sibi & pænitentibus congruum, & Angelos Custodes Pænitentium. *Quantum ad 3tium* Breuiter de hoc innuo. Sit talis cui dicatur: *Viam DEI in veritate*

ritate doces. Et ille, cui dicitur: *Exalta quasi tuba vocem tuam.* Vel ille, de quo asseratur: *Ecce hic positus est in resurrectionem multorum.* Sit vnus ex illis; *Quàm speciosi sunt euangelizantium pedes, euangelizantium bona:* Cogitet etiam illud, quod ait S. Thomas 2. 2. q. 124. a. 1. ad 3. *Actum* ex charitate docendi & gubernandi subditos, *esse perfectiorem actu Martyrij* spectato quoad propriam speciem actus. Cogitet & illud, quòd facilè *prædicatio contemnitur, cuius vita despicitur.* Et illud de Pharisæis: *Quæ dixerint, facite, secundùm opera eorum nolite facere.* De Concionatorib⁹ illud accipe Augustini: *Alij meros flores loquuntur, alij folia, alij fructus,* illi nempe, qui (vt addit Hieronymus) sectantur *Sapientiam, non quæ aurem prætervolet, sed animam reficiat.*

§. XXVI.

Legatio Christi & Ecclesiæ per Sacerdotem.

Pro Christo legatione fungimur. 2. Cor: 5.

1. Legatus, est Orator Principis aut Reipublicæ: *Sacerdos est Legatus Christi & Ecclesiæ,* quæ est Respublica Christi & Regnum DEI viuentis. Grauissima est hæc legatio nomine illius Capitis & Corporis, in qua non vnius Regni vel prouinciæ bonum concernentia, sed totius mundi tractatur negotia *Duplex autem est legatio Sacerdotis:* vna *ad DEVM* per Sacrificia, vbi dicit: Parce, Domine, populo tuo, & nedes hæreditatem tuam in perditionem. *Alia legatio* est eiusdem Sacerdotis *ad homines* quibus dicit idem, quod Paulus: *Reconciliamini DEO.*

s. Pun-

2. Puncta primæ legationis ad DEVM per Sacrificium sunt hæc *1um.* Colere adæquatè DEVM per Christum, & offerre illi Sacrificium Latreuticum, & quasi homagium pro tota Ecclesia, cum recognitione supremæ Excellentiæ DEI, & nostræ subiectionis ac dependentiæ à DEO, vt à principio omnium rerum & Domino vitæ ac necis, cui hæc sit immolatio Vnigeniti. Breuiùs: Primum punctum legationis est tributi persolutio, tributi laudis & latriæ. *2dum.* Est tributum gratitudinis, seu gratias DEO reddere pro beneficijs toti Ecclesiæ, tibiq; collatis. *3tium.* Offerre dona & sacrificia pro peccatis. *4tum.* Exponere & commendare necessitates militantis Ecclesiæ, & tam viuorum, quàm mortuorum: item necessitates spirituales & corporales, temporales & æternas. *5tum.* Repræsentare DEO rem gratissimam & pretiosissimam, nempe Christi Passionem & mortem, cuius hîc est memoriale. *6tum.* Captiuorum redemptio, & afflictorum solatia, salus plurimorum, suppetiarum postulatio contra hostes inuisibiles, renouatio fæderum, amicitiæ & societatis cum DEO. *7mum.* Est particulare negotium vel persona, pro qua sacrificare tenetur & intendit Sacerdos. Quamuis autem hæc legationis puncta proponantur potissimùm in sacrificio, tamen etiam in persolutione Diuini officij seu Horarum Canonicarum, prout nomine Ecclesiæ per publicum Ecclesiæ ministrum fit, proponi possunt.

3. *Modus legationis obeundæ* ad DEVM. Imitetur Legatos Principum, & superet sacer hic Orator: quia nobilior legatio. Quare *imprimis* ita illā obire curet, ne defectu substantiali, vel aliter fructum legationis impediat. *Præterea* non differat legationem ad multum tempus, ne omittendo sacrificium priuet cælum gaudio, purgatorium refrigerio, afflictos

ctos ſolatio, periclitantes auxilio, ſeipſum ſuaui epulo, DEVM debito cultu & obſequio. *Inſuper* ſplendidè legatione fungatur, & pro dignitate Principis ad quem, & à quo: *apparatus legationis* exquiſitior comparetur, & pro dignitate Principis, quem repræſentat. *Adſit legato comitatus* inſignium virtutum, ſanctarumq; cogitationum, internæ & externæ reuerentiæ ac munditiei, humilitatis & deuotionis, zeli, & ardentiſſimæ charitatis: *cultus ſplendidus* ab ignitis deſiderijs & internis affectibus. *Habeat rara aliqua*, quæ ſpectatorem Cæli oculum oblectent, & in plauſum excitent. *Denig*, ſi in terrenis legationibus opes, imo aurum etiam in equorum ſoleis aliqui oſtentant, & cultûs ac ſatellitij elegantiam affectant; & tu *Vade pulcher ad pulchrum*; ſplendidus ad Lucem inaceeſſibilem: Verbo, *Chriſtum indue*, & ſufficiet ad pompam legationis.

4. Alia legatio quâ *Sacerdos* fungitur ad homines. Puncta illius. *Reconciliamini DEO*, *Appropinquate DEO*, & appropinquabit vobis: *Redite præuaricatores ad cor*: *Pœnitentiam agite*; Vtinam intelligerent, & nouiſſima prouiderent! *Quidquid item* ad ſalutem, ac perfectionem hominum attinet, *Legatus hic* proponit *tum prædicando*, *tum pœnitentiæ Sacramentum* ſedulò promouendo, & adminiſtrando: tum DEI agnitionem, timorem & amorem inſtillando, fidei myſteria proponendo, monita ſalutis impertiendo, tum ſanctâ conuerſatione ædificando.

§. XXVII. Sacrificium.

Vt offerat dona & ſacrificia, Hebr. 5.

1. SAcrificium aliquandò latè ſumitur; aliàs ſtrictè. *Latè ſumptum Sacrificium* ſignificat, vel intimam

timam contritionem, vt Pſal. 50. *Sacrificium DEO, Spiritus contribulatus, cor contritum*; vel ſumitur pro laude DEI, vt Pſal. 46. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Vel pro Eleëmoſyna, vt Hebr. 13. *Talibus enim hoſtiis promeretur DEVS*: vel pro martyrio, vt Sap. 3. *Quaſi holocauſti hoſtiam accepit eos*; Et Auguſtinus de Martyre ait: *Quot pro Chriſto pertulit ſupplicia, tot ei de ſe obtulit ſacrificia*: vel pro voluntaria corporis maceratione, vt Rom. 12. *Exhibeatis DEO corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam*; vel pro iuſtitia latè aut preſſiùs ſumpta, vt Pſal. 50. *Acceptabis Sacrificium iuſtitiæ.* Sed *hîc per Sacrificium intelligimus* actionem externam & ſenſibilem, per quam Chriſtus ſub ſpeciebus panis & vini offertur à Sacerdote *in quatuor fines Sacrificij*, laudis cultuſq; Diuini, gratiarum actionis, ſatisfactionis ac propitiationis, & impetrationis; ſpecialiter in ſignum ſupremæ excellentiæ Diuinæ, & in memoriam ac repræſentationem Dominicæ Paſſionis.

2. Hoſtia noſtri Sacrificij eſt & vna. & multiplex virtute: quia omnibus alijs Veterum ab Abel Sacrificijs æquiualet, & longè ſuperat. *Eſt hîc Holocauſtum*; quia totus Chriſtus immolatur. *Eſt hoſtia pacifica*, quia eſt ſacrificium gratiarum actorium, ſeu Euchariſticum: *Eſt ſacrificium laudis*, quod honorificat DEVM: *Eſt ſacrificium iuſtitiæ*: nam huius oblatione in Cruce, ſatisfactum eſt ad æqualitatem, imò ſuprà, pro hominibus DEO; *Eſt oblatio munda*, quæ in omni loco ſacrificatur nomini Diuino: *Eſt hoſtia vociferationis*; nam etiam hîc *vox ſanguinis Fratris noſtri clamat*, ſed non vt ſanguis Abel in vindictam, at in ſalutem, qui pro nobis & pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum: clamat idem ſanguis ad nos dicens: *Amorem da pro amore*, totum pro toto. *Eſt deniq; hoc Sacrificium idem*, quod in Cru-

in Cruce, & in cœna Christus obtulit. Quantum esset solatium, si vno actu omnium ab Abel iusto sacrificia, vsq; ad tempus, quo abolita sunt vetera sacrificia, posses exhibere DEO, & omnes iustorum actus cuiusuis temporis ad finem mundi à principio elicitos & eliciendos; sed tu gratius exhibes, & idem quod Christus. Prô qualem Sacerdotem exigit Sacrificium tam excellens! ô Sacrificium! ô caro immaculata & viuifica! ô calix inebrians, quàm præclarus es! vtinam & ille, qui sacrificat cum Christo, sit præclarus!

3. Tam res sacrificandæ, quàm Sacerdotes olim mundabantur & coronabantur antè. Hinc tot illæ purificationes, mare æneum ante limen templi ex speculis, piscinæ probaticæ, ornatus Aaronis. Quid te par est facere, dum non sanguine hircorum operaris? Porrò quamuis aliorum sacrificia memoret scriptura, *tacet de Sacrificiis Adami* ex sententia Pererij, ideò, quia in eius sacrificijs nil fuit memorabile! Sit in tuo.

4. *Sacrificium sine alio Sacrificio*, ne offeras: nempe ita Christum offer, vt simul teipsum sacrifices; *Sanctifico meipsum, vt & ipsi sint sanctificati in veritate*, dicebat Christus Ioan: 17. Et Gregorius opportunè admonet: *Christus vera pro nobis hostia erit DEO, cùm nos ipsos hostiam fecerimus.* Certè Abelem ait Paulus, *fide plurimam hostiam*, quàm Cain, *obtulisse*: vbi Rupertus ait: *Ideò plurimam*; quia Cain, cùm sua offerret DEO, se retinuit sibi, repositum cor habens in cupiditate terrena: Abel, quia vtrumque obtulit, ideò *respexit DEVS ad Abel & ad munera eius.* Ergo & tu omnia, & te per modum holocausti offer: nihil in te sit non consecratum DEO. Sit oblatio munda, immolans corpus, ad mortificationem IESV in eo circumferendam; animam & vo-

luntatem ad amorem, te totaliter in cultum, gloriam, & obsequium DEI ac B. Virginis: offer & illa Sacrificia, de quibus hîc egimus ab initio tituli huius.

6. Etsi Sacrificium Vltimæ Cœnæ repetitur, & repetetur ad vltima mundi, seu donec veniat Iudex Christus; tamen non repetitur sacrificium cruentum Crucis. nam Christus resurgens ex mortuis, *jam non moritur*. Tua tamen mens sæpè cruentam hostiam repræsentet, ac renouet, dum corpus voluntaria castigatio sæpè cruentabit. Sunt tamen qui Sacrificium Crucis Christo impiè renouant, dum illum iterum crucifigunt. Sed impedi tale sacrificium, vel potiùs Deicidium, quatenus potes.

§. XXVIII.

Nouum quoddam Sacrificium, Seu Oblatio Nihili.

Pro nihilo saluos facies illos. Psal: 55.

1. ANtequam DEO sacrifices & offeras hostiam solennem, præmitte aut illi adiunge nouum quoddam Sacrificij genus, id est, Sacrificium Nihili. *Posse aliquod Nihilum* sacrificari ostendo. Nam *inprimis* Sanctus Fundator nostræ Societatis, dum instinctu Diuino in eadem Societate statuit, vt nulli essent reditus & bona immobilia Domûs Professæ, id, Nihil appellauit, obtulitque Æterno Patri Nihilum Prouentuum, Redituum Domûs cuiusuis Professæ, & Templi eiusdem Domûs. En Sacrificium Nihili! *Item in Canticis dicitur:* Si dederit homo omnem substantiam pro anima sua; *quasi Nihil* despiciet eam. Et Poëta de licitatione Diuini amoris canens: *Da Nihil, inquit, emes.* Si dari potest nihi-

nihilum pro anima; si illud Amor Diuinus exigit; quidni illud sacrifices? *Imò tantò gratius* Sacrificium, quantò magis in spiritu humilitatis peragitur; satis autem humilis sensus est Sacrificantis de sua oblatione, si illam veluti Nihil respectu tantæ Maiestatis reputet: *Bonorum meorum non eges.*

2. Ergo ad *Sacrificium* Nihili accede. *Præmissò actu* æstimationis & appretiationis Diuinæ, nec non comparatione vilitatis tuæ respectu etiam complurium Creaturarum, multò magis respectu DEI; *Item præmisso* ardenti desiderio colendi sacrificè DEVM profundissimâ reuerentiâ & amore ardentissimo, in vnione omnium Sacrificiorum DEO gratissimorum, statue & tu sacrificare, & si non exquisito, vt illi Sacrificio; certè quanto in tua tenuitate adiuta cœlitus potes. Aram ergo instrue in holocaustum, eamque adorna.

3. Porrò in hoc Nihili Sacrificio *tum Sacerdos ipse, tum oblatio est Nihil.* Tu ergo esto Sacerdos, & te imprimis sacrifica; *quia & tu Nihil es*, quod hîc sacrificandum. Nam de te id Scriptura testatur per Dauidem: *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* Item per Paulum: *Qui se aliquid putat esse, cum Nihil sit; ipse se seducit.* Et iterum Psaltes ait: *Vniuersa vanitas, omnis homo viuens.* Id ipsum ratio probat: *quia* purè ex te ipso nihil es, nil potes, nil operaris, nisi peccatum, quod est nihilo deterius: *item quia* ex nihilo conditus es quoad animam; principium ergo tuum nihil est, & redigi potes in nihilum, ex quo prodiisti. *Denique ipsâ* tuâ voluntate seu vltro te coram DEO annihilare, annullare debes, non tantùm comparatione Diuinæ infinitatis, & tuæ finitudinis, sed etiam respectu excellentiæ, ob quam eo, quo dignus est cultu, nihil illi par dare potes. *Ergo Nihil es, ô Sacerdos Nihili*; parumq; est, vt accedens

dens ad hoc altare, in quo sacrificabis, dicas: *Loquar ad Dominum, cùm sim puluis & cinis*; cum sis potius Nihil, vilius puluere & cinere. *Quare quod primò debes sacrificare in Sacrificio Nihili, es tu ipse*, qui dum te DEO immolas, cum tota tua substantia, viribus, bonis corporis & animæ, libertate; etsi ardentissimo id affectu & Seraphico æstu facias, *nihil* illi offers, quia Nihil es, vt tu, sic tua omnia. Vnde nec tanti iam æstima, quod te illi consecrâris! dedisti illi *grande Nihil*! Scilicet multùm illi dedisti, multùm ditâsti gazam Diuinam tuo Nihilo! Per vota etiam tua Nihil DEO sacrificas: quia per illa promittis, quòd deinceps *nihil* libertatis tibi velis retinere, vbi parendum est; *nihil* proprietatis & vsûs rerum pro tuo arbitrio & independenter aut irreuocabiliter à Superiore; *nihil* tibi non illicitum velis contra puritatem corporis Angelicam, adeoque *nihil* te velle esse hîc deinceps hominis; vbi vides, quòd in tribus etiam votis Nihil sacrificas DEO, quo te exuis. Præter teipsum.

4. Iam Hostiam huius *Sacrificij Nihili* seu materiam Sacrificij tibi exhibeo duplicem; nimirum Positiuam & negatiuam. *Positiua Materia Sacrificij huius*, sunt terrenæ res omnes, quæ vtiq; coram DEO, vt Isaias cap. 40. loquitur, *quasi non sint*, & *tanquam nihilum & inane reputata sunt ei*. Quare honores, voluptates, terrenæ oblectationes, plausus, fauores, æstimatio & magni nominis existimatio, laus humana & gloria mundi: his adde vana solatiola, risus, iocos, commoditates corporis, & omne defectibile bonum rapiens cor humanum, ad eandem *Nihili* descriptionem ex Isaia adductam pertinent, fluxa omnia & merum nihil, in nihil desitura. Si enim homo ipse, vt paulò antè expensum est, est quasi merum nihil, multò magis illo inferi-

ora, Nihil erunt. Vnde etiam Lipsius dicebat: *Omnia humana sunt somnia, vmbra, Nihil.* Hoc ergo Nihil, imò tot Nihila in vnum rogum congeres quem in ara holocaustifica exstrues: ex motiuis toties indicatis & supernaturalibus, hæc omnia concrema DEO in holocaustum; sic & Sacrificium hoc Nihili cedet in odorem suauitatis Domino; & tu magnâ voluptate perfundi incipies, illis tam generosè in rogum hunc holocausti coniectis, quæ tantoperè cor sollicitum & inquietum reddunt, donec generosè contemnantur. *Huius defectu Sacrificij* omnes turbationes, inquietudines, imperfectiones: quædam mentis cæcitas ad æterna, ad solida bona, ad cœlestes gratias vberiùs hauriendas. In Nihilum amatur, cum tot animæ incommodis!

Negatiua Sacrificij Nihili materia seu Hostiæ, sunt quædam carentiæ DEO immolandæ. Carentiæ enim sunt quoddam Nihil: intelligo carentiam commoditatum, carentiam exceptionum, carentiam etiam necessariorum, carentiam communium & particularium solatiorum, carentiam amicorum, & fautorum ac promotorum, carentiam talentorum magis plausibilium, carentiam successûs in quibusdam, carentiam æstimationis, plausûs & gloriæ humanæ, ob quam dicitur à Scriptore illo aureo: *Erant alij magni in ore hominum: de te autem tacebitur* &c. Hoc ergo *Nihilum* in aram eandem holocausti coniįce: nam & DEO mirè tale holocaustum cum priore, Herɔibus sacris proprium placet; & illius defectu melancholiæ, & inquietæ sollicitudini locus datur. *Atque hoc Nihilum duplex* positiuum, & negatiuum *DEO* generosè tandem *sacrifica*, hoc alijs Sacrificijs adiunge: talibus enim Hostijs promeretur DEVS, & quies animi summa paratur. Sapit, qui sic sacrificat. Sed tamen non sa-

cta sit

tis sit hodiè id Sacrificij genus fecisse; sit hoc *Iuge Sacrificium*; quia eiusdem iugis seu perpetua est necessitas: tantò gratius DEO, vtilius tibi, quantò frequentius; & plùs valet, quàm pleraque mystica Sacrificia. nempe in hoc Sacrificio Nihili, heroica plurima, & sublimior virtutis terrena generosè proterentis species effulget.

§. XXIX.

Vita Eucharistica.

Ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, viuet propter me Ioan. 6.

1. DAtur tibi multiplicis vitæ optio. *Viue*, vel vitâ humanâ, vel vitâ Angelicâ, vel vitâ superAngelicâ seu MARIANA, seu vitâ Christi & Diuinâ. *Humana vita* communis est: De *Angelica* posteriùs loquar: MARIANAM & Diuinam alibi suadeo: hîc *vitam* Christi *Eucharisticam*. Dicant alij: *Viuo, vt Christus in Carne* latens, vel vt Christus in vteri Materni augustijs: Viuo, *vt Christus in Cruce*; tu interim dixeris: Viuo, *vt Christus latens sub specie panis*.

2. Sacra Communio, est Christi nobiscum, & nostrî cum Christo vnio. Non est strictior vnio animæ cum corpore, quàm hæc Sacramentalis, quia illa non transmutat in se partes vnitas; at in Sacra communione in Christum mysticè transformamur: *Tu mutaberis in me*. Quod si ibi viuit corpus per animam; & tu viuis per Christum, cui sic vniris, imò in quem transmutaris. In Christo natura Humana vnita Verbo euasit Sancta *Sanctitate* Verbi; traxitq; communicationem idiomatum, vt idem diceretur

ceretur DEVS Homo, Homo DEVS: & tu in SS. Eucharistiæ vsu vniris animæ Christi; quidni viuas quasi animâ illius, ac vt alter, vel quasi idem Christus? Sanè si illi, in quibus Christus est per amorem & imitationem, dicunt: *Viuo ego, non ego*, sed in me Christus; in quo Christus est per Eucharistiam, an sic non dicat viuatq; Eucharisticè?

3. Viuit Christus in Eucharistia, dicitque: *Et qui manducat me, viuet propter me: Qui manducat hunc panem, viuet.* Viuet *Eucharisticè*, seu vitâ simili vitæ & existentiæ Christi viuentis in Eucharistia. Porrò *ibi vita Christi Diuina* etiam est, *non tantùm humana*, & quidem modo admirabili & ineffabili. *Habet ibi* Christus *vitam in semetipso*, vt Pater vitam habet in semetipso. Generatur ibi seu producitur dupliciter; nempe & generatione æternâ à Patre; & aliâ nouâ, quâ, vt loquitur Augustinus, *nascitur in manibus Sacerdotis* sub speciebus panis & vini. Viue & tu, *tum vitâ Diuinâ participatâ*, seu per gratiæ sanctificantis augmentum ab vsu debito Eucharistiæ; *tum per modum viuendi extraordinarium*, exprimendo Christi vitam Sacramentalem, vbi in arcto latens se sacrificat, seu offert de se sacrificium incruentum, in quatuor fines sacrificij, mirè se communicat nobis, & donis cælestibus ac seipso locupletat.

4. *Viuo propter Patrem*, dicit de se Christus. Quo indicat tum vnitatem Naturæ cum Patre per generationem Diuinam acceptæ; tum illud, quòd *Pater in me manens ipse facit opera*; tum quòd omnia, totamque vitam suam retulerit & ordinauerit ad Patrem eiusq; gloriam. *Et qui manducat me, & ipse viuet propter me*, tam simili relatione & ordinatione omnium in vita actionum ad Christum eiusq; gloriam, quàm quotidiano per Eucharistiam Naturæ Diuinæ participatæ augmento, nec non arctâ vni-

one ac transformatione sui in Christum ; & quatenus operationes vitæ spiritualis ad directionem earundem habebit specialiter à Christo, qui communicantem suo corpori, diriget vt rem suam, secumq; vnam.

5. Christus in Eucharistia ita viuit, vt non compatiatur ibi terrenam substantiam panis & vini ; sed eam miraculosè conuertat in substantiam Corporis & sanguinis sui. *Auellere & tu à terrenis*, qui DEO pasceris fruerisue : nil in te sit terrenum ; haud terrena sapias, diligasue.

6. Viuit ibidem Christus totus in tota hostia, & totus in fragmento. O anima, viue similiter & in minimo, quod suadet demissio ; & in maximo, quod dilatat charitas ; & in toto, scilicet te totâ seruiendo illi, diligendo ex toto. Adhæc viuit ibidem arctè Maiestas tanta : *Dabo vobis Panem arctum* : viuit tantus in tantillo ! viuit occultatâ maiestate. ô vitæ austeritas ! ô vera demissio, vbi es ?

7. *Operationes vitæ in Christo Eucharistico sunt hæ* : Immolat sese hic Principalis Offerens & Sacerdos in æternum : colit & amat adæquatè Patrem, interpellat hîc pro nobis : Diuinæ Mensæ accumbentes intus reficit, & totum se cuiuis communicat, ceu bonum verè diffusiuum suî, effectusque Sacramenti summo amore impertitur : ibidem etiam Mundum gubernat. Age & tu intus & extra, quod his operationibus viæ respondeat. Totum te illi vicissim in vnione huius sacrificij offer, & pro illo aliisq; propter illum impendi, & superimpendi velis, in DEVM aliosq; profusus.

8 Adhæc ita in Sacramento est Christus viuitque, vt non desinat ob loci indignitatem, vel tractantium inurbanitatem ; ac duci sese quòcunque patiatur, vt vitam communicet nobis & augeat. ô si hæc

si hæc nostram corrigerent nauseam, & defectum indifferentiæ in plurimis! *insuper* ibi est vita latens, *DEVS absconditus*. at homo quàm cum leuibus statim prosilit in apertum! *Item* replicatur hæc Vita Christus in tot locis & particulis: Quo etiam sese non extendet charitas, in quo est vera? *Deniq;* ibi Christus dicit: *Viuo propter Patrem* Et tibi non sit satis dicere: *Viuit in me Christus*, sed dic cum Augustino: *Viuo Christus*, vel cum Cypriano: *Viuo DEVS*. Accipientes eum, *efficiamur quod ipse est*, vt monet Gregorius Nyssenus.

§. XXX. Vita Angelica Vescentis Pane Angelorum.

Panē Angelorum mãducauit homo. Psal: 77.

1. EPularis Angelicè? viue Angelicè. Angelos hæc mensa aliit, & postulat. Certè Sacerdotem quemlibet Malachias Propheta *Angelum Domini exercituum vocat*; non quòd vi tanti muneris sit Angelus, sed quòd esse debeat. Quòd si de victimis hircorum & taurorum participans Sacerdos esse Angelus debet, an participans de Carne VErbi, & conuiuio Angelico esse non debeat?

2. Etiam alij cibi suas qualitates communicant vescenti illis; quidni Angelicum in te quiddam ex Cælesti hoc Ferculo refundatur? Nec multum à te requiro, dum te velut Angelum volo: nam qui in Christum hîc immutaris; an non muteris & in Angelū? si Panis in DEVM Hominē cō[n]ter[i]tur; an homo non possit in minorem Spiritum transformari?

3. *In cælo erunt omnes sicut Angeli DEI*, ait Christus. At Eucharistia pignus cæli & futuræ gloriæ

est

est arrha. Cælum prægustas, ac esse cæli Ciuis incipis, & Angelicè conuiuaris: quidni ergo sis, velut tui commensales Angeli DEI? Viue vt Angelus, qui vt Angelus saginaris. quod vt possis, Angelos tibi describo, & vitam Angelicæ similem.

j. *Angeli sunt puri Spiritus* sine concretione terrena, sine carne. Et te *non secundùm carnem militare* in carne docet Apostolus: docet non acquiescere carni & sanguini, *non sapere secundùm carnem.* Qui sic Carnem exuit, spiritus est Angelicus; quod etiam confirmabit eximia corporis animæque puritas, & faciet te esse in carne sine carne.

ij. Angeli *habent purum esse intellectuale,* id est, independens à Corpore & sensibus in operando, quibus carent. Tu procura hanc subordinationem intellectui, vt sensus te non pertrahat ad delectabile, sed ratio ad honestum & rationale. alioqui nec Angelus es, nec homo, sed brutum, quod sensu tantùm regitur ducuturque.

iij. Angelus *semper mobilis est substantia,* vt loquitur Damascenus: id est, continuò se cognoscit cum relatione & ordine transcendentali ad DEVM. Et tu *nosce teipsum,* ad DEVM refer omnia. Esto substantia *semper mobilis,* semper in motu & labore, nunquam in otio.

iv. Angelus habet perfectiorem similitudinem cum DEO, diciturq; illi: *Tu signaculum similitudinis.* Ezech. 28 nempe secundùm naturam & gratiam. Et tibi similitudo cum DEO & Christo toties in Scripturis commendatur. *Sancti estote, quia ego sanctus: estote perfecti, sicut* & Pater cælestis. Et inter sapientum monita est illud: *Sequere DEVM.* Christus etiam monet. *Sequere me.* Consortium verò Naturæ Diuinæ per Gratiam in dies & horas auctam magis acquire & auge, vt sis *signaculum similitudinis.*

v. Ange-

v. Angeli continuò *assistunt DEO*, & *semper vident faciem Patris Cælestis*: etiam *cùm mittuntur, assistunt*, vt ait Gregorius; nec in illis diminuitur cognitio & amor beatificus per actionem & ministerium. Æmulare quoad hoc Angelos; *memor DEI* vbique, & in eum intentum habens oculum: non ita effundas te in actionem externam, vt Spiritus extinguatur vel intepescat.

vj. Angeli immobiles sunt ac *inflexibiles*: tum quia operantur præuisis omnibus rationibus; tum quia cooperantur intensissimè & omni conatu Diuinæ Gratiæ, seu *secundùm totum posse & totum conatum*, vt loquitur S Thomas. Etiam id pro viribus gratiæ in te exprime, & ante agendum præconsiliare de modo agendi.

vij. Angeli sunt *impeccabiles ex coniunctione perfecta ad Bonum Increatum*, quæ fit mediante Beatitudine, vt inquit Doctor Angelicus. Et tu ad *impeccabilitatem moralem* enitere, de qua in Facie viæ Purgatiuæ dictum: & coniungere DEO ac Bono super omnia bono æternoque super omnia inhære-

viij. Angeli *superiores* Angelos *inferiores purgant, perficiunt, ac illuminant*; suntq; Angeli custodes hominum & Prouinciarum in tanta sua gloria & excellentia. Item virtutum perfectione sunt præditi, zelo gloriæ DEI & animarum. Nec homo hac in laude non sit Angelicus. Angeli velocissimi, sapientissimi. Pulchrum est etiam hæc decora in eximios mores & actus transferre.

jx. Adhuc, *Conuiua Angelice*, imitare *Seraphinos* in ignea charitate, *Cherubinos* in Sapientia sanctorum: *Thronos* in pace & tranquillitate tecum, cum proximo, cum DEO conseruanda: *Virtutes*, quoad miracula virtutis: *Potestates* contra dæmonia pugnando acriter: *Principatus*, qui regnis præsunt, in dominio tui & passionum: &c. &c.

x. De

x. Deniq; imitandi sunt Angeli in eo modo, quo se gerunt, dum eodem cibo inuisibili fruuntur in cælis: quales illi, tunc per amorem, per inhæsionem ac immersionem in DEVM, per gustum & suauiationem DEI, quo perfruuntur; per laudem DEI, per iubilum & exultationem de DEO. Talis & tu esse contende, dum Angelico epulo in via reficeris.

Iuuat & illud imitari in Angelis, qui numerosè assistunt SS. Eucharistiæ, vt vidit Chrysostomus, alijque; & vnam Hierarchiam Angelicam nonnemo censet ad hanc assistentiam cultumque Eucharisticum destinatam. Assiste, & inuise tu idem Sacramentum, & æmulo cultu amoreque prosequere, ac eundem in alijs pro modulo tuo proueho.

§. XXXI.

SS. Eucharistia,

Panis vitæ & intellectûs.

Cibabit illum Pane vitæ & intellectus. Eccl. 15.

1. ALij sunt cibi Mortis, quia mors illos consequitur; & sæpè *Mors in olla:* sed Cibus hic Sacer, Lignum & fructus vitæ est, & *folia eius in sanitatem gentium.* Sume de illo, vt viuas in æternum, quod de ligno vitæ in Paradiso DEVS dixit. Sanè hic Cibus efficit, *Vt Vitam* habeas, & *abundantius* habeas. Alij Cibi viuos alunt & conseruant: hic etiam mortuos resuscitat, estque radix & semen immortalitatis: *Qui manducat meam carnem, ego resuscitabo eum in nouissimo die,* ait Christus. Vitam non ad tempus, sed conseruat in æternum eadem Vita Diuina, & Gratiam primam, quæ est vita animæ

per

per peccatum aliis mortuæ, aliquando confert per accidens, vt docet S. Thomas, Suarez cum alijs. ô Panis vitæ, ô vitale epulum, viuifica me!

2. Accede, *Panis est, non venenum*, monet Augustinus: non occidit, si rite accedis. De DEO dicitur: *Dominus mortificat, & viuificat:* deducit ad inferos, & reducit. Etiam de hoc Cælesti Pane canitur quidem: *Mors est malis, vita bonis*; sed tamen quòd mors contingat, id ex mala dispositione & malitiâ fit conuiuæ inuitati: Panis ipse de se Vita est, quia Christus vita & *Panis viuus*; tantùm est mors mortis, iuxta illud. *Ero mors tua, ô Mors.* Cibi alij non habent in se vitam, sed sunt cadauera cæsarum pecudum, quæ mensis inferuntur; aut emortua terræ germina: sed hic cibus *vitam habet in semetipso*, & eandem alijs communicat. Accede ergo, Panis est vitæ, non venenum. Si vitam in æternum aliquis cibus prorogaret, quantâ fame appeteretur? quæ impensæ non fierent, vt eo frui liceret? Venite, comedite absque argento & impensis. Accede & tu, & *hauries salutem à Domino.* Moneo tamen cum Hipponensi Præsule: *Muta vitam, si vis accipere vitam: si non mutas vitam, ad iudicium accipis vitam.*

3. *Cibauit illum Pane intellectus.* Admirabilis cibus, qui mentem pascit, non ventrem. Quis tali cibo non inhiet, *in quo omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ DEI* glutiuntur? In Paradiso *arbor Scientiæ* fuit, sed ab illa desipuimus omnes, nocuit gustasse, & id tantùm ex ea didicimus arbore, quàm fuerit noxium ex illa edisse. At hîc esu Panis cælestis melior trahitur de sursum intellectus; & mensa hæc sapientiam cælestem ac *Cherubinos parit.* Illa in Paradiso fuit *arbor scientiæ boni & mali:* hîc arbor scientiæ boni tantùm; quia in Christo scientia DEI, & omne in illo bonum.

4. Planè

4. Planè cibus rationali creaturæ competens, quia *Panis intellectûs.* Intellectus est *habitus primorum principiorum.* Hic omnium primum principium habes, & accipis, dum vesceris tam beatè. quare vide, ne tibi dici possit, quod Discipulis Christi: *Adhuc & vos absq; intellectu estis!* Sapientiam Patris, Altissimi Verbum intra vos recipitis, & desipere adhuc libet? Sanè *Cibus hic Doctor est*: docet fastidire terrena, amare cælestia: docet siliquis porcorum nolle vesci, cui DEVS pro cibo est: omnia enim desipiunt, cui sapit DEVS: & desipit, cui non sapit vitæ æternæ bolus.

5. De Discipulis Emauntem pergentibus notum illud: *Cognouerunt eum in fractione panis*, De SS. Eucharistia hìc dici, sentiunt magni Ecclesiæ Doctores. *Panis* ergo *hic* est *cognitionis Diuinæ* fons & auctor, ac per hoc Panis vitæ; quia *hæc est vita æterna, vt cognoscant te DEVM, & quem misisti IESVM Christum.* Hìc verò DEVS *cognoscitur* in se, & eius attributa Diuina relucent, vt Omnipotentiæ immutantis panem in Corpus Verbi, Sapientiæ mensam huiusmodi & tam admirabile conuiuium excogitantis, Bonitatis & Charitatis tam effusæ: Hìc *cognoscitur* DEVS Homo, eiusque amor in homines, & excellentissimæ Charitatis in Passione & Cruce demonstratæ hìc est memoriale: hìc *cognoscitur* DEI infinita dignitas & excellentia, quæ tanto sacrificio colitur: *cognoscitur*, qualis sit DEVS in homines in terris, cum quibus illi sint deliciæ esse & arctè vniri: qualis sit in gloria cælesti, cuius pignus est SS. Eucharistia: qualis dignitas hominis, qui DEO & Verbi Carne pascitur: *cognoscitur* item Mensæ huius suauitas, dignitas & efficacia ex miris effectibus. Ideô Sapientia clamitat & insipientibus loquitur. *Venite, comedite Panem meum*: hic panis

est

est intellectûs & cognitionis, depellit insipientiam.

§. XXXII.

Omne delectamentum, SS. Eucharistia.

Panem de cælo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem Sap. 16.

1. QVid in riuulis sectaris suaues cordis delicias? in hoc Oceano immergere, nec emerge. hîc *abyssus deliciarum*, quid atomo inhæreas? hîc *omne delectamentum*, quod non cruciat: omne, quod perennat, delectamentum sine nausea vel tædio. Manna habuit omne delectamentum gustûs: sed alterius sensûs vel potentiæ non habuit: imò etiam illud omne delectamentum gustui nauseam creabat, ideòque aliqui dicebant: *Nauseat anima nostra super cibo hoc leuissimo* At verò cæleste hoc delectamentum in desiderio animæ (*qui me gustant, esurient*) delectat, & desiderium suî acuit; vnde hîc dicens: *Ego verò delectabor in Domino*; etiam dicet: *Memoriale tuum in desiderio animæ* Omne delectamentum & desiderium infantis est in vberibus Matris: at tibi hîc dicitur: *Mamillâ Regum lactaberis.* Isai. 60. nam cibus hic *Regibus præbens delicias*, & in cælo regnantibus, mamilla Regum est.

2 *Delectamentum* totius hominis, omnium sensuum & potentiarum in nulla creatura est; sed est in SS. Eucharistia. *Visus* habet hîc dilectum candidum & rubicundum, candidum in pane vitæ, rubicundum in sanguine vuæ: habet hîc speciosum illum præ filijs hominum; habet *Pulchritudinem no-*

nam & antiquam: nouam in Verbo Incarnato, antiquam in æterno DEO. *cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur:* hîc pulcher sine qualitate DEVS, magnus sine mole, qui ipso etiam specierum Eucharisticarum aspectu animæ amanti DEVM voluptatem parit. *Auris* habet hîc vocem iucunditatis; & *Sponsus cithara tibi factus est* ait Bernardus; & per anagramma, *EVCHARISTIA*, idem est, quod *CITHARA IESV.* ô *sonet vox tua in auribus* meis, vox enim tua dulcis, ipse amor tantus, est vox dilecti. Clamat hîc amor ad te: En vt diligo te, qui toto me nutrio te, omnia mea tibi communico, omnia mea, tua sunt! *Gustus habet* hîc sapidissimum bolum, Carnem Christi, non carnem hircorum vel taurorum, quorum esus communis est feris, ac vermibus & putredini. *Quis det de carnibus eius, vt saturemur?* Beatus dicitur, *qui manducabit panem in regno DEI*, qui vtiq; hîc editur. Dum sic veteris, *mel & lac sub lingua tua*, mel in ore, iubilus in corde. *Etiam Cor* habet hîc thesaurum, qui *thesaurus requiescit in ore.* Nec *odoratum* præterit; nam *ecce odor Filij mei* (ait æternus Pater) *sicut odor agri pleni*, cui benedixit Dominus. Ad hæc *manus nostra* contrectauerunt de Verbo vitæ: & omnia mihi dedit in manus, cùm seipsum dedit. *Intellectus* verò habet hîc proprium obiectum, nempe veritatem, quæ dicit: *Ego sum Veritas, & Vita*: habet Panem intellectûs: *Voluntas* habet bonum, extra quod non est bonum; illud, inquam, bonum, de quo DEVS Moysi: *Ego ostendam tibi omne Bonum*; bonum honestum, bonum vtile, bonum delectabile, bonum perfectum, indeficiens ac æternum, bonum animi, bonum corporis, & supra omnia bona fortunæ. *Comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.*

3. Adhuc habes in Eucharistia *omne delectamentum,*

eum, quia omnia sunt in DEO, quem hîc habes. Si epulæ delectant? habes *cœnam magnam*. Si amicus? vnus hic super omnes. Si Sapiens: ipsa hîc Sapientia. Si fortem amas? ipsa hîc *Virtus DEI* ac fortitudo. Si diuitias: hîc *gemma* est illa *pretiosa*, & ille, *in quo sunt omnes thesauri* absconditi. Si laus delectat? en DEO Isaias dicit: *Laus mea tu es*! Et Dauid eidem: *Gloria mea, & exaltans Caput meum*. Si lucem deperis? *Lucerna est Agnus*. Si Sanctitatem: ter Sanctus est ac infinitè. Si affabilem & amænum; *non erit turbulentus, neq; tristis, plenus* est *gratiæ*. Si voluptatem & delicias? omnes terrenæ præ illo sunt amaritudo & *afflictio spiritus*. Vmbram in æstu quæris? *Vmbra eius, Caro eius*, vt ait Bernardus: de qua etiam pulchrè Augustinus addit: *Suscepit Vmbram, daturus lucem*. Deniq; nihil delectat, non cruciaturum, quod non sit in Christo. vnde Ambrosius suauissimè dicit: *Qui domicilio Christum recipit, maximis delectationibus exuberantium pascitur Voluptatum*.

4. Interrogat Augustinus: *Quis sic delectat, sicut ille, qui fecit omnia, quæ delectant?* nullus omnino. Ratio est: Quia qui fecit alia, quæ delectant, nulli ex eis indidit omnia, quæ delectant: DEVS ipse in se continet omnia illa eminenter, quæ in creatis delectant, & ipse DEVS est illud infinitè delectans præ omnibus, quæ delectant. Talis est Tuus *dilectus ex dilecto*, DEVS de DEO, ô anima. talis tuus in Eucharistia Christus; proinde *omne delectamentum*.

5. Omne *delectamentum* Christus hîc absconditus, *Humanum, Angelicum, & Diuinum*. Iste absconditus delectat Beatos facie ad faciem, quem manducas: hoc illi fruuntur, quo tu etiam saginaris. *Angeli* in eundem *desiderant prospicere*. Idem, meræ deliciæ MARIANÆ. hinc dicebat illa: *Dolentes*

quærebā.

quærebamus te: triſtis illi abſentia vel breuiſſima: quærebat delicias Orbis, & ſuas, & *exultauit ſpiritus eius in DEO ſalutari* ſuo; adeoq; illa maximè dicebat: *Ego verò delectabor in Domino & exultabo in DEO JESV meo.* Inſuper Chriſtus delectamentum eſt Patris dicentis: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Delectatur Pater ſeipſo, & Verbo Incarnato. Ergo ô anima, *intras in gaudium Domini tui*, habes omne delectamentum; habes bonum, quia ſemper immutabile, ideò ſemper delectabile: *intras in gaudium MARIÆ, in gaudium Beatorum.* Dic cum S. Agnete, dum hoc alimento paſceris: *Ecce, quod concupiui, iam teneo*: quod ſpero, iam illo perfruor; *hæreditas mea præclara eſt mihi*: hoc eſt omne delectamentum meum, omnes deliciæ ſuper omnes.

§ XXXIII.

DEVS Omnia, in SS. Euchariſtia.

Dicite inuitatis; quia parata ſunt Omnia. Luc. 14.

1. OMnia ſunt in DEO idealiter, cauſaliter, & eminenter, quæcunq; ſunt bona creata; at increata ſunt in illo formaliter & re ipſâ, nec dubium, quin plus in ſe contineat boni, quàm indiderit Creaturis. Creaturæ ſunt bonum de increato Bono participans; eſt tamen abundantius in DEO, quod participatur ab omnibus, eſtque inexhauſtum. Porrò in Chriſto ſub ſpeciebus Euchariſticis ſunt omnia; quia in illo *inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter*, in illo eſt Humanitas DEO vnita, Verbum Caro; in illo dona gratiæ & gloriæ ſuper omnes: in illo poteſtas excellentiæ, poteſtas mira-

culorum, dignitas Capitis, sanctitas infinita, pulchritudo super humanam, dulcedo super mel & fauum: Deniq; illa in eo omnia, sũt mihi omnia: mihi Protector, mihi Redemptor, mihi salus & pretium, mihi Cibus & poculum, mihi Sapientia & iustitia, mihi auxilium & firmamentum, mihi Mediator & Aduocatus, mihi lux, via, Vita, medicina, Magister, Pater, Sponsus. *Tu es ipse Rex meus, & DEVS meus*, & omnia. Quid ergo velim præ omnibus? quid particulam præ toto? radium præ Sole? atomum præ immenso? Quid quæris aliquid extra omnia? non est mirum, quòd multùm egeas, multù in desiderio tabescas, quia alibi non habes omnia; sed hîc habes, & quidem Omnia supra omnia.

2. In creatura non sunt Omnia; quia quælibet creatura est indigens, & ex se est nihil. In cibo corporeo tantùm est ratio sustentandi, non vestiendi: in potu tantùm est ratio restinguendi sitim vel aliter refocillandi, non implendi famem, aut aliam disparem indigentiam: in vestimento tantùm est ratio tegendi, non saturandi, & sic de alijs. At in Christo & DEO est ratio omnis boni; quia ille omne bonum vel in se reipsâ & actu continet, vel virtute ac eminenter. Vnde Augustinus pulchrè: *Omnis copia, quæ non est DEVS meus, egestas est*: DEVS est omne bonum, honor noster: DEVS noster diuitiæ nostræ: quæcunq; varia quæris, DEVS vnus est Omnia. Quod ad SS. Eucharistiam optimè accommodatur hoc ipso, quia hîc est DEVS in carne. Proinde Hugo de hoc cælesti conuiuio inquit: *Cibus vnus, vnum alimentum est; noli contemnere: non enim in multitudine, sed in vnitate satietas est*, quando nempe, vnum est Omnia. Dicatur effuso & disperso per creata; *Turbaris erga plurima*: vnum est necessarium, vnum Omnia.

3. De

3. De Beatorum gloria Scriptura inquit: *Tunc DEVS erit omnia in omnibus.* quia se totum omnibus Beatis communicabit, & Visio beata vt species expressa in mente Beati cuiusq; exprimet, quæ in DEO sunt, & ad eius essentialem beatitudinem spectant. Addit Augustinus: *Beatis DEVS dat totum, quod dare potest, superiora* ad fruendum; id est, tres Personas Diuinas: *æqualia* ad conuiuendum, id est Angelos & Sanctos: *inferiora* ad vtendum; id est, Creaturas ad vsum Beatorum creatas. Sic DEVS est Omnia, & dat omnia in cælo; dat & in Eucharistia, vbi etiam dicit: *omnia mea, tua sunt*; vbi Panis Angelicus omnes delicias præbet. Ergo, quod monet saluberrimè Thomas Kempensis: *Dimitte omnia, & inuenies omnia: dimitte modica, & accipe immensa* in hac Angelica Mensa. Paulus de se dicebat: *Omnibus omnia factus sum*: at quantò magis Christus id de se dicat, quo aleris? Hic ille est, cum quo (teste eodem Paulo) Pater Æternus *Omnia nobis donauit.*

§. XXXIV.

Cibus Grandium, SS. Eucharistia.

Quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! Bar: 3.

Dilata os tuum, & implebo illud. Psal: 80.

Manducauerunt & adorauerunt pingues terræ. Psal: 21.

1. COmmensurari debet, quoad fieri potest, Capacitas recipientis & recepti. Hinc montem non capit pugillus; nec scrobs bipalmaris immen-

sum mare. At *magnus Dominus & magnitudinis eius non est finis*; proinde magna sit domus DEI, & ingens locus sit, vbi recipitur. Et inde est, quòd Bernardinus Senensis dixerit: *Vt Mulier DEVM conciperet gigneretque; necesse fuisse, eam eleuari ad quandam æqualitatem cum DEO per quandam quasi infinitatem gratiarum, & donorum, & fieri Diuinam* (Tom: 5. Con: 6. a. 1 c. 12.) Sit ergo quasi DEVS, qui recipit DEVM. Porrò Christus apud Augustinum hortatur; *Cibus sum grandium; cresce, & manducabis me.*

2. Cresce ergo & dilatare, dilata omnes sinus cordis & potentiarum tuarum: intuere *quantus sit iste, qui ingreditur*; quantulus tu, ad quem ingreditur. Aliæ sunt Gigantææ, aliæ Pygmææ animæ. Qui *magnus coram Domino*, qui *Sacerdos Magnus* in diebus suis placens DEO; Gigas est, sicut & ille, qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur: at qui soluerit vnum de mandatis minimis, *minimus vocabitur*, vt & ille qui modicæ fidei & virtutis: aliqui enim sunt iuxta Ecclesiasticum *Homines magni virtute*. Ergo cresce, & à minimo incipe, nec modica neglige: nam ab his sæpe animæ grandescunt, & ab imis ad fastigium peruenitur: item virtutum sublimitati & præcellentiæ stude: nam virtutis eminentia, proceritas est animæ.

3. *Dilatat etiam, quod angustat:* id verò facit profunda humilitas, quæ Ancillam humilem IESV (sic se Beatissima Virgo appellabat, teste Eusebio Nierembergio) fecit capacem magnitudinis Diuinæ, in vtero eius includendæ, & capacissimam cælestium donorum præ alijs omnibus. Sanè *cibus hic & Grandium* est, *& Paruulorum* simul (*Paruuli petierunt Panem: Qui est paruulus, declinet ad me*) grandium, quoad virtutes in gradu excellenti; & paruu-

lorum,

lorum, quoad intimam demissionem. Nempe DEVS magnus quidem est, sed vbique & in minimo spatio est totus, non tantùm in tam spatioso mundo; excelsior cælis est, sed intuetur & abyssos.

4. *Dilatat, quod accendit.* Calor rarefacit, & dilatat. Charitas, hic calor seu ignis est, qui ex Pygmæis Gigantes animas facit. Pusilla in ô nulla fuit ante Conuersionem Maria Magdalena; sed postquam *dilexit multùm*, quanta euasit: è vase contumeliæ facta vas in honorem. Ergo dilatentur spatia charitatis, dilatent nos accensa desideria, & grandia; nam talibus Bernardus dicit: *Exultate, qui grandia animo concupiscitis; quia Magnus aduenit.*

5. Sunt adhuc *grandes animæ*, Heroes illi, de quibus in Face viæ Purgat. §. 18 19. egimus: sunt illi, quibus fortitudo in arduis, magnanimitas in summis, liberalitas in DEVM, ingens zelus gloriæ Diuinæ & animarum, ac eximia viuendi ratio Gigantum staturam indit. *Nemo potest ad staturam adijcere cubitum vnum* in corpore; *potest mille cubitos in anima, si velit.* Esto ergo inter grandes huiusmodi, vt Cibo Grandium congruè nutriaris. At si Pygmæus es, hoc te soletur, quòd ipse vsus SS Eucharistiæ crebrior te sensim Gigantem faciet; etsi & te *oportet crescere* ante illius vsum.

§. XXXV.

Prægustatio dulcedinis Diuinæ ac Visionis Beatæ in SS. Eucharistia.

Gustate & videte, quàm suauis est Dominus. Ps: 33.

1. DE *forti egressa est dulcedo*, & latet in hoc vitali Ferculo. *Aliud est* suaue palato corporis, aliud palato cordis: suauis corpori dulcedo creata; suauis

suauis animæ, dulcedo increata. Non satiat animam, nec satis illi sapit dulcedo, quæ non est animæ intellectualis propria, sed pecudi etiam communis. *Hoc differt* palatum rationis, à palato bruti, quòd sit capax dulcedinis, cuius non est capax brutum. Porrò *substantia DEI, dulcedo DEI est* (Sap. 16.) Hæc DEI dulcedo non est mel, sed super mel & omne dulce: non gutta, sed mare dulcedinis: dulcedo alliciens & satians, pellens famem & proritans esuriem: dulcedo, quæ non deficit, & quam nullum non approbat palatum, si vel leuiter degustet: dulcedo sapidissima ipsi DEO, dulcedo inebrians. Nam, vt inquit Augustinus, *perditur* quasi *mens humana, & fit Diuina*, estq; sobria ebrietas, quæ obliuionē præstat terrenorum. Atq; hæc dulcedo tibi offertur ac propinatur in Calice Salutis. O dulcedo ineffabilis, dulcescas mihi sola, & alia extra te, propter te mihi amarescant. *Sitio in cursu, satiabor in aduentu tuo.*

2. Pignus futuræ gloriæ nobis datur in hoc sacro conuiuio. Pignus aliàs dari solet in securitatem debiti, non in vsum; sed hoc Sacratissimum Pignus etiam in vsum esumq; datur. Vtere illo & fruere. Sed neq; aliud est hoc Pignus, quàm id, pro quo id pignus datur, nam illa ipsa merces nostra magna nimis, quæ in cælis datur, & tota obiectiua beatitudo cælestis, est in hoc Augustissimo Sacramento, in quo etiam per concomitantiam est Diuina Trias; loco autem fruitionis beatæ ac visionis, quæ est tentio ac possessio intentionalis DEI, datur hîc sumptio & manducatio, ita vt viator possit dicere, quod comprehensor Angelus Raphaël dixit: *Ego cibo inuisibili vtor.* Hinc, cùm hîc totum habeas inuisibiliter, sed certò, quod in Patria clarè dabitur, cum tali affectu & animi constitutione deberes ac-

cedere

cedere ad hoc conuiuium Diuinum, ac ſi ad cælum & conſpectum Diuini vultus admittereris; & ita te gerere poſt Communionem, ac ſi iam cæleſtes illas delicias prælibares vel poſſideres.

3 Deguſta ſaltem modicè hanc ſuauitatem, quæ hîc latet: Eſt hîc fons omnis dulcedinis. Nam eſt hîc dulcedo cibi & potûs; Diuini dulcedo palati hæc & Angelici: eſt hîc dulcedo cordis, dulcedo vocis, & dulcedo mentis, dulcedo totius animæ, omnis dulcedo. Cibus iſte eſt, mel de Petra: potus ille eſt prælibatio nectaris beati, & torrens ille voluptatis, de quo Dauid *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, & *apud Te eſt fons vitæ*. Guſta *quàm ſuauis* eſt Dominus in Carne beata & dotibus glorioſis affecta: *quàm ſuauis* in ſanguine viuifico (*Pulli eius lambent ſanguinem*) guſta, *quàm ſuauis* ſit Spiritus eius, quàm amabilis anima Chriſtî, perquam amans tui; *quàm ſuauis* in vulneribus (*Hinc paſcor à vulnere*) quàm *ſuauis* in tota Paſſione, quæ hîc ſuauiter recolitur, (nam *quò pro me vilior, tantò mihi carior ſuauiorque*) quàm *ſuauis* in lectulo Crucis mediâ charitate conſtrato, *quàm ſuauis* in throno gloriæ, quàm ineffabiliter dulcis in Diuinitatis abyſſali dulcedine. Hanc toto ore bibunt, huic inhærent & innatant Beati, hâc fruuntur & replentur. Guſta & tu eorum delicias & gaudium DEI: guſta dulcedinem, quæ hîc tota eadem quoad ſubſtantiam tibi datur, etſi nondum quoad modum ſimiliter, vt Beatis; & hinc inde concipe propoſitum æmulandi quoad hoc Beatiſſimam Virginem, quæ de ſe adhuc in terris poſita faſſa eſt B. Brigittæ: *Nihil mihi vnquam ſapuit, præter DEVM.*

4. Si hoc epulum eſt prægustatio Viſionis Beatæ; viue igitur in terris, vt Beatus in cælis: *eſto in via, ac ſi eſſes in Patria*, & ſtatu Beatitudinis æternæ. *In illo*

illo est continua cognitio DEI intuitiua, amor beatus, & indeficiens fruitio, & gaudium de DEO, continua laus DEI: ergo similes in Te affectus in DEVM vigeant & augeantur. *Item* ibi visio Beata DEI reddit contentum, Beatiq; satiat appetitum, qui dicebat: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*; nec ad aliud aspirat: sic & tibi sufficiat DEVS, quo tam mirabiliter saturaris. Nam (vt est Prou: 17.) *Anima saturata calcabit fauum.* Præterea ibi non erit tristitia & dolor; eundē hîc quaten⁹ ex passione orietur, prohibe. Addit Ven: Beda: *Ibi lædetur nemo, nemo irascetur, nullum ibi desiderium honoris pulsat, nulla discordia, sed cuncta consona, cuncta conuenientia*; Etiam dum es viator, hæc status Beati propria æmulare, qui participas de Beatorum delicijs & felicitate, in dato tibi Pignore futuræ gloriæ.

§. XXXVI.

Memoriale Passionis Dominicæ, SS. Eucharistia.

Memoriâ memor ero, & tabescet in me anima mea. Thren: 3.

Quotiescunq; manducabitis Panem hunc &c. Mortem Domini annuntiabitis. 1. Cor: 11.

1. TAnti est Christo *memoria acerba illius Passionis*, vt ipse per se illius sit memoriale, & non per Angelum, vel aliter eam refricet. In conuiuio illam menti reuocat, vt sapidiùs dulcescat; vel quòd deberet esse instar cibi & suauis conuiuij. Deniq; omnia in *id Memoriale* expendit sua, seq; totum. Debebas

bebas quidem vi gratitudinis pro tam ignominiosa Passione & cruciatibus Domini, esse illius sponte memor, & sine tot illicijs; multò magis tamen nouo tam suaui incitamento impulsus, amorosæ Passionis & tam viuificæ mortis Domini tui meminisse debes

2. Delicias Cælestes diximus prægustari in SS. Eucharistia; at in cælo specialis gaudij materies Passionis Dominicæ memoria: Hinc illi Ciues Beati dicuntur in Apocalypsi canere Cytharis suis, melos suauissimum, illud nimirum: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem & Diuinitatem, & honorem* &c. quod Canticum Rupertus ait, *maximam partem gaudij esse cælestis.* Cui datur prælibatio cæli in mensa Angelica; huic conuenit & similis cytharizatio, seu carmen memoratiuum & adorans Christum Passum, & recognitio dignitatis illius: *Dignus est accipere honorem* &c. Quare celebraturus, vel communicaturus cogitet, quasi requisitus ferre iudicium debeat, quo tanta dignatio Patientis DEI sit digna: & quòd etiam ipse id ei velit reddere per actionem sacrificam.

3. *Lauabit in Vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum* Gen. 39. vbi indicatur quòd Ecclesiam suam lauerit in Sanguine suo Christus, in quo beati, qui lauant ac dealbant stolas suas, ac animos & actiones. Et tu inter hos esto, & ante ingressum cæli, & ante Pignus cæli seu communionem. Vtrobiq; ingens munditia requiritur; nam & illuc *nihil inquinatum intrabit*; & hîc, *qui manducat indignè, iudicium manducat*; & mundissimo Domino mundissima debetur habitatio. Felix planè es, quòd tibi balneum præstò sit, in quo te emundes, & laues pallium tuum *in sanguine vuæ.* Nam hic est effusus in remissionem peccatorum. Quare præmeditatio-

ditatione opus est Passionis & sanguinis effusi à Saluatore, non sine gaudio, quòd hinc fontes hauriras ad dealbandam stolam, ne tibi dicatur, quod non habeas vestem nuptialem.

4. *Memoriam mirabilium* Domini vocamus SS. Eucharistiam. Mirabilia multa fecit Dominus; sed vix est mirabilius, quàm Mors D E I Hominis & nostra Redemptio, quare *memoriâ memor* ero illius, & *tabescet in me anima* mea. Effectus insuper Passionis Dominicæ, quàm multi, quàm admirabiles, at hi animæ per *Sacramentum* hoc applicantur: quàm ergo iustum est meminisse illius, ex quo tot bona in nos quotidie dimanant; Ecclesiâ pro illis obtinendis supplicante: *Tribue, ita nos Corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt Redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus.*

4. Idem memoriale etiam olim instillabant figuræ, vt in Isaaco oblato, in Agno Paschali occiso, in Manna cibo admirabili, in Iona demerso in mari, in quo Pharao cum exercitibus suis demersus: in victimis & sacrificijs antiquis, in quibus dicitur *Agnus occisus ab origine mundi.* Tot figuris D E V S hanc memoriam Christi Passi voluit consecrari, & nouissimè per hoc ipsum nouæ Legis sacrificium consecrauit. Quare non desis hîc voluntati & gustui Christi, & *ante Sacrum & in decursu sacrificij,* & pòst memor illius esto. *Præcogita* te æterno Patri, & illi ipsi repræsentaturum Christi Passionem & mortem: *item* vestimenta sacra, insignia huius Passionis commemorabunt: sacrificium verò hoc, memorabit cruentum in cruce; *Confessio* præmissa initio Sacri cum profunda inclinatione repræsentabit hortum Christi, vbi procidens in faciem suam orauit. *Oblatio,* eius oblationem de qua Propheta: *Oblatus est, quia ipse* voluit: consecratio Hostiæ & Ca-

licis

ficis immolationem cruentam, & ſeparationem corporis ab anima repræſentabit, quæ etiam repræſentatur per ſeparatas ſpecies panis & vini: *Eleuatio* Hoſtiæ Exaltationem Chriſti in Cruce, de qua ipſe dixerat: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham* ad me ipſum: Communio, exprimet ſepulturam; *oſcula altaris*, oſculum Iudæ: *eleuatio manuum*, ſacrificium veſpertinum &c.

§. XXXVIII.

Noua Præparatio ad Sacrum & Communionem.

Præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Pſalm. 9.

PRæter alias ſolennes præparationes, vt eſt vita inculpata coram DEO & hominibus; præter Sacramentalem Confeſsionem præmittendam vel ob cõſcientiam peccati, vel ob regulam & maiorem puritatem; præter commodam Horarum Canonicarum perſolutionem: item præter alia præpatiorum genera per deuotiones & affectus præuios, tum in alijs Auctoribus, tum in Miſſali contentos; & præter alia ſupererogationis opera pro libitu præmittenda; Aliud tibi Præparationis genus innuo, quod facies priùs factâ inuocatione Spiritus Sancti, nec non Beatiſſimæ Virginis: *Per Te acceſſum habeamus ad Filium, ô benedicta Genitrix Vitæ.* &c. Et pridie quidem bonum eſt, cogitare illud cuiuſdam Eſth. 5. *Cras cum Rege pranſurus ſum.*

Primò, ad augendam animi humilitatem & Contritionem cordis, ac maiorem puritatem conſcien-

tiæ, *Præmitte Confessionem summo Sacerdoti IESV Christo*, totiq; Curiæ cælesti, & contra teipsum tribunal exerce, actumq; Contritionis, iuxta modum sub Fructibus veræ pœnitentiæ descriptum, in Face Viæ purgatiuæ §. 7. & satisfactiones internas & externas exhibe, adhibito insuper vsu actionum vel Orationum, quibus annexa est Indulgentia Plenaria, vel alia etiam minor; vt sic etiam à pœnæ reatu purus accedas ad sacrificandum; non tantùm culpæ, sicut ad cælum requiritur, & cælestem gloriam, cuius pignus in SS. Eucharistia accipis. Quare

Secundò, Cùm ad Cælum Visionemq; beatam non admittatur anima, nisi plenè purgata, ideò te ad *triplex Purgatorium* in Face Prima expositum §. 35. 36. 37. condemna; imò & ad Ignem æternum continui amoris Diuini, ibidem proximè ante §. 31. indicatum, & in hoc dulci incendio ardere incipe, vt charitas ardens operiat multitudinem peccatorum. Sic tum illud exprimes: *Ignis ante ipsum precedet*; tum illud: *Iustitia & iudicium præparatio sedis eius.* Nam iustitiæ speciem dabit ignea hæc pœna, & triplex purgatorium: & insuper hoc igne ardens quasi Seraphinum exprimes in hac fruitione DEI mysticà fruitionem cœlestem adumbrante.

Tertiò, Cùm mundissima huic Domino, cum quo ages, quem recipies, debeatur habitatio; adhuc maioris puritatis gratiâ *Baptismum moralem* præmitte in Prima Face §. 38. insinuatum, vt sic quasi renatus ex fonte Baptismatis & primogenitus infans accedas.

Quartò, Et dignitas Sacramenti, & Augustinus iure exigit: *Innocentiam ad altare apportate.* Hanc vt afferas, tum puritati conscientiæ semper à minimis næuis præseruandæ stude: tum statum Innocentiæ imitare, qui continebat statum gratiæ, & subor-

ordinationem appetitûs rationi, rationis DEO, & passiones consequentes rationem: tum notas Innocentum ex Apocalypsi, vbi dicitur: *Virgines enim sunt, primitiæ DEO & Agno, sine macula sunt ante thronum DEI, quorum in ore non est inuentum mendacium*: Tum notas infantium & puellorum ex Hilario: *H. enim Patrem sequuntur, matrem diligunt, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt, non insolescunt, non oderunt &c.* Tum Dauidis *pœnitentiam*, quæ illi nouam indidit innocentiam; vnde dicit: *Ego autem in innocentia mea ingressus sum*: Tum in alijs innocentiam conseruare satage monitis, precibus, sollicitudine: nam vt aliarum virtutum studium in alijs ex earum amore promotum, in te earum laudem transfert, sic innocentiæ alienæ cura.

Quintò, In augmentum & protestationem tui amoris, ante hoc Sacrificium & *amoris Sacramentum* (vt illud vocat S. Thomas) præmitte *Martyrium Cordis*, de quo ibidem habes, §. 39. & charitatis Seraphicæ ignibus inardesce iuxta §. 9.

Sextò, Cùm in Persona Christi sis sacrificaturus, eum indue, ac in illum affectiuè transformare per amorem. quare Incarnati Verbi affectus & obsequia erga æternum Patrem, eius compassionem erga homines, zelumq; gloriæ Paternæ & hominum, ac reliquas eiusdem virtutes assume, atque tibi appropria: nec tantùm quoad virtutes illi assimilare & configurare, sed etiam in DEVM aliter transmutare, etiam Diuina attributa pro viribus gratiæ exprimendo, vt habes in Face Illumin. §. v. & XLIII. Nêpe, vt docet S. Bonauentura: *Cùm fueris totus Diuinus effectus, ita vt nihil videas sentiasq; nisi DEVM, tunc accede.*

Septimò, Non solùm Christi sacrificantis in Cruce & altari cor & affectum indue quoad actus inter-

nos

nos & externos erga Patrem æternum; ſed etiam, quos ipſe elicies actus, non vt tuos, vel à Te, ſed corde Christi, & velut à Christo elicitos vel elicien- dos DEO exhibe. Id enim infert tua in illum transmutatio myſtica, de qua etiam videre licet in Face Illumin. §. 17.

Octauò. Non tantùm Christi ſacrificantis, ſed etiam omnium Sacerdotum Noui & veteris teſtamenti, & ſacrificaturorum vſq; ad diem iudicij Perſonas, merita, affectus inflammatiſſimos aſſume, approba, ratifica, elice, offer in vnione Primi & ſummi Sacrificij & Sacerdotis Christi: *imò* & aliorum defectus coneris affectiuè ſaltem ſupplere, & idololatrarum ſuperſtitionem corrigere, proque illis ſubſtituere hunc ritum actumq; ſacrificandi DEO viuo & vero, idque pro ſingulis actibus eorum ſuperſtitioſis, quibus Deos falſos coluêre coluntque. *Item* velis per hoc omnes iniurias & offenſas mundi compenſare DEO. nam huius ſacrificij maior eſt infinities excellentia & ſuauitas, quàm ſit grauitas omnium mundi delictorum. *Adhæc*, ſiquidem dignitatem & actus præſtantiſsimos tot Sanctorum non habes quoad ſpeciem, numerum & intenſionem, tum actuum ipſorum, tum gratiæ; hoc actu ſacrificandi tuam hanc inopiam ſupple, qui actus in Perſona Christi exercitus præſtantior eſt cum re oblata, omnibus actionibus Sanctorum præſtantiſsimis; cùm ſit actio moraliter ab ipſo Christo per miniſtros eius exercita, & informata ab interna voluntate Christi, talem actionem imperante & inſtituente, quæ eſt infiniti valoris.

Nonò. Cùm homo nequeat adæquatè colere, laudare, amare DEVM per ſe, quantum adorabilis, laudabilis ac amabilis eſt in ſe, ac in tota latitudine dignitatis ſuæ; *cùm tamen* hoc ſacrificio adæ-

quatè

quatè dignè colatur per Christum *Sacerdotem æternum*; *cùm item* hîc pretium sit, quo est plenè satisfactum pro peccatis totius mundi; *Ideò* cum hac ardenti voluntate DEVM adæquatè colendi pro te & omnibus ad sacrificandum accede: *Item* de hoc exulta & gloriare, te hunc commensuratum Diuinæ dignitati cultum, laudem, ac amorem & satisfactionem per Christum exhibere posse, cùm aliàs per te nequeas; etsi tuum etiam addes in vnione illius.

Decimò. Multiplex *intentio præmittenda*: *Tum vniuersalis* sublimior, intensior ac ardentior, si quam omnibus operibus sublimandis adhibes, potestq; hæc elici quæ in fine libri ponitur, *vel ex industriis P. Gasparis Druzbicij, vel aliunde*: *Tum intentio* consecrandi panem & vinum in Corpus & sanguinem Christi, adeoque offerendi Sacrificij incruenti ac conficiendi Corporis & Sanguinis Christi in Persona Christi; item offerendi nomine totius Ecclesiæ & DEVM colendi, orandique; nec non in persona propria: *Tum intentio* quatuor finium Sacrificij, nempe laudis & cultûs, gratiarum actionis, Propitiationis & satisfactionis, impetrationis: *Tum intentio* repræsentandæ ac rememorandæ Dominicæ Passionis DEO suauissimi Sacrificij, summæ in nos dilectionis testificatiui; quæ intentio nobis sacrificaturis à Christo præfixa illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*; & à Paulo 1. Cor: 11. *Quotiescunque manducabitis Panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini* annuntiabitis: *Tum intentio effectuum* Sacrificij & Sacramenti, ac vnionis cum Christo, & transformationis in illum: *Tum intentio applicans alicui* fructum specialem huius Sacrificij: *Tum intentio implendi tui muneris* Sacerdotalis, nempe offerendi Sacrificij pro peccatis & in odorem

suaui

suauitatis, vt habetur Eccles: 44. *& illius muneris*, quod describitur hîc §. 28. nempe legationis obeundæ nomine Christi & Ecclesiæ: *Tum, uti iam innui, intentio* adæquati cultûs Diuini per Christum, recreandi cordis Diuini victimæ suauissimæ ac infinitè gratæ oblatione, compensandi offensas Diuinas in momenta per orbem multiplicari solitas, per infinities gratius Sacrificium; nec non iuuandi plurimos e viuis ac defunctis: *Item intentio* lætificandæ cælestis Hierosolymæ, & quoad fieri potest, gloriosissimæ Diuinæ Parentis, aliorumq; Cælitum, quorum etiam solennia peraguntur: *Tum intentio* Indulgentiæ, si quæ est, quæ viuis aut defunctis attribui possit: *Tum intentio omnis deuotionis*, noui feruoris actuum & affectuum à quocunq; elicitorum, vel elici possibilium in Sacrificio.

Vndecimò. Omnes actiones & functiones omnium potentiarum, omnia momenta illius temporis, quæ sub Sacrificium decurrent, tanquam DEO specialiter sacra offer & voue ex amore, & cultu Latriæ.

Duodecimò. Præmitte Sacrificium ante Sacrificium. Præeat *partim* Sacrificium contribulati, & cordis contriti, quod renoua; *partim* teipsum & tua omnia per modum holocausti DEO illiusq; cultui dedica, ac per vota religiosa in igne amoris concrema: *partim* Sacrificium Nihili offer, dequo hic proximè actum §. 30: *partim* sacrificium & immolationem famæ, æstimationis, commoditatum, temporis & vitæ, ac omnis oblectationis & delectabilium seu oblectamentorum, & solatiorum: *partim* in voluntatem DEI te plenè in omnibus resigna: *partim* Beatissimæ Virginis merita, & Sacrificia omnium (latè etiam Sacrificium sumendo) & quidquid vnquam & vsquam DEO placuit placebitque, offer

offer ipſumq; Chriſtum, & quidquid offerri in illo poteſt, ſacrifica & offer per Chriſtum in ſolennes quatuor fines Sacrificij, in laudem, in gratiarum actionem, in ſatisfactionem in impetrationem. vide paulò antè §. 25. 26. 29.

Decimo tertiò. Præmitte Communionem ante Communionem, puta ſpiritualem ante Sacramentalem, idq; *tum* modo explicando infra §. 42. *Tum* excitando in Te deſideria paria animabus aſpirantibus in Purgatorio ad videndum DEVM: *vel ſimilia* deſiderijs Beatiſſimæ Virginis accelerationem Incarnationis Dominicæ, & poſtea Chriſtum in ſumptione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ poſt Aſcenſionem ardentiſſimè deſiderantis; *vel aliorum* deſiderijs inflammatiſſimis percipiendæ huius Angelicæ alimoniæ, & *potiſſimùm* Chriſti Domini deſiderio, cùm diceret: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum*, antequam patiar. Nempe vt ait Cyprianus: *Eſus huius Sacramenti, eſt quædam auiditas.*

Decimo quartò Fiat concentratio affectiua, & quoad fieri poteſt, æmula actuali exercitio omnium affectuum, meritorum, actuum, deuotionum, præparationum ad ſacrum & Communionem, exercitiorum virtuoſorum ab vllis elicitorum, eliciendorum, & poſſibilium, in quauis circumſtantia, & abſolutè, ac etiam omiſſorum, & quorumuis aliorum DEO placentium, & placiturorum obſequiorum, & actuum cuiuſuis ſubiecti & perſonæ, cuiusuis loci & temporis; adeoq; fiat affectiua vnio, ſeu coadunatio, ac concentratio omnium locorum, temporum, actuum bonorum cum omni circumſtantia, modò, intenſione, multiplicatione, extenſione perfectiſſima; fiat, inquam, in quauis particula temporis Sacrificij, in quouis motu, litera, & puncto, ſemper hæc omnia optando augeri propor-

tione per intellectum & affectum Seraphicum, MARIANVM, & à Christo, cogitabili ac desiderabili; atque ita protestatio facienda, quòd in huius voluntatis vim & exhibitionem velis ponere hunc actum sacrificandi, qui sit ex tua voluntate, & Diuini gustûs studio, concentratio prædicta continua.

Decimo quintò. Proportionati affectus excitentur tum ad Corpus Christi sub speciebus Panis, tum seorsim ad Sanguinem sub speciebus vini, tum ad Animam & Personam Verbi, ex ijs textibus Scripturæ, qui afferentur mox §. 41 num. 5. 6.

Decimo sextò, Victoriæ aliquæ præmittendæ: Nam Apoc. 2. dicitur *Vincenti dabo edere de Ligno Vitæ, quod est in Paradiso DEI mei;* qui etiam est militans Ecclesia. Et Christo victori tentantis dæmonis, accedentes *Angeli ministrabant* famelico. Hæ victoriæ sitæ erunt *tum* in Confessione Sacramentali: *tum* in præuia compositione turbationum animi, & passionum, quæ perturbarent sacrificantem, nisi sopirentur antea: *tum* in anticipata & consequenti torporis & tepiditatis excussione per sanctas cōsiderationes ad summum & primitialem feruorem excitantes, ac vt sine admistione vllius defectûs, dignè DEO, dignè Personâ Verbi, quam geres, dignè effectibus Sacrificij participandis, nec impediendo illius fructum, celebres: *Tum* in præuijs Mortificationibus, & sacrificio adiunctis: *tum* in occurrentibus difficultatibus vincendis, *tum* in præparatione animi, & desiderijs heroicis, vt Petrus in Cœna vltima: *Tibi Domine, commori, & in carcerem ire tecum paratus sum.*

Decimo septimò Apparatum adhuc & animi ornamenta auge. *Primò.* Pænè aureus esto: Nam sic hortatur Ambrosius: *Margarita nonnisi auro conuenit: & vos aurum estote, & aurum optimum, vt possit in vobis*

bis Margarita spiritualis Christus includi. Quare quidquid te pretiosum in oculis D E I ac aureum pœnè efficere possit, id age, & in illud aurum, dequo in Apocal: *Suadeo tibi emere aurum ignitum,* omnia impende: non sis tamen vt Baal, foris aureus, intus luteus. *Secundò.* Esto Paradisus voluptatis; nam ibi situm est Lignum vitæ, quod etiam Christus est. at in Paradiso omnia pulchra, omnia amæna, status innocentiæ, fluuius irrigans superficiem Paradisi, Cherubinque ad eius custodiam, Enoch translatus in Paradisum &c. quæ mysticè in te transsumenda. *Tertiò.* Esto adhuc Cælum supremum. nam *cælum cæli Domino*: *Cælum mihi sedes est,* dicit Dominus. quod ergo scis contineri in cælis, quod ibi fieri à Sanctis & Angelis D E I, hoc Christo exhibe: exprime cæli proprietates, quæ sunt, Magnitudo, claritas, firmitas, incoruptibilitas, pulchritudo, motus in omnes beneficus. Quia verò Cælum triplex, Planetarium, Stellatum, Empyreum; Omnes cælos effinge, ô electe DEI: nam & pulcherrimum est, quòd quædam electa anima dicatur, simul *vt aurora,* & *vt Luna,* & *vt Sol,* electa; hoc sit vt *Cælum Planetarium. Firmamentum* D E O in Te effinget virtutum soliditas; & meritorum multitudo cælum Stellatum, vt dicatur: *numera Stellas, si potes. Empyreum* est tertium & supremum cælum; rapiatur & I E S V S in tertium hoc cælum, quod in Te repræsentabunt vita supercælestis, ac possessio D E I per gratiam; Visio eiusdem per intentum ad æterna bona oculum ac intentionis sublimitatem. Ratione primi cæli, quòd illud libenter D E V S inhabitet, dicitur in Psal. *In Sole posuit tabernaculum suum.* Ratione secundi dicitur: *Benedictus es Domine in Firmamento cæli.* Ratione tertij dicit de Christo Paulus. *Ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia*

& DEVS apud Prophetam de hoc cælo dicit: *Cælum mihi sedes est*, *terra autem scabellum pedum meorum*. Vnde obiter disce, terrena & terrenorum desideria infra DEI pedes esse abijcienda, imò & infra tuos, vt nihil nisi cæleste sapias ante accessum ad DEVM. *Quartò* effinge moraliter DEI Paræ apparatum. Hæc fuit tabernaculum DEI cum hominibus primum & dignissimum; & tamen dicitur: *Non horruisti Virginis Vterum*: vide ne te horreat. ideò *adorna & tu thalamum tuum, Sion, & suscipe Regem Christum*. De illa dictum: *Domus pudici pectoris, templum repentè fit DEI*; ergo & tu templum Domini esto: Nam *Dominus in templo Sancto suo*. sonet in hoc templo laus DEI, sacrificia immolentur, cruces fulgeant: cogita, quomodo ante Incarnationem Filij DEI se præparauerit, quâ puritate enituerit, quàm ardentibus desiderijs eum cælitus traxerit, quomodo in eam Spiritus Sanctus superuenerit: quo affectu Christum in templo eadem obtulerit, & in Cruce: quibus deinde incendijs arserit in vsu SS. Eucharistiæ. Hæc recole & imitare. *Quintò*. Indue cor & affectum Æterni Patris erga Christum, quem eodem affectu complectere, vt Pater æternus in eo sibi complacuit. dicit enim: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. *Sextò*, Esto vt electus, ac electorum ad cælestem gloriam proprietates assume. Nam id *Frumentum Electorum* dicitur, & est: sed pauci electi: tu inter paucos huiusmodi esse velis. De quadam Persona dicitur, *Electa vt Sol*: *Elegit eam & praelegit DEVS*. De alio *Electus ex millibus*. De quibusdam: Elegit nos, vt essemus Sancti *& immaculati in conspectu eius in charitate*: *Elegi vos, vt eatis & fructu afferatis*: hos electos in te exprime. *Septimò*. Vade speciosus ad Speciosum, *Item* exhibe illi in te descen-

suro splendidam pompam, quam vel cælum exhibuit ascendenti, vel quam per partum Virginis edito Angeli instruxere, iuxta illud: *Et adorent eum omnes Angeli eius.*: Et *facta est multitudo militiæ cælestis canentium, Gloria in altissimis DEO.* Nempe si hæreat cor in infimis, non redditur DEO gloria, nec digna est præparatio sedis eius. *Octauò.* Cùm hîc Cibus sit *Cibus Grandium*, vt suprà dictum: ergo grandesce & dilatare in anima, iuxta dicta §. 35. *Nonò.* Cùm in Hymno Ecclesiastico dicatur: *ô res mirabilis! manducat Dominum pauper, seruus, & humilis!* Item in Psalmo: *Escam dedit timentibus se*: Item Psalmo: *Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*; ideò virtutes hîc laudatas, animo per actus & desideria ac exercitium earundem imprime, vitia reprehensa proscribe. *Decimò.* Cùm ad hunc Salutis Craterem vocatis dicatur: *Et insipientibus locuta est: Venite, comedite Panem, & bibite Vinum, quod miscui vobis* Prou: 9. ideò tum stultæ illius Sapientiæ (de qua in Face illumin. §. 22.) exercitium amplectere: tum tuam in via salutis ruditatem agnoscens, ad Doctorem Iustitiæ Christum & Sapientiam Altissimi anhela. *Vndecimò.* Cùm Panis hic sit Angelicus, indue mores & virtutes Angelicas, de quibus dictum §. 29.

Decimo octauò. Cùm à Paulo damnetur ille hîc Conuiua, *qui manducat & bibit non diiudicans Corpus Domini*; ideò tu institue *diiudicationem*, comparationem & discrimen inter hoc conuiuium, in quo Christus sumitur; & inter conuiuia ex tauris, & altilibus, & ex illis, quibus terra nutrit, vel illi, de quibus Sapiens; *Fili mi, si te lactauerint peccatores, non acquiescas eis.* Dijudica id conuiuium *tum ex apparatu Diuino & excellentia Cibi*, qui est Caro Verbi:

 vbi

vbi adeſt DEVS, DEI Caro; & illud Prophetæ impletur: *Faciet Dominus Conuiuium pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ*: Tum *ex effectibus*, & commodis huius conuiuij, vt eſt illud: *In me manet & ego in eo*: *Viuet propter me*: *viuet in æternum*: *R ſuſcitabo eum in nouiſſimo die*: *Tu mutaberis in me*. Et illud apud Cyrillum Alexandrinum: *ſedat in nobis Chriſtus ſæuientem membrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, colliſos redintegrat, & ab* omni nos erigit caſu: *Tum ex fine* huius Conuiuij, qui eſt refectio animæ ſpiritualis, & arcta vnio cum Chriſto (cuius proinde impedimenta amolire) planè iuxta illud: *Erunt duo in carne vna*, ideoq; dicit Paulus: *Vnum corpus* ſumus: *Tum ex illa Conſideratione*, quòd aliqua conuiuia ludibrio pateant, & DEVS in illis venter; item quòd ſint communia brutis, & mittantur canibus, deque illis Pauli eſt ſententia: *Eſca ventri, & venter eſcis, vtraq; autem deſtruet DEVS*: *Regnum DEI non eſt eſca, & potus* terrenus, brutoq; communis: ſecus dicendum hîc. Sic diiudica Domini Corpus, & ad illud ſanctè anhela, longè aliter, quàm ad alios cibos.

Decimo nonò. Ad vtramque ſpeciem Sacramentalem, ibique contentum totus anhela, omnes famelicorum orexes, ſitibundorum deſideria huc referendo, & colligendo, auulſo ab alijs animo & terrenorum affectu. Sic affectus, *eum inuita* ad te vrbaniſsimè & ardentiſsimè. Illud autem tibi acuat famem ad hoc cæleſte Epulum, quod poſitum eſt hîc ſub § 31. 33. 34. 36. Vbi oſtenditur, quomodo SS. Euchariſtia ſit *Panis vitæ* & intellectûs, ac *omne delectamentum*. & quòd in illa ſit *DEVS Omnia*, nec non *prælibatio cæli & Diuinæ dulcedinis*: Deinde mixi effectus Euchariſtiæ hic immediatè propoſiti, &
omnia

omnia bona, quæ *veniunt tibi* pariter cum ea, seu ane desiderium, ac tædium sine illius vsu inijciant. *Præterea* tituli alij, qui Christo conueniunt, quibus eum inuita v. g. *Veni dulcedo ineffabilis, omni dulcore dulcior, præ cunctis amabilior: totus desiderabilis, in quem desiderant Angeli prospicere, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur: Veni Sole serenior & balsamo suauior: Veni gaudium meum & corona mea, excedens omne gaudium & omne desiderium: Veni delectatio mea prædulcis & oblecta me: Veni lux increata & illumina me. Veni ô pulchritudo noua & antiqua, & rape me in amorem: Veni diues in misericordia, & dita me; Veni fons vitæ, & refice me, ac tuo amore inebria. Veni Ignis consumens, & accende in me flammam æternæ charitatis: Veni Consolator optime, dulcis hospes* animæ. *Item iuuat* illas inuocationes vsurpare ac titulos, qui ponuntur sub 3tia Dominica Aduentûs in Antiphonis, nimirum: *O Sapientia, veni ad docendum nos viam iustitiæ: ô Dux domûs Dauid, ô Oriens & splendor lucis æternæ, veni & illumina sedentes in tenebris & in vmbra mortis: ô Rex gentium, ô Emmanuel* &c. quæ vide in Breuiario.

Vigesimò. Quasi sumpturus esses moriturus viaticum vltimum, præmittenda est præparatio ad mortem, iuxta dicta in Facis primæ, §. 21. & 23. Cogita tibi dici, quod Eliæ Angelus: *Surge, comede, grandis tibi restat via:* & ambulabis in fortitudine cibi illius vsq; ad montem DEI.

Vigesimo primò. Age iuxta monitum Christi: *Cùm inuitatus fueris, recumbe in nouissimo loco.* ergo humillimum de Te sensum iuxta dicta §. 20. in illuminatiua Face, & alios humilitatis actus renoua, vt illum: *Respexisti Domine super Canem mortuum & pulicem vium. Quid est homo, quia magnificas eum?* Et *Tu venis ad me? cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere & dignum ducis super huiusce modi vilitatem aperire oculos tuos!* &c.

Vigesimo secundò. Imitare nostrum Sanctum IGNATIVM, cui singulari solatio fuit, cogitare se refici in SS. Eucharistia Christi Domini carne, quæ fuerit Matris eius Sanctissimæ Caro ex illa assumpta. Nam Augustinus in Psalmo 98. ait: *De Carne MARIÆ carnem Christus suscepit, & ipsam carnem MARIÆ nobis manducandam ad salutem dedit.*

23tiò Fructû Sacrificij ritè applica antè. Est autè hic triplex. *Primò* Cōmunis toti Ecclesiæ, cū in Canone dicatur: *Inprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua Sancta &c.* Item omnibus Sacrum audientibus, vt est in Canone. *Et omnium circumstantium &c. pro quibus tibi offerimus.* *Secundò* est fructus specialis, quoad satisfactionem & impetrationem. & hic fructus est applicandus ei, pro quo sacrificas, vel ob stipendium acceptum, vel liberè, prout sunt illius fructûs capaces. Iuuat etiam conditionatè alteri applicare fructum hunc, si ille, pro quo offers, non sit capax illius v. g. anima damnati, vel iam fruentis visione beatifica, qui incapaces sunt affectûs satisfactorij &c. *Tertiò.* est specialissimus, qui Sacerdoti cedit, nempe qui respondet propriæ deuotioni Sacerdotis, nec hunc alteri tenetur applicare.

Vigesimo quartò. Festi Circumstantias & Euangelij eo die occurrentis verba ac sensus, in præparationem & congruos actioni Sacrificæ ac Communioni affectus trahe: & inde nouam præparationem ad sacrum & communionem semper, præter ordinariam, quæ hîc describitur, adinueni & adhibe. Nempe in Natali Christi, & Paschate & Pentecoste; item in Festis Beatæ Virginis & Sanctorum noui aliquid superaddendum ex considerationibus & affectibus præuijs & concomitantibus congruum tempori. Etsi autem toti sacro tunc noui congrui affectus

ctus erunt adinueniendi, potissimùm tamen in of-fertorio, Consecratione, Eleuatione, & Communi-one; & post Sacrum.

Vigesimo quintò. Adhuc age iuxta Vocem Cla-mantis: *Dirigite viam Domini*: nam *viæ eius, viæ pul-chræ* & rectæ: aspera planate, valles implete, mon-tes humiliate & colles, vt tumor absit, ne transi-liat colles gratia tanti Hospitis. Item Præcurso-rem Domini imitare coram Christo adhuc in vtero exultantem &c.

Vigesimo sextò. Postula benedictionem ad sacri-ficandum à Personis Diuinis, & Beatissima Virgine, quam roga, vt sacrificanti tibi assistat, vt adstitit sacrificanti in cruce Christo: proinde eam, & aliquos Cælites conduc aliquibus obsequijs & actibus ad assi-stendum & succurrendum tibi, quod etiam aliàs v-tiliter vsurpabis: Item actus virtutum internos re-noua, Fidei, laudis, gratitudinis, adorationis, con-fusionis, timoris, Charitatis, Contritionis, zeli, de-siderij, famis, ornatûs, glorificationis exaltationis Intentionis purissimæ, postulationis variæ, humili-tatis, & illa verba *Domine non sum dignus*, multiplici affectu & consideratione condiendo ac repetendo. Item Memento præuiũ vtrumque præmitte. *Deinde* quasi vocem illam audires: *Ecce Sponsus venit, exite obuiam ei*: tum illam Christi ad *Zachæum*; *Descen-de, hodie oportet me in domo tua manere*; exi quan-tocyus & descende, atque cum Simeone abi *in spi-ritu ad templum.*

Nota ex prædictis te posse aliqua in cursu Sacri-ficij breuiter mente recolere; sicut & actus pro-portionatos Festo, & verbis Missalis, & actioni sacræ.

Denique cùm hîc sit memoriale Passionis Do-minicæ, eam antè & sub sacro recole, tum illo mo-do, de quo hîc dictum est, §. XXXVII. tum aliis

iuxta

iuxta modos affectuosè recolendi Pasſionem Domini ab alijs indicatos; & in Face Illumin: §. LXIII, & ſequentibus. *Item* iuxta Pſalmi centeſimi requiſita te ad ſacrificandum præpara in vita tua.

§. XXXVIII.

Liturgia,

Seu Modus celebrandi Sacrum à S. Franciſco Borgia obſeruatus.

Hoc facite in meam Commemorationem, 1. Cor: 11.

1. ANtequam *ſacras Veſtes indueret* prædictus Sanctus, memoriâ repetens, *tum* Sacerdotibus ad altare olim Moſaicum acceſuris interdictum vini guſtum: *tum* prælotos à Domino Sacroſancta myſteria instituturo Diſcipulorum pedes; *ſeque* & ſæculi curis ebrium, & non quoad veſtigia tantùm, ſed & manus, & caput inquinatum recognoſcens; *præter* Pænitentiæ Sacramentum, lacrymis diluere curarum illud merum & in acetum vertere, ijſdem culpas & ſordes eluere conabatur: confuſionem *interea*, timorem, charitatem & affectus alios ex infinita magnitudine, & maieſtate immenſa myſterij excitans.

2. *Dum iam ſacras Veſtes indueret*: velut lupum ſe in veſtimentis ouium intuebatur, & dæmones ſuorum ſcelerum conſcios videbatur audire per irriſum exprobrantes: *En Saul inter Prophetas: Ecce Adam, quaſi Vnus ex nobis!* tum *ſingula* ſacri cultûs ornamenta pretioſa & mollia, cùm contumelioſo Chriſti

Christi amictu, catenis & cruce comparabat: *& cogitans*, quæ ex eius vestimentis virtus exiret ad sanandos ægros, induere animum eius sanctæ mulieris studebat, quæ dicebat intra se: *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti eius, salua ero.*

3. Sub hæc, submissis ex alto pudore & pauore luminibus, *ad altare procedens*, veterem illam & seueram comminationem subijciebat, quæ est Exodi 19. *Omnis qui tetigerit montem, morte morietur. Sacerdotes autem & populus transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne fortè interficiat illos.*

4. *Inter sacrum mirabatur* esse sibi homuncioni nequissimo & exuli cantanda cantica Domini in terra aliena, & cantica Angelorum (*Gloria*, & *Sanctus*) & eorum, qui Agnum sequuntur, quocunq; eat; à quibus quantum se dignitate ac munditiâ distare sentiebat, tam illa ori suo carmina parum consentanea fatebatur. *Erubescebat quoq; agendas* in Oratione, *sequestri partes* inter DEVM & populum homini, qui per tot iuuenta perdere animas consueuisset: *legendum* Diuinæ volumen Sapientiæ sessori cathedræ pestilentiæ: *promulgandum* Euangelium, veterano per facta atque exempla Euangelij impugnatori.

5. Sed vltra modum verecundiâ & confusione operiebatur *Oblationem apparans*, secum versans, quidnam animi gereret, qui vnicum & prædulcem Patri Filium, quem idem crudelissime necâsset, accederet oblaturus. *Rogabat* igitur submississimè Patrem cælestem, vt id à se officij non respueret; & *gratias agebat*, quòd non respueret.

6. At *Consecrationis tempore* appetente totus commouebatur & cohorrescebat, quasi audiret Dominum: *Ecce appropinquat hora, & Filius Hominis traditur in manus peccatorum*, se illum sceleratorum de-

terrimum interpretans, cuius iamiam tradendus in manus Filius hominis, idemque Filius DEI esset. quam cogitationem ita acrem potentemq́; in sese experiebatur, vt nimis censeret durum, qui ad eam non emollesceret.

7. Iam inenarrabile est, *quàm pie* permisceretur sensibus, & quàm multiplicem adhiberet venerationem *in Hostia sacrosancta cantatu.* Ideò *Sanctos* Simeonem & Iosephum, & ipsam DEIparam, quorum sinum & vlnas Christi beauit infantia, vt cælestis vrbanitatis præitores Magistrosq́; assumebat, rogans, vt ministerium pari animi sensu par gereret: *Nunc* horrens mirabatur, se non percelli, vt quondam manu ad Arcam porrectâ Ozam: *Nunc* dulcissimè confirmabatur, differens, cùm se Agnus in lupi potestatem traderet, quidni se lupus Agno illi committeret; totiesque *in manus sese Domini offerebat*, quoties illum sumeret in suas. *Aliàs ad* singulos attactus, *singulas Cruces*, quas *quinque* sibi acutè distinxerat, precabatur, vel vt sentiret dolores, quos in Caluaria primùm Ioannes, dein Magdalena, & Ss. Mulieres, tum mæstissima Parens, postremò Dominus ipse pertulisset: *Aliàs optabat* ijs affectibus commoueri, qui DEIparam subierunt, cùm Filium in præsepi, cum in Circumcisione, cùm in oblatione ad templum, cùm in Caluario, & sepultura vlnis & sinu excepit: *Aliàs, quoties attingebat, cupiebat* vicissim salutarem manus Domini attactum sentire; & *nouum* semper pro tempore ac necessitate donum postulabat, memor prodeuntis è Domino virtutis, quâ tangentes salui fiebant. Et profectò omnium animis deberet obuersari iusta Chrysologi admonitio: *Audiant Christiani*, inquit, *qui quotidie Christi Corpus attingunt, quantam de ipso corpore sumere possint medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi*

fimbria

fimbriæ sanitatem. Miseri, qui quotidie Corpus Domini tractamus & sumimus, & à nostris vulneribus non curamur! igitur ad quos thesauros admouere manum quotidie liceret, curabat, ne vacuam vnquam reciperet.

8. Frequens *precabatur à cæli Regina*, vt ita sibi donaretur tractare ea mysteria, sicut ipsa post ascensum Filij sui suscepisset. *Nunc Apostolis* alijsque Beatorum, prout cuique solennia agerentur, insistebat, vt se participem facerent eius venerationis, quâ sacrificium illi peregissent: *consimili submissione* & geminæ charitatis amplitudine pro iis omnibus; & ad vniuersa dona illa concilianda offerens, vt illi obtulissent.

9. *Sacram Hostiam cùm adorandam sublimè tolleret*, optabat cruciatibus imperiri, & exulcerationem sentire, quæ ipsum Dominum, dum Crux attolleretur, excruciauit. *Ad conspectum* verò *& tractationem Calicis*, fundendi sanguinis sui desiderio inardescebat, tacito cordis clamore ingeminans: *Quis mihi det, vt moriar pro te?* Et ad Æternum Patrem mente sublatâ, *magnopere compungebatur* earum comparatione fæminarum, quarum altera post absumptum in commune alterius filium, abscondit suum: talem se ipse arguens, qui DEI Filio vel ad cibum impertitus, suum vicissim, id est, charissima quæque sua cum illo malignè communicaret.

10. Nihil verò vsurpabat frequentiùs, quàm vt *Sacrificium offerret pro ijs* omnibus, pro quibus Sacrificij Author ipse obtulit, tum primo, quo Virginis in vtero conceptus est, momento: tum in præsepi, tum in Cruce, eoq; puncto, quo exspirauit.

11. Ad *consummanda mysteria*, tanquam illicò in sinum Domini editurus spiritum, accedebat. *Post hæc* cogitans, sepulto Saluatori fidelem saxa præbuisse

ipſe cuſtodiam, ſeſe tum primò vt infidelem crediti ſibi theſauri cuſtodem, infra ſaxa & ſepulchra abijciebat: tum ipſummet rogabat Dominum, vt cor ipſe ſuum inſtar ſepulchri ſignaret & cuſtodiret, ac ſe ipſe ab omni iniuria tueretur.

12 *Denique ab altari digreſſus, nunc* in complexu, *nunc* ad pedes amantiſſimi DEI gratijs agendis, adorandoque & amando illum, ſeque ei tradendo, & agendis tum ſuis, atq; Societatis, tum Eccleſiæ totius & mundi cauſis, diu perſeuerabat demiſſus in genua, & immotus, vt interdum prouectо iam die abſtrahendus propemodum & rapiendus ad menſam eſſet. Habes exemplar, fac iuxta illud. *Iuuat addere* de P. Alphonſo Ezquerra, cui intento Diuinis, videbatur adeſſe Beata Virgo, in os porrigens cor Filij ſui. Hoc ad Communionem.

13. Similes ſanctos ſenſus & affectus ante Sacrum & in ſacro licebit excogitare, & legere in Induſtrijs Patris Maier, Patris Ludouici de Ponte tomo 4. de Perfectione, Patris NICOLAI Lancicij, alijsque recentioribus.

14. Denique ante *S*acrificium poteſt præter illam, *Ego volo celebrare Miſſam* &c. illa dici Oratio ex lib. 2. Mach. 1 Ionathæ Sacerdotis.

Domine DEVS omnium Creator, terribilis & fortis, iuſtus & miſericors, qui ſolus es bonus Rex, ſolus præſtans, ſolus iuſtus & Omnipotens & æternus, qui liberas Iſraël ab omni malo, qui feciſti Patres electos, & ſanctificâſti eos: Accipe Sacrificium pro vniuerſo populo tuo, & cuſtodi partem tuam & ſanctifica, vt ſciant gentes, quia tu es DEVS noſter.



§. XXXIX.

§. XXXIX.

Alius Modus deuotè celebrandi.

Immola DEO Sacrificium laudis Psal. 49.
In omni loco sacrificatur & offertur Nomini meo Oblatio munda. Mal. I.

I.

PArtes *Sacri* aliquas distinguo, quibus considerationes, & affectus variabiles pro ratione Festi, Sacri, temporis, loci, necessitatis, deuotionis accommodari poterunt. Hæ verò *partes aliæ sunt Principales,* vt Oblatio, Consecratio, Communio. Aliæ post Principales: quæ scilicet sunt *vel affectuosæ,* vt Confiteor, Gloria, Credo, Præfatio, benedictio: *vel, Precatoria,* vt sunt Orationes, Secretæ, Canon Missæ: *alia doctrinales,* vt Epistola, Euangelium: *aliæ mentales,* vt intentio, Memento pro viuis & defunctis, meditatio iuxta rubricas Missalis post sumptionem SS. Sacramenti, interna deuotio, delectio (si quid peccati inter sacrificandum occurrat) per actum contritionis vel amoris Diuini. *Aliæ rituales seu Cerimoniales,* vt thurificatio, inclinatio, eleuatio manuum, eleuatio SS. Sacramenti, fractio, infusio aquæ, lotio manuum, tunsio pectoris, oscula altaris, Crucis: *Aliæ accessoriæ,* vt distributio Communionis, occupatio interior tempore cantati Sacri, vacuæ temporis particulæ.

II.

In vniuersum hæc obseruari in prædictis Sacrificij partibus poterunt, post præmissam inuocationem Spiritûs Sancti & Diuini auxilij, assumptisquè à Sacrificante auxiliaribus delectorum Cælitum suppetijs & assistentiâ. *amè,*

1mò. Assume personam Christi, in cuius persona sacrificabis; ac vt eius minister, item vt legatus Ecclesiæ in punctis illis legationis, de quibus hîc §. XXVIII. ita te gerere stude, vt huiusmodi Personam & Legatum decet: omnia age affectu Christi & vtriusq; Ecclesiæ.

2dò. Aliqui affectus sub sacrificium mente retinendi, vt est, intentio sacrificij quadruplicis, Latreutici, Eucharistici, Propitiatorij, Impetratorij, & præter enumeratas intentiones hîc §. XXXVIII. etiam vniuersales intentiones, per quas quodlibet opus sublimari potest. Item humiliatio suî & religionis actus, amorq; sacrificanti Christo similis: item contritio repetita cor purificans est enim sacrificandum in spiritu humilitatis & animo contrito, vt suscipiamur à Domino; & in hoc sacrificio iuxta Basilium est adoratio DEI in Spiritu & veritate. Deniq; Christus, cuius personam gerit Sacerdos, se obtulit ex amore; *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem.* Similiter omnia hîc age ex amore, item ex voto, è latriæ motiuo, in vnione Sacrificij Cruenti in Cruce, ac meritorum & actionum Christi, optando, quidquid hîc fieri sanctè cogitari, optari, elici potest modo perfectissimo & congruo.

3tiò. Attentio ad verba Missæ procuranda, illa secundùm D. Thomam triplex, superficialis ad verba, literalis ad sensum verborum, spiritualis ad DEVM, & Sanctos; & ex verbis excitandi sancti affectus, ac eruendæ obiter piæ cogitationes per tertium modum orandi à Sancto P. IGNATIO insinuatum. Cogitationes verò & affectus eruendi, sint congrui tùm verbis, tum festo tùm Sacrificio.

4tò. Alij affectus actionibus sacrificij sunt accommodandi, conformes & proportionati ijsdem actionibus: v. g. *inclinationi* capitis aut Corporis adiuncti

adiuncta animi demissio: *descensui* ad infimum gradum, sui infra omnes depressio, vbi etiam descensus Verbi de cælis in vterum Virginis, descensus ad inferos, & illud cogitari potest: *Quid est, quòd ascendit, nisi quia & descendit?* Item *Confessioni* externæ iungatur interna confusio & contritio: *orationi* spes desiderio mista: *laudi* glorificatio DEI: *oblationi*, sui oblatio; *consecrationi* etiam sui quædam transmutatio vel transitio in DEVM &c.

5tò. Vbi *Nomen DEI* profertur vel Christi, vel Beatæ Virginis, vel Sanctorum, vel peccati; ibi intellige affectus ex pacto, & elicitos velis iuxta dicta hic §. XVI. quæ ibidem vide.

6tò. Flammulis Holocausti, quæ sunt hic §. XLII. sententias aliquas animo volue quibusdam partibus Sacrificij attributas.

7mò. Exprime ea in singulis partibus Missæ, quæ legisti vel audisti de modis aliorum; item quæ Sacerdotium vetus mysticè, nouum cum noua & sancta adinuentione egit vel egisset, & nunc in cælo illuminatius actum vellet.

8uò. Hæc actio sacrifica aggredienda & pertractanda est tanquam res DEO tibiq; dulcissima & honorificentissima, ac dignationis Diuinæ eximium in te argumentum, vt donum & gratia super omnes terrenas; vbi munus perhonorificum tibi committitur super omnes mundi honores & regna (quid enim hæc super Christi *regale Sacerdotium?*) & deliciarum fons tibi ingeritur super omnes mundi voluptates & delicias: denique actio hæc maximus est DEI cultus gustusque, suauiusq; id Sacrificium & honorificentius Diuinæ Triadi, quàm vt par sit infinitudo peccati malitiæ.

9nò. Particulæ temporis interceptæ partibus Sacrificij non sint vacuæ aliquo interno affectu, vel

 piâ

piâ cogitatione; *Vt est* accessus ad altare, *Vt dum* instruitur, purgatur, operitur calix; *dum* descenditur deorsum ad Introibo; *dum* receditur à medio altari ad cornu Epistolæ, & è contra; *dum* Sacrum cantatur, & Sacerdos ab actione vacat ob cantum longiorem. Sub has ergo particulas temporis, quid animus voluat suauiter, vel quos affectus renouet, præuidendum.

III.

Quod verò attinet ad singulas partes sacrificij deuotiùs & affectuosiùs in particulari decurrendas: Dico id posse fieri dupliciter, nempe vel modo vniuersaliori; vel accomodatè ad Missas & festa particularia. Hîc de primo modo agitur, & breuiter singulæ partes attinguntur. *Inprimis* dixi principales Sacrificij partes, Oblationem, Consecrationem, Communionem.

I.

Oblatio sic fiet: Exue te *inprimis* teipso (quod etiam insinuare potest, veli de calice depositio) & indue Christum, indue affectus Ecclesiæ, cuius te legationem obire ac inchoare tunc recordaberis; dumque incipis fungi Sacerdotio & offerre, vt id fiat in odorem suauitatis, tollat iam præuia oblationi contritio humilis & amorosa, quidquid hanc suauitatem & legationis effectum impediret. *Deinde* cùm hæc oblatio fiat etiam in recognitionem supremi dominij Diuini, & Principij omnium rerum, à quo omnia, & ex cuius donis illi hæc offerimus; ideò talis recognitio hîc fiet nomine totius Ecclesiæ ac mundi cum profunda animi reuerentia & adoratione Maiestatis. *Item* hæc oblatio dirigenda in solennes quatuor Sacrificij fines in honorem, gloriam & cultum DEI supremum; in gratiarum actionem pro beneficijs SS. Humanitati Christi, Beatæ

atæ Virgini, Diuis Cælitibus, tibi omnibusq; à DEO præstitis; in propitiationem & satisfactionem pro peccatis viuorum & mortuorum; in impetrationem tibi alijsque & toti Ecclesiæ necessariorum; specialiter intentione ad DEVM directâ pro eo, pro quo sacrificare intendis. *Præterea* hîc congere & conglobs omnia omnium Sacrificia cultumq; DEI & omnes sacrificantium affectus & celebraturorum vsq; ad diem iudicij. Sit hæc oblatio inchoatè hostia pro peccato, hostia pacifica, Sacrificium laudis, Sacrificium iustitiæ, Hostia vociferationis, holocaustum, thymiama, libamen Domino &c. *Item* hîc simul in patena deponantur & offerantur necessitates tuæ, & omnium viuorum & mortuorum fructûs Sacrificij capacium: *sit* hæc *oblatio affectu Christi*, qui oblatus est, quia ipse voluit, & in eius oblatione sanctificati sumus: *sit oblatio* simul meritorum & affectuum omnium Cælitum, specialiter eius, cuius est Festum vel memoria. *Sit simul* oblatio tuî ipsius, cùm non satis placeat sacrificium, in quo cùm alia offeras DEO, tibi reseruas teipsum. *Præterea fiat* oblatio pro ijs, pro quibus & quomodo Sacrificium Christus obtulit. *Deinde* adiungatur oblationi desiderium & postulatio, vt sicut panis & vinum immutabitur in corpus & sanguinem Christi; ita tu & alij per amorem in Christum transformentur. *Addi adhuc* poterunt proportionatæ Festo cogitationes, affectiones & oblationes. *Denique* verba ipsa cum debitis affectibus proferantur, cùm dices: *Suscipe sancte Pater* &c. nam cùm dices, *ego indignus famulus tuus*; quâ id non demissione ac subiectione & recognitione Dominij supremi Diuini dicendum? cùm dices: *Offero tibi DEO meo*: omnia antecedenter hîc dicta intelliges in ly, *offero*. in ly, *DEO meo*, exulta de DEO ceu de re specialiter tua; *Hæ-*

veditas mea praclara est mibi. In 1y, *pro peccatis & negligentiis meis:* quâ id contritione dicendum, cum memoria sacrificij propitiatorij, &c. *In Oblatione Calicis* eadem fieri possunt, quæ in oblatione Panis; tantùm *adhuc trium* memineris. *Primò* cùm per vinum Christus, per aquam populus vino admistam intelligatur, te & populum Christo vnitum cogita & opta, & vt sic illi coniunctos ac in Christum conuersos offer. *2dò.* vniuersalis amor pro omnibus zelo⁹ condiat oblationem; vt *pro nostra & totius mundi salute* cum odore suauitatis ascendat. *Tertiò*, Calix salutaris etiam Christi Passionem designat: meminisse licet & vini myrrhati, quod Christo in Cruce propinatum, cùm ille nos tam dulci nectare potet. *Offerri potest* hîc simul Martyrum Calix & Passio &c.

II.

In consecratione iuuabit habere in mente, aliqua ex Flammulis holocausti quæ habentur §. XLI. *Præmittetur breuiter contritio, intentio* multiplex (vt supra) renouata: *humiliatio* sui, *indutio Christi: memoria Passionis* iuxta illud, Hoc facite in meam commemorationem. *desiderium multiplex, tum* Christi quàm primùm gerendi manibus & ad nos descensuri; *tum desiderium,* vt gustu huius Sacrificij aboleantur omnes (vt sic dicam) disgustus Diuini ob mundi peccata; *tum desiderium,* vt sic transformemur in DEVM & Christum, vt hîc est transsubstantiatio admirabilis; *tum desiderium* renouandi gustus Diuini ex Sacrificio cruento Christi, & ex omnibus sacrificijs à primo ad vltimum ante diem iudicij *tum desiderium* fructuum participandorum Sacrificij & Passionis Dominicæ. *Item fiat* indutio omnium sacrificantium & affectuum ac meritorum eorundem: *insuper quadam* coadunatio & concentratio omnium actuum sanctissimorum cuiusuis Creaturæ intel-

intellectualis, & possibilium: *Item cogita* cælum apertum, cui spectaculum gratissimum exhibebitur: *Item defluere* ad te Cælum cum Domino cæli, *teque ab Angelis* circumsisti ægrè habentibus, ac mirantibus quòd in tuis vilissimis manibus DEVS, & DEI Filium deponatur. *Cogita & illud* Augustini, quòd tunc quasi incarnatur iterum & nascitur Filius DEI in manibus Sacerdotis. Adijci potest aliquid proportionatum immolationi ratione Festi vel Missæ aut circumstantiarum. *tum consecra* ex voto, ex amore & latria; *vide supra* dicta de Sacerdote, & Sacrificio, *& aliqua* in præparatione ad Sacrum, huc pertinentia. Similia fient in Consecratione Calicis.

Post Consecrationem vtriusque speciei breues in circumstantia Angelorum affectus salutationis, adorationis, admirationis, quòd tanta fiant, obedienter DEO voci hominis; amoris, exultationis de tanto bono & delicio, gratitudinis: affectus etiam ad SS. Trinitatem, quæ ibi est per concomitantiam: affectus ex Flammulis holocausti ad singulas species Eucharisticas: affectus ex Industrijs P. Maier, vt ille; *Dominus meus*; vnde tum postulatio varia; actus vnde hoc mihi &c, ad DEVM, vt ad Hominem &c. Deinde affectus conformes ad Festum vel intentionem sacrificij huius. Iuuat adhuc imitari P. Thomam Saillium, qui post Consecrationem postulabat à Beata Virgine, vt oblatis Filio suo libellis supplicibus, suis suorumq; Pænitentium negotijs succurreret; credebatque id in more esse cuilibet Sacerdoti Societatis.

III.

Adoratio fiat iuxta pacta cum DEO sub §. XVIII. Vbi sub *Secundò* & *tertiò* aliqua huc transferenda reperies: imò & aliæ omnes sacrificæ actiones fient similiter. *Fiat item* ex voto & motiuo plurimū virtutū

nomine omnium creaturarum, ita vt omne genu flectatur, dum flectitur tuum, *idque omni* possibili religionis & deuotionis affectu, *etiam à Paganis & hæreticis* negatas negandasq; hîc includendo compensatiuè adorationes: *Fiat idem* affectu cælestium adoratorum, de quibus illud: *Et ceciderunt in conspectu throni, & adorauerunt viuentem in sæcula*, mittentes coronas ante thronum DEI. *Fiat adoratio Angelica*, iuxta illud: *Et adorent eum omnes Angeli eius*: Fiat *adoratio MARIANA*: nam Virgo, quem genuit, adorauit. *Sit hoc tributum*, sit homagij debiti nota, *sit non sine muneribus*, vt etiam tres Magi *procidentes adorauerunt* eum, & apertis thesauris, *obtulerunt ei munera*, aurum, thus & myrrham; tu quidquid pretiosi habes, cum adoratione offer. *Fiat per hanc adorationem* compensatio omnis superstitionis, & adorationis subtractæ DEO viuo, impensæ lapidi & falsis Numinibus: *Fiat item compensatio adorationum illusiuarum* apud Herodem cum alapis & illo; Aue Rex. *Fiat adoratio vt Regis Regum* in throno gloriæ suæ, & cum subiectione, ac infima sui ante Maiestatem tantam depressione, cui *adorationis actui æternitatem velis. Fiat adoratio deprecatiua*, iuxta illud: *Procidens autem seruus rogabat eum dicens; Patientiam habe* in me &c. *Fiat adoratio postulatoria*; Adorans & *petens aliquid* ab illo, & id *Aliquid*, ille ipse est. Non sit illud: *Quidam adorauerunt, quidam verò dubitauerunt*. Cogita & illud S. Remigij ad Clodouæum: *Adora quod incendisti; incende quod adorâ* &c. *Adoramus te, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti* nos: Omnis terra adoret te.

IV.

Eleuatio Sacræ Hostiæ & Calicis fiet, *tum cum affectibus*, qui sub *Oblatione* hîc proximè sunt positi; *tum ijs*, qui erui possunt è sententijs positis sub Flammulis

mulis Holocausti §. sequenti, de eleuatione SS. Sacramenti: tum iuxta Industrias alibi lectas (iuxta quas & alia omnia hîc fieri poterunt) *tum fiat* hoc actu prælatio, & appretiatiua exaltatio DEI, & Christi super omnia: *tum subiectio sui* & omnium Christo, Domino vniuersorum; *tum exultatio* de illius cultu & adoratione à præsentibus Sacrificio, & vbicunq; ac quandocunq; adoraturis; *tum memòria compassiua*, grata, & amorosa exaltati in Cruce Christi; *& memoria exultabunda* ascendentis in cælum; *tum exhibitio* eiusdem æterno Patri quadruplex, nempe ceu rei gratissimæ, iuxta illud; *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui;* quæ *exhibitio fiat donatiua* veluti reì nostræ: *Nobis natus, nobis datus*: fiat *eadem exhibitio* ceu suauissimi *sacrificij in Cruce repræsentatiua*; item *sit exhibitio Sacrificatiua*, in quatuor Sacrificij fines, velut diceres mente: *Suscipe* Sancte Pater hanc immaculatam hostiam &c. *Offerimus tibi* Calicem salutaris, &c. *Item eadem exhibitio, sit velut oppositiua scuti* pro mundo, contra vindictas cælestes. *Item cogitetur* affectio sancta Diui Philippi Nerij, qui in eleuatione Sacramenti, sentiebat se in cælum cum Sacra Hostia attrahi. *Item fiat depressio infima sui* infra omnia, exaltatio super omnia & manifestatio DEI hîc absconditi; non sine congruis postulationibus, illâ maximè: *Ego, cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum:* Trahe me &c. tum Festo vel tempori, negotio, pro quo offertur sacrificium, alijsque circumstantijs conformes cogitationes & affectus assumantur.

V.

In Communione iuuabit pleraque repetere ex dictis de *Præparatione* ad sacrum, & sub *Mora Eucharistia hic* §. XXXVIII. & §. XLI. *Item quæ* habentur *sub Flammulis Holocausti* ad Communionem & ad

Speci-

Species Sacramentales §. sequente. *Item quæ habentur* in Industrijs Maier, & Ludouico de Ponte l. 4. de Perfectione. *Hîc campus* effusiorum affectuum, vt præter adorationem Maiestatis, amoris Seraphici, de quo §. IX. *hîc vnionis* desideratissimæ cum DEO, de qua §. XIII. *hîc desponsatio voluntatis cum Diuina*, de qua §. XI. *hîc permutatio cordium*, de qua XII. *hîc votorum & pactorum cum DEO innouatio*, de qua §. XVII. *hîc campus desideriorum: hîc oblationum:* hîc *humiliationis sui depurationis* sui in Sanguine Agni; *hîc vsus triplicis Purgatorij & thermarum* salubrium, de quibus in Face viæ Purgatiuæ S. 35 36. 37. 38. 39. *Viaticum seu Communio per modum sacri Viatici*; quô spectabunt ibidem dicta §. 21. & 23 *Hîc quædam prælibatio cæli, ac dulcedinis Diuinæ*, de qua, tum ibidem §. 43. tum hîc §. XXXVI. *Hîc sepultura Christi mystica*, de qua in Face illum. ℣. LXXI. *Hîc exultatio de dignatione* tanta; *exultatio de delicijs* tantis; vbi habes *Electum ex millibus, dilectum ex dilecto, desideratum cunctis gentibus, desiderium collium æternorum*, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur, in quem desiderant Angeli prospicere; *cui* (vt ait Bernard. epist. 114.) *comparata omnis alia iucunditas, mæror est: omnis suauitas, dolor: omne dulce, amarum, omne decorum, fædum: omne quodcunq; delectabile, molestum.* Item fiat Communio *in Vnione amoris illius*, quo Christus suscepit carnem nostram: *in Vnione* puritatis, amoris, affectuum & meritorum, cum quibus Christum suscepit *Beata Virgo* in Incarnatione, & deinde in Sacra Communione, *omnesque alij DEI amici* & Sacerdotes: *Sit etiam hîc quædam coadunatio, concentratio affectiua, & approbatio, & repræsentatio* omnium dignarum Communionum, & affectuum sanctissimè in ijs elicitorum & eliciendorum vnquam & vsquam: *fiat item* ex voto cum po-

stulationi-

stulationibus. *Denique* Sacramentali *Communioni, semper alias duas mysticas adiunge: Prima est* illa, de qua 2. Cor: 13. *Communicatio Sancti Spiritus:* & Act8. *Et accipiebant Spiritum Sanctum,* Dum ergo Christum recipis, recipies præuiâ dispositione ac præparatione etiam Spiritum Sanctum, vt maneat tecum in æternum. Aspirat *ad hanc Communionem mysticam* Ecclesia cùm dicit: *Veni Sancte Spiritus, veni lumen cordium, dulcis hospes animæ* &c. Præuia ad illum præparatio colligitur ex illis Scripturæ verbis: *Non habitabit Spiritus meus in homine, quia caro est: non habitabit in corpore subdito peccatis: Spiritus Domini effugiet fictum. Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & trementem sermones meos?* &c. &c.

Alia Communio mystica, Sacramentali est, iungenda, *per quam recipitur in cor Beata Trinitas.* & ad hanc Communionē præparatio insinuata est à Christo: *Si quis diligit me, sermones meos seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et, *Qui manet in charitate, in DEO manet, & DEVS in eo,* vt dicitur 1. Ioan. 4. *Hic te* deinceps geres *dignè hospite tanto*; & *affectus debitos* elicies *post Communionem hanc multiplicem* congruos. *Deniq; Postulationes* succedant.

VI.

Partes doctrinales Missæ, vt *Epistola & Euangelium præterquàm quòd sint* accipiendæ vt verbum DEI, & epistola à DEO ad nos scripta; legi possunt, *tum per tertium modum* orandi à Sancto IGNATIO nostro indicatum, obiter ex verbis scripturæ excitatis affectibus & aspirationibus sanctis: *tum cum reductione* breui quorundam textuum ad sensum literalem, & moralem, allegoricùm & anagogicum; *tum cum affectu* & desiderio implendi, & *confusione,* quòd non impleueris, quæ ibi docentur, & *postulatione*

tione auxilij, vt à te alijſque impleantur; *nec non cum gaudio*, quòd ea multi impleuerint; *tum animo* docendi ac prædicandi idem Apoſtolico, tam præſentibus, quàm alijs, ac toti orbi; *tum eliciendo* actus conformes verbis ac ſententijs; *tum in Sancto*, cuius eſt Feſtum, eadem agnoſcendo, approbando, offerendo, gratias agendo pro auxilijs ad ea datis, & ſimilia poſtulando: *tum cum gratitudine* debita DEO, qui nos ſic erudit, docetque ſaluberrima; *tum cum gratitudine* pro Sancto, cuius eſt epiſtola, cui hanc inſpirauit, voluitque eſſe Doctorem omnium ſæculorum, & Eccleſiæ Sanctæ DEI: *tum Iſaiæ* modeſtiâ, ſe indignum reputando, qui hæc proferas; Vir pollutus labijs ego ſum: *tum aliis modis*, qui occurrent. Addo, ſub Epiſtola poſſe diſtingui Sanctos & cultores DEI in Veteri teſtamento, & eorum merita poſſe offerri: & in Euangelio Sanctos in Lege Gratiæ: vel certè ſub Epiſtola Sanctos quoad ſe & propriâ perfectionem, ad quam aſpira: ſub Euangelio Sanctos quoad exempla & aliorum procuratamSanctitatem ac prædicationemEuangelij

VII.

Partes affectuoſæ, ſeu affectibus ſanctis refertæ, vt *Confiteor*, *Gloria*, *Credo*, *Canon*, *Sanctus*, *Præfatio*, *Benedictio*, retineant ſuos affectus, ſed ijdem *perficiantur intenſione*, *extenſione*, *replicatione* omnium ſimilium etiam poſſibilium, & *motiuorum memoriâ* actuali & augmento, *vnione* cum affectibus ſimilibus in Chriſto, B. Virgine, SS. Cælitibus: *compenſatione* affectuum huiuſmodi à te alijſq; ſæpius omiſſorum, *exercitio* eorundem, animo & nomine omnium, ac vtriuſq; Eccleſiæ, ac ætatum temporumque & locorum; *aliisq; modis* actus bonos perficiendi, & ad maiorem excellentiam eos attollendi. *Sic in Confiteor DEO omnipotenti*, fiat Confeſſio coram ſingulis

illis,

illis, de quibus ibi mentio; fiat, inquam, *cum summa humilitate* & confusione suî etiam coram omnibus creaturis: & *cum amorosissima contritione* & approbatione eorum, quæ habentur de fructibus veræ pœnitentiæ in Face Purg. §. 7. *Item cum compensatione affectiua* offensarum tuarum & mundi, de qua hîc §. XIX. *cum oblatione sacrifica* vt propitiatoria, *cum oblatione meritorum* & oppositarum tuis peccatis actionum Christi, Beatæ Virginis, & Sanctorum, qui ibi memorantur, & hodierni: *Item dicendo hæc animo* omnium rite contritorum, pœnitentis ad Christi pedes Magdalenæ; *& optando renouare* aut augere gaudium in cælo, quod est super peccatore Pœnitentiam agente. *Porrò si iustus* initio est accusator suî; quidni iniustus? *At in Gloria in excelsis,* Angelici affectus & verbis accommodati iuxta instructionem immediatè initio huius numeri de affectibus datam; & iuxta dicta in §. XVII. *de pactis cum DEO,* quæ ibi ante finem ex Sallutio adiiciuntur. *In Credo* actus Fidei cum affectu Martyrum fundentium pro ea sanguinem. *Sit autem Fides* vnita dilectioni & affectibus, quos mysteria ibi recensita aliquando in nobis excitârunt, & par est excitare; vt est Creatio, Mysterium Trinitatis, Incarnationis, Passio, Resurrectio, vita æterna &c. *In Præfatione* affectus laudis & gratitudinis, alijquè intensi perChristum, & in vnione laudis, adorationis, reuerentiæ Angelicæ &c. *In Canone* è verbis eruantur affectus & deuotio. Vbi nomen *oblationis*, vel *offerimus*; ea possunt mente breuiter recoli vel approbari, quæ hîc de oblatione num III. Vbi *nomen Sancti vel Sanctæ*, possunt ea recoli obiter, quæ tum de Sanctis in Face Illum. §. LXXVII. tum hîc §. XVII sub Quintò dicuntur: Vnde etiam sumes, quid in memoria *peccati*, vel in, *Nobis quoque*

pecca-

peccatoribus, elici possit vti & in §. XIX. hic.

VIII.

Partes Precatoriæ, vt Orationes *Secretæ, Oramus te, Munda cor, Pater noster, In spiritu humilitatis, Agnus DEI*, *Corpus tuum* Domine, *Placeat tibi*; debent peragi *cum* proprietatibus orationis sacræ, *cum* fiducia, *cum* desiderio, *cum* spe per Christum, *in vnione* orationum illius, *cum* obtestationibus internis per Christi merita, per merita & suffragia Beatæ Virginis & Sanctorum, *ad instar mendicabuli* apud magnum Diuitem, à quo omne donum perfectum & bonum descendit; *cum* exaggeratione suæ indigentiæ, &c. *Item verbis* conformandi affectus; vt in *Munda cor*, suam immunditiam agnoscendo (*iam vos mundi estis, sed non omnes*) & ad thermas mysticas refugiendo, de quibus Face Purg. §. 38 39. *In spiritu humilitatis & animo contrito*, patet cui hic debeas affectui indulgere. Similiter *in Kyrie*, seu Domine miserere; vbi videndum, te Domino loqui vniuersorum, cui subiectionem debeas, supplicare pro tollendis plerisq; miserijs, quibus succumbis in animo & corpore, alijsque, pro quibus orare intendis. *In Oratione Dominica*, *Pater noster* te filialis affectûs & amoris commonebit, illudque Gregorij oggeret: *Nil nos delectet in infimis, qui Patrem habemus in cælis*: imò te adhuc ceu Filium prodigum arguet. *Sanctificetur Nomen*, hic intentio vniuersalis in omnibus glorificandi DEVM & omnia A. M. D. G. agendi instaurabitur. *Adueniat regnum*; illud regnum DEI, quod intra nos est: absit illud regnum quòd in te ambiens superbia, aliaq; vitia dicunt, Ego regnabo, &c. *Fiat voluntas*; hic renouetur desponsatio voluntatis DEO. *Panem nostrum*: hic Communio spiritualis, & necessitatum etiam alienarum commendatio DEO, qui dat omnibus affluenter.

Et

Et dimitte: hîc contritio pro tuis alieniſq́; delictis & compenſatio affectiua offenſarum, remiſſio iniuriarum, & oratio pro inimicis &c. *Et ne nos inducas*, hîc infirmitas tua in tentationibus agnoſcenda, & victoria earum imploranda, ac ſuppetiæ è cælo tibi & alijs tentatis. *Sed libera nos*, à præſenti liberari poſtulans & futuro, præſeruari à malo culpæ & pœnæ; ſpirituali & corporali, temporali & æterno.

IX.

Partes Mentales vt *Memento* v*trumque*, & poſt ſumptionem SS Sacramenti, vbi rubricæ præſcribunt aliquam *meditatiunculam de Sacramento*, ſic fient. *Memento*, vbi *pro* v*iuis* oratur; poteſt inſtitui *tum memorando* in cælo apud omnes Cælites vſq; ad Trinitatem Beatam per quidquid potes, vel per quid orari velint, vt dictum Face Purg. ſub §. 42. *tum in* v*ulneribus Christi* reponendo varias variorum neceſſitates; *tum proportionata* Feſto à DEO implorando, cum motiuis & obteſtationibus adhibitis: *tum Diuinæ liberalitatis*, Bonitatis, Charitatis, miſericordiæ theſauros aperiri pro Chriſti ſãguinẽ optãdo, & eandem Bonitatem ſuî in omnes diffuſiuam latè v*elut Oceanum* effundi cogitando; vel *tanquam ſolem*, de quo illud, *Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore eius*: *Qui ſolem oriri facit ſuper bonos & malos*: *Pulſa atrium* Magni diuitis: *Poſtula tibi*, tuis, iuſtis, iniuſtis, tentatis, afflictis, captiuis, agonizantibus, in peccato exiſtentibus, amicis, inimicis, Prælatis Eccleſiæ, & Clero toti, ſæculari poteſtati, Religioſis, Societati noſtræ, ſeruis DEIparæ, Virginibus, Viduis, Paganis, congrua: Eccleſiæ opta dilatationem, extirpationem hæreſum, atq; per hoc indirectè conuerſionem hæreticorum. *Tum internum actum* Contritionis adde, quo doleas, ſi quid hactenus ſub Miſſa deliquiſti; renoua & actum Intentionis ſacrificij,

conſe-

& consecrandi. *In Memento pro defunctis*, offerendum *SS. Sacramentum & Christi merita*, Beatæ Virginis, & Sanctorum pro ijsdem: *item actus* compensatiui, de quibus hîc §. XIX. *orandum pro iis*, quibus sacrum applicas cum indulgentia, si est altare priuilegiatum pro defunctis: *pro iis*, quos velit Beata Virgo vel Sanctus hodiernus specialiter adiuuari; *pro illis*, qui è Societate nostra tum hîc, tum alibi obierunt, *pro parentibus* & propinquis, *pro benefactoribus*, & inimicis olim, *pro iis*, qui in hoc templo vel cæmeterio quiescunt, *pro Clero* Sæculari & Religioso defuncto, *pro cultoribus* MARIANIS & SS. Eucharistiæ ac Passionis Dominicæ, *pro iis*, qui pridem & grauius Purgatorium patiuntur, *pro iis*, quos nemo iuuat, vt pauperibus, *vel qui paruo* iam indigent suffragio, vt liberentur; *vel quorum* liberatio cedet in Maiorem DEI gloriam, vt pote eximiorum aliàs seruorum DEI &c. *Post sumptionem* SS. Sacramenti mens insumi poterit tum aliter, tum iuxta §. XL proximè ponendum & XL. *Ante descensum ad Introibo*, renouatio Intentionis, Contritionis, Postulationis Diuini auxilij, & inuocationis Spiritûs Sancti ac Sanctorum, quorum aliqui assumentur ad auxilium sanctiùs sacrificandi, & ad id aliquibus obsequijs conducentur. *Sub cantato sacro*, dum tempus vacat à sacra functione, poterit cogitari *de cantico* illo cælestium cytharædorum, *Dignus est Agnus* &c. de *cantico* Virginum sequentium Agnum: *gaudere* de cantico laudis Diuinæ pro ijs, qui gaudent ad sonitum organi, & in puncto ad inferna descendunt. *Item affectum* cantantium sententijs conformare.

X

Reliquos Missæ adiunctos ritus adhuc decurro. *In descensu ad Introibo*, memoria Incarnationis reduci poterit: *item* humiliatio suî & ad ima depressio

coram tanta Maiestate: *nec non* Christi Sacerdotis Summi demissio ad pedes Apostolorum. *In tunsione pectoris* occurrat Publicanus iustificatus, *& illi, qui reuertebantur percutientes pectora* sua: *percussio Petræ dantis* aquas, contritio &c. *Inclinatio sui* reducat *baiulantem* lignum infame Christum, *& procidentem* in horto in faciem suam; & quomodo *inclinato capite tradidit spiritum*; & illud Manassis: *Non sum dignus videre altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatum* mearum: *imitatio* Publicani non audentis oculos in cælum leuare: *adoratio* & subiectio suî DEO &c. *In osculo altaris*, fasciarum & sacræ syndonis osculum, suauiatio Christi præ suauitatibus terrenis; veneratio Reliquiarum, quæ ibi sunt: actus hîc amoris esto erga Christum, qui est Sacerdos, & victima, & Altare: non sit osculum Iudæ. *In aspectu Hostiæ* & attactu, vide Flammulas Holocausti & Liturgiam Sancti Francisci Borgiæ, & fruere hoc aspectu Hostiæ, ceu quâdã visione beata in terris. *In fractione Hostiæ* gratitudo pro institutione SS. Eucharistiæ, memoria mortis Christi & agonizantium, commendatio eorum ac tuæ mortis: *Cognouerunt eum in fractione Panis: Tantum latet* sub fragmento &c. Memoria Resurrectionis Dominicæ &c. *Stando* illa cogitari possunt: *Si non Moyses* stetisset in confractione populi: *Ierusalem sta* in excelso &c. Bar. 5. *Stetit Phinees* & placauit Psal: 105. Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia *assistebant* ei: *Quis stabit* ad videndum eum? Malach. 3. *Stabat* iuxta crucem JESV Mater,&Discipulus, quem diligebat. *Recordare, quòd steterim* in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum Ier: 18.

In benedictione populi. Eleuatis manibus *benedixit* eis. Benedictio à singulis Personis Diuinis multiplex, eiusdem desiderium & spes. At Christus pro

nobis *factus est maledictum.* Recurrat *& benedictio data* Iacob: *Det tibi D E V S* de rore cæli &c. & illud: *Venite benedicti* : *Cruces*, quæ ibi fiunt, reuocent illud Bernardi : *Cruces vident*, vnctiones non vident : *reuocent oblationem* suî ad Crucem, cum postulatione pro afflictis : *item memoriam Crucis Christi* cum gratitudine & oblatione: Gloriari nos oportet in Cruce Domini, qui factus obediens ad mortem Crucis, propter quod & D E V S exaltauit illum: itẽ inuoca nomẽ Domini & auxiliũ per signum Crucis contra insultus dæmonum,|&c. *Indistributione Communionis* vsurpari *pleraque ex dictis* poterunt, vt quæ in aspectu S. Hostiæ & attactu obseruanda dixi. *item oblatio* V. Sacramenti pro se & communicaturis: *adoratio* supradicta modo : *postulatio gratiæ* communicaturis ad dignè & deuotè communicandum, & *suppletio* aliquorum exiguæ deuotionis, ac tot quandoq; sacrilegiorum : *ora, ne* vllus sacrilegè è tua manu communicet : *adorationes & actus* aliqui ex pacto includantur *in singulis* hominum Communionibus, *& in singulis tua* spiritualis Communio : *gaude* illum adorari & diligi : *ora pro intima* vnione tua illorumq; cum Christo : *eo affectu singulis* Sacrâ Hostiâ Christi porrige, quo se affectu dedit nobis & amore. *Cogita & illud* . *Paruuli petierunt* panem, & non erat, qui frangeret eis : *Fily tui sicut* nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ : *Edent pauperes* & saturabuntur &c. *Manducauerunt, & adorauerunt* &c.

XI.

Quod attinet ad modos celebrandi, in quibusdam Festis particularibus accommodatos, id præstitum à GASPARE Druzbicki & P. P. Młodzianowski Societatis nostræ: Facilè aliter id fiet, in festis *Sanctorum*, si ad hæc attendas. *Primò* si Sancti, de quo est Missa, puncta aliqua vitæ, aliquibus Missæ par-

ſæ partibus accommodos 2dò. Partes affectuoſæ ſi eius Sancti & Eccleſiæ affectu dicantur. 3tiò. Orationes in vnione Sancti illius orationum fiant, & per eius merita oretur, vt & in *Memento* vtroque, & ſi poſtulentur in priori Memento illa etiam, quæ in eo ſpecialiùs eluxêre. 4tò. In doctrinalibus, vt Epiſtola, Euangelio, gaude, quòd hæc Sanctus in DEI laudem in ſe expreſſerit actu, & vt tu exprimas eius exemplo, deſidera. 5tò. In conſecratione, eius aſſiſtentiam poſtula, & vt ſuppleat tuam indignitatem. Eius merita & affectus Chriſto poſito ſub ſpeciebus exhibe, & ea cum Chriſto, Patri Æterno offer. *Eius affectu* deinceps Chriſtum deſidera, conſtringe, intuere, adora, dilige, lauda, inuoca, *eius affectu Chriſtum* ſub ſpeciebus contrecta, eius cum reuerentia aſſiſte; *eius affectu* te humilia in Domine non ſum dignus: *eius affectu* & deuotione communica, Chriſto fruere, in Chriſtum transformare, gratias age. *In Miſſa de Beata Virgine ſic ages: In deſcenſu,* eius animæ infuſio prima in corpus ſine originali peccato, cogitari à te poterit, cum omnium affectibus effuſiſſimis in hoc Myſterium: item eius demiſſio, quam DEVS reſpexit. *In Confiteor,* per oppoſitam Beatæ Virginis puritatem, quâ maior iuxta Anſelmum non fuit, *confuſio* de tuis noxis; ſimul *recurſus* ad eam vt ad Refugium peccatorum, & *ablutio tui* in lacrymis eius, & Mari lacteo. *Aſcenſus* ad altare Natiuitatem eius vel aſcenſum ad templum tum in Præſentatione, tum in Purificatione memoret colatque. *Oſcula Chriſto* ab ea data effinget aræ oſculum, eiuſque in DEVM amorem. *In Gloria in excelſis,* laudes ab ea DEO datæ *& Magnificat* & affectus ibidem conformes. Vt in *Adoramus te,* ſcilicet MARIANO cultu & reuerentiâ: in *Gratias agimus* ſimiliter; & *propter magnam gloriam tuam*

 am tuam

am tu: im scilicet in tanta Virgine Matre. *Oratio;* eius contemplationes & absorptionem in DEVM referet, & *orationem* efficacem ac potentem illius implorabit. *Epistola*, vitam ante Incarnationem Verbi sanctissimè in templo actam, & exactissimè legem DEI seruatam. *Euangelium* Annuntiationem Angelicam referet, ac illud: *Conseruabat* omnia verba hæc conferens in corde suo. *In oblatione, tum eius* Præsentatio, seu sui oblatio, *tum oblatio* Christi ab ea dem facta (*Vt sisterent eum Domino*) tum *oblatio omnium* momentorum vitæ illius ac meritorum, vt cum Calice, oblatio etiam dolorum eius, quos pertulit; *In infusione Vini*, eius oratio; *Vinum non habent*, & Incarnatio VERBI in ea peracta recoletur. In *ablutione* manuum, thermæ in eius lacrymis & meritis. *Secreta*; eius *taciturnitas*, & *omnis gloria* filiæ Regis *ab intus*, seu quòd intrinsecus latet; & *vita abscondita* cum Christo in Nazareth. *In Præfatione*, laus & gratiæ, affectu Ecclesiæ vtriusque ac Angelico pro beneficijs, & priuilegijs ei collatis & congratulatio eidem. *Memento* per illam, & *ad illam etiam* fiet, ac ab eadem mendicatio. *In Consecratione*, recoletur Incarnatio in eius vtero; quem Verbum *non horruit*; at tuas horret manus, quomodo tunc Spiritus Sanctus superuenit in eam, quem in te superuenire par esset ad tam sanctam actionem: *Item natiuitas Christi* recoli tunc potest: Quia quem meruisti portare: at & in tuis manibus nascitur. *Quales eius affectus* erga Christum in vtero, in stabulo, in Nazareth, in Cruce, in Resurrectione, in cælo: tristari deberet, si posset, quòd in tuas manus veniat, nobis datus ex intacta. Morti Christi assistit *in eleuatione*. & post eleuationem Christi in Cruce. hic eius dolores & planctus super Christo Crucifixo, subsannato:, & quomodo Filium suum illa simul obtu-

obtulerit præ Abrahamo, pro salute mundi & ex voluntate Patris. In *Memento* ora, pro quibus illa vult. In Communione, quo illum affectu & puritate recepit, desidera, ac vt illa intus tractauit Verbum Incarnatum, & post Ascensionem in SS. Eucharistia receptum. *In benedictione* etiam ab illa benedici te & alios postula.

In Festis Christi Domini vide, quæ trahas in considerationes & affectus, & in fines quatuor sacrificij, *tum* ex circumstantijs Festi, *tum* ex Euangelio & Epistola tunc occurrente, vel vsitatis tunc Ecclesiæ sententijs, affectibus, postulationibus: *Item* ex varijs tunc Christi denominationibus, vt sunt *aliæ* Infanti Verbo Incarnato congruæ, *aliæ* Patienti, & Resurgenti, *aliæ* Eucharisticæ, *aliæ* Ascendenti, vel Spiritui Sancto in Festo Pentecostes &c.

In Missa Requiem tum ea, quæ in Missis de Passione Domini, mente & affectu voluantur, & insinuantur suprà sub titulo *Eucharistia memoriale Passionis Dominicæ*. §. 35. *tum* propria defunctis. nam sacrificium *vt Adoratiuum* fiet pro illis, quatenus compensatiuum adorationum, laudis & cultûs DEO ab ijs non sat exhibiti: *vt Gratiarum actiuum*, fiet pro statu gratiæ, in quo decesserunt, & alijs in vita beneficijs: *Propitiatorium & satisfactorium* ad remissionem pænarum Purgatorij illis debitarum: vt *Impetratorium* vel postulando, vt alij pro ijs orent & adiuuent easdem animas, si pluribus suffragijs egeant; vel pro earum amicis viuentibus, vel pro alijs, quibus pro libitu velis hunc effectum impetrationis applicare. *Imò* si præter remissionem partis pænæ ex opere operato, aliqua pars supersit illis condonanda, docent aliqui Theologi id posse præstari per modum impetrationis; cùm sacrificium sit per se sufficiens ad impetrandum quod

 libet

libet bonum spirituale, vt etiam est pars illa pœnæ remittendæ. proinde impetratio eatenus posset sic indigenti adhuc animæ applicari. Prætcterea, vt alia mittam, in oblatione & consecratione tum sacrificium Christi, tū sacrificia aliorum in veteri (vt patet ex lib 2. Machab. c. 12.) ex noua Lege pro defunctis exhibita repræsententur pari affectu deuotionis & commiserationis: item positio Christi sub speciebus sit velut exhibitio pretij, aut redemptio captiuorum, & actus misericordiæ &c. In Communione paria desideria in te accendantur sumendi V. Sacramenti, desiderijs Animarum videndi DEI in cælo intuitiuè ac beatificè. &c.

XII.

Notanda adhuc vniuersaliùs aliqua quoad *intentionem* sacrificij & *applicationem* fructûs eiusdem. *Quare in omni sacrificio* aliter proportionatè ad festum & Missæ qualitatem *distinguetur finis quadruplex sacrificij*, vt Adoratiui, vt Gratiarum actorij, vt Propitiatorij & satisfactorij, vt Impetratiui. *Item* semper sub initio Missæ, sub Offertorio (vt ponitur in Rubricis Missalis) vel sub Memento, si non ante ipsam consecrationem, renoua intentionem consecrandi. *Item* cogita te triplicem Personam gerere in sacrificio, Personam Christi, Ecclesiæ, tuam. *nam diuersi affectus* aut diuerso modo ex his descendunt: *ex persona Christi* ex opere operato in hos, quibus applicas, prout sunt capaces: *ex persona Ecclesiæ* tum in particulares Personas, tum in totam Ecclesiam & in te consequenter, vbi dicitur: *Inprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia Catholica & omnibus Orthodoxis, & pro omnibus circumstantibus, vel qui tibi offerunt.* Item quadruplicem distingue impetrationem hîc. vna ex opere operato: alia, quatenus offertur & oratur in persona Ecclesiæ: alia ex opere Operantis, quatenus Sacer-

nus Sacerdos orat in perſona propria, quæ quò diſpoſitior Deoq; gratior, eò maior vis eſt impetrandi: quartam addit Koning ex ſola dignitate Chriſti & gratiâ. quâ apud D E V M valet, non autem immediatè ex eius meritis, & præſcindit ab omni pacto, & confertur eius effectus ex pura liberalitate Chriſti *Item* applicari tantum debet ei, pro quo celebras, fructus ex opere operato conſecuturus: iſquè ſi incapax ſit illius hic, pro quo offers, alteri conditionatè applicari poteſt, vel tibi.

§. XL.

Flammulæ Holocauſti Liturgicæ,

Seu ſententiæ ſacræ ad promouendam Sacrificantis deuotionem, mente identidem reuoluendæ.

I.

Ante Sacrum & Communionem

Et iuit in Spiritu in templum. Luc: 1.

Introibo in domum tuam in holocauſtis: Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea. *Pſalm: 65.*

Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. *Pſal: 5.*

Venite ad me omnes, qui onerati eſtis, & ego reficiam vos. *Matth: 11.*

Guſtate & videte, quàm ſuauis eſt Dominus, *Pſal: 33.*

Comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. *Iſaiæ. 55.*

Accedite ad eum, & illuminamini. *Pſal: 33.*

Glorificate & portate D E V M in corpore veſtro. *1. Cor: 6.*

Ponam tabernaculum meum in medio vestrî. *Leu: 26.*

Si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum. *Apoc: 3.*

Immola DEO sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. *Psal: 49.*

Ierusalem surge, & sta in excelso, & vide iucunditatem, quæ veniet tibi à DEO tuo. *Baruch.*

Oportet me hodie in domo tua manere. *Luc. 19.*

Si quis sitit, veniat ad me, & fluent de illo flumina aquæ viuæ. *Ioan. 7.*

Si quis diligit me, sermones meos seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. *Ioan: 14.*

Pone me vt signaculum super cor tuum. *Cant: 8.*

Veni electa mea, & ponam in te thronum meum. *Antiph. Eccl.*

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. *Isa: 12.*

Hauriet salutem à Domino. *Eccl.*

Tunc acceptabis Sacrificium iustitiæ, oblationes. *Psal: 50.*

Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare DEI. *Psal: 49.*

In sole posuit tabernaculum suum. *Psal: 18.*

Et thronus eius sicut dies cæli. *Psal: 18.*

Comedes panem in mensa mea semper, dicebat Miphibosetho Dauid. *2. Reg: 9.*

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo Hostiam laudis. *Psal: 115.*

Siquis est paruulus, veniat ad me, & insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. *Prou: 9.*

Accipite iucunditatem gloriæ vestræ. *4 Esdr: 2.*

Dominus in cælo parauit sedem suam. *Psal: 102.*

Cuius

Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere. *Mar: 1.*

Si cæli cælorum te non capiunt, quantò magis domus hæc? *3. Reg: 8*

Beatus, qui manducabit Panem in regno D E I. *Luc: 14.*

Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum. *Gen: 18.*

Parâsti in dulcedine tua pauperi D E V S. *Ps: 67*

Memoriale tuum in desiderio animæ. *Isaia. 26.*

Vtinam disrumperes cælos, & descenderes, *Isaiæ 64.* Rorate cæli desuper, &c.

Qui sedes super Cherubim, manifestare. Veni Domine, visita nos in salutari tuo: Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos. *Psal: 79.*

Descende priusquam moriatur filius &c. *Ioan. 4.*

Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera Matris meæ? *Cant: 8.*

Quis det de carnibus eius, vt saturemur, *Iob 31.*

Veni Domine J E S V. *Apoc: 22.*

In quem desiderant Angeli prospicere. *1. Pet: 1.*

Totus desiderabilis. *Cant: 5.* Desiderium collium æternorum: Desideratus cunctis gentibus: Et ipse erit expectatio Gentium. *Gen: 49.*

Attollite portas Principes vestras, & introibit Rex gloriæ. *Psal: 23.*

Domine mi Rex, da mihi in disco caput Ioannis, dicebat impiè Herodias; tu pete cor I E S V.

Intuemini, quantus sit iste, qui ingreditur, & ipse est Rex iustitiæ. *Antiph: Eccles.*

Præcursor pro nobis ingreditur secundùm Ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum. *Antiph: Ecclesiæ.* Adorna thalamum tuum Sion, & suscipe Regem, Christum.

O Sacrum conuiuium &c. O quàm suauis est Domine, Spiritus tuus &c. S. I G N A-

S. IGNATIVS Martyr ait: *Carnem Christi desidero, Panem DEI, Panem Cælestem, & potum volo Sanguinem eius, qui est dilectio incorruptibilis & vita æterna. Omnia in me tormenta irruant, dummodo Christo fruar.* Huc faciunt Antiphonæ O in Aduentu. S. Catharina Senensis: *Da mihi Cibum animæ meæ.*

S. Damascenus ad B. V. ait: Ex te dulcis IESVS prodijt, qui totus est dulcedo & totus desiderabilis, atque expetendorum omnium maximè expetendus.

II.

Ante Consecrationem.

Præter proximè dicta:

Filius hominis tradetur in manus peccatorum. *Matthæ: 26.*

Et statim veniet Dominator, quem vos quæritis; & Angelus testamenti, quem vos vultis. *Mal. 3.*

Quis stabit ad videndum eum? *Ibidem.*

Et veniet desideratus cunctis gentibus. *Aggæi. 2.* Exulta satis filia Sion.

Ecce Rex tuus veniet tibi iustus & Saluator. *Zach: 9.*

Prope est, vt veniat tempus eius. *Isaiæ 14.*

Si Dominus dederit mihi Panem ad manducandum, erit mihi Dominus in DEVM. *Gen 28.*

Fuerunt mihi lacrymæ panes, dum dicitur mihi, vbi est DEVS tuus? *Psal: 14.*

Ex Sion species decoris eius, DEVS manifestè veniet. *Psal: 49.*

Vide iucunditatem, quæ veniet tibi à DEO tuo. *Baruch: 4.*

Videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate. *Luc: 21.*

Dabo vobis Panem arctum & aquam breuem. *Isaia 30.*

Prope est iam Dominus, Venite adoremus. *Inuitat. Eccles:*

Dominus veniet, occurrite illi dicentes: Magnum Principium, & regni eius non erit finis, DEVS, Princeps Pacis, *Eccl: Antiph.*

III.

Post Consecrationem.

Dicite inuitatis, quia Parata sunt Omnia. *Lucæ 14.* DEVS meus Omnia. *S. Franciscus.*

Omnipotens sermo tuus de regalibus sedibus venit. *Sap: 18.*

Benedictus, qui venit, DEVS Dominus & illuxit nobis. *Psal: 117.*

Vnde hoc mihi, vt veniat ad me Dominus meus, *Lucæ 1.*

Ecce aduenit Dominator Dominus, & regnum in manu eius. *Isaiæ 10.*

Qui de cælo venit, super omnes est. *Ioan: 3.*

Pater quod dedit mihi, maius omnibus est. *Ioan 10.*

Quomodo non omnia cum eo nobis donauit? *Rom: 8.*

Quid bonum eius, & pulchrum eius, nisi Frumentum electorum, & Vinum germinans Virgines? *Zach: 9.*

Et transfiguratus est ante eos; & resplenduit facies eius sicut Sol. *Matt: 17.*

Ego, qui loquebar, ecce adsum. *Isaia 52.*

Salus tua ego sum. *Psal: 34.*

Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. *Ioan. 10.*

Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. *Matt: 28.*

Ecce DEVS noster iste, expectauimus eum & saluabit nos: iste Dominus, exultabimus, & lætabimur in salutari eius. *Isaiæ 25.*

Domine, DEVS meus es tu, exaltabo te quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles. *Isaiæ 25.*

Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? *Lucæ 12.*

Videbam manipulos vestros adorare manipulum meum. *Gen: 37.*

Pater Sancte, claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis. *Ioan: 17.*

Visitauit nos Oriens ex alto. *Lucæ 1.* Ecce Vir, Oriens nomen eius.

Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum. *Isaiæ 60.*

Verè tu es DEVS absconditus. *Isaiæ 45.* Dominus meus, & DEVS meus. *Isaiæ 20.*

Paruulus datus est nobis, cuius imperium super humerum eius. *Isaiæ 9.*

Non veni vocare iustos, sed peccatores. *Mat: 9.*

Vocabitur nomen eius Emmanuel, id est, Nobiscum DEVS. *Isaiæ 7.*

Viderunt fines terræ salutare DEI nostri. *Ps: 97.*

In conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. *Ibidem.*

Montes sicut cera fluxerunt ante faciem Domini, quia venit. *Psal: 96.*

Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius. *Psal: 10.*

Christus apparuit nobis, Venite adoremus. *Inuit. Eccl.* Ecce Panis Angelorum &c.

Magnus de cælo venit Medicus, quia magnus in terra iacebat ægrotus. *Augustin.*

Quis est iste, humilis & sublimis? vilis in pannis,

nis, pretioſus in ſtellis: qui portatur vt paruulus, adoratur vt DEVS? *Fulgent.*

Sapientia nil loquitur, Maieſtas illa nullo ſigno proditur. *Guerricus Abb.*

IV.

In eleuatione SS. Sacramenti.

Jſte DEVS meus, & glorificabo eum: DEVS Patris mei, & exaltabo eum. *Ex: 15.*

DEVS meus es tu, & exaltabo te. *Pſal: 117.*

Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, *Pſal: 29.*

Exaltare ſuper cælos DEVS, & ſuper omnem terram gloriam tua. *Pſal: 56.*

Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos. (*Pſal: 8.*

Ego cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. *Ioan. 12.*

Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans. *Deut: 32.*

Super te orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. *Iſaiæ 60.*

Gloria Domini ſuper te orta eſt. *Ibidem.*

Viuit Dominus, & exaltetur DEVS ſalutis meæ. *Pſal: 17.*

Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt. *Ioan: 3.*

Expandam ſuper te rete meum. *Ezech: 7.*

Qui facit oriri Solem ſuum ſuper bonos & malos

Ideò exaltabitur parcens vobis. *Eph: 4.*

Protector noſter aſpice DEVS, & reſpice in faciem Chriſti tui. *Pſal: 83.*

Omne datum optimum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. *Iac. 1.*

Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere honorem &c. *Apoca.*

Suſcipe

Suſcipe Sancte Pater hanc immaculatam hoſtiam &c. Offerimus tibi Calicem ſalutaris &c. *Oratio Eccl.*

Non eſt DEVS, vt eſt Dominus; & non eſt, ſicut DEVS noſter. *Reg: 1.*

Tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſſimus. *Eccl.*

Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem (de quo illud: *Qui percuſſus aſpexerit eum, viuet:*) ita exaltari oportet Filium Hominis. *Ioan: 1.*

Omnis pulchritudo Domini eleuata eſt ſuper ſidera: ſpecies eius in nubibus cæli. *Ant: Eccl.*

V.

In aſpectu S. Hoſtiæ.

Qui percuſſus aſpexerit, viuet. *Num: 21*

Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, *Luc. 10.*

Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me. *Pſal: 22.*

Paraſti in dulcedine tua pauperi DEVS. *Pſ. 67.*

Panem de cælo præſtitiſti eis omne delectamentum in ſe habentem. *Sap. 16.*

Pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus. *Gen: 49.*

Panis confirmans cor hominis. *Pſal: 103.*

Frumentum Electorum. *Zach. 6.*

Cibus eius electus. *Hab: 1.*

Electus ex millibus. *Cant. 5.*

Miſericordia tua ante oculos meos eſt, & complacui in veritate tua. *Pſal: 25.*

Quid mihi eſt in cælo, aut à te quid volui ſuper terram, DEVS Cordis mei, & pars mea DEVS in æternum? *Pſal: 72.*

Cibabit eum Pane vitæ & intellectûs. *Eccl: 15.*

Reſpexit Elias ad caput ſubcinericium panem &

ſurgens

surgens comedit, & ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montem DEI, 3 *Reg: 19.*

Et faciet Dominus conuiuium pinguium, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ. *Isaiæ 25.*

Occidisti ei vitulum saginatum. *Lucæ: 15.*

Panis, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita. *Ioan. 6.*

Hic est Panis qui de cælo descendit. Qui manducat hunc panem, viuet &c.

Ego sum Panis viuus, qui de cælo descendi. *Ioan: 6.* (*Psal: 77.*

Panem cæli dedit eis. Panem Angelorum.

Hostia pro peccato. Hostia vociferationis, iuxta illud. *Psalmi: 26.*

Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis.

Elegit te Dominus ad sacrificandum ei hostiam laudis. *Eccl:*

O salutaris Hostia &c. O Sacrum conuiuium &c.

Sub diuersis speciebus latent Res eximiæ. *Prosa Ecclæ*

Hîc est absconditus Pulcher, quem desidero. *Augustin.*

O vberes micæ, quæ repellitis ieiunium sempiternum. *Ambros.*

Illud etiam ex Bernardo recole: Videns paruum, cogita Magnum: Hic erit Magnus: Magnus DEVS, Magnus homo.

VI.
In attactu S. Hostiæ.

Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. *Cant: 3.* (*Gen: 32.*

Non dimittam te, donec benedixeris mihi.

Si te

Si tetigero fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero. *Matth. 9.*

Omnes quærebant eum tangere, quia virtus dè illo exibat, & ſanabat omnes. *Luc. 6.*

Manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ. *1 Ioan: 1.*

Dedit illi Pater omnia in manus. *Ioan: 13.*

Quomodo non etiam omnia cum illo nobis donauit? *Rom. 8.*

Suſcepit te dextera iuſti mei. *Iſaia 44.* at hîc fortè iniuſti.

Pater quod dedit mihi, maius omnibus eſt.

Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum. *Ioan: 20.*

Dominus poſſeſſio: Hæreditas mea præclara eſt mihi. *Pſal: 15.*

Nimis auarus eſt, cui DEVS non ſufficit. *Bern.*

Nobis datus, nobis natus ex MARIA Virgine. Omne donum optimum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum. *Iacob.*

S. Agnes dicebat: Amo Chriſtum, quem cùm tetigero, munda ſum.

Ecce quod concupiui, iam teneo: Ipſi ſoli ſeruo fidem, cuius pulchritudinem Sol & luna mirantur.

Cyrillus Alexandrinus ait de Chriſto: Tetigit loculum, vt oſtenderet viuificam eſſe carnem ſuam.

VII.

Ad Sanguinem Chriſti ſub ſpecie vini.

Calix meus inebrians quàm præclarus eſt. *Pſ. 22.*

Torrente voluptatis tuæ potabis eos. *Pſal. 35.* Apud te eſt fons vitæ.

Vinum

Vinum lætificans cor hominis. *Psal: 103.*

Vinum germinans Virgines, *Zach. 9.*

Mamillâ Regum lactaberis. *Isaiæ 60.*

Dealbauerunt stolas suas in Sanguine Agni. *Apoca: 7.*

Tu autem seruâsti bonum vinum vsque adhuc. *Ioan: 2.*

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. *Isaiæ 12.*

Fons aquæ salientis in vitam æternam. *Ioan. 14.*

Vox Sanguinis clamat ad me. *Gen. 4.*

Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi. *1. Pet: 1.*

Sanguis IESV Christi emundat nos ab omni peccato. *1. Ioan. 1.*

Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. *1. Cor. 11.*

Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. *Gen: 49.*

Sponsus sanguinum tu mihi es. *Exod. 4.*

Potâsti nos vino compunctionis. *Psal. 59.* illius nempe, de qua dicitur: Videbunt, quem pupugerunt.

Mare rubrum huc spectat, in quo Pharao mersus. *Item* sanguis Agni in superliminaribus, liberauit ab exterminatore Angelo.

Aurum est Sanguis Christi diues ad pretium, ad lauandum omne peccatum profluens. *Ambr.*

Sanguis Christi est purpura cælestis, clauis Cæli. *Bonau.*

Chrysostomus vocat vbera poculi spiritualis *Cyrillus Hierosol.*

Vocat nos Concorporeos & consanguineos Christi. *Cyrillus Hierosol.*

Sanguis eius ornauit genas meas. *Sancta Agnes.*

S. Magdalena de Pazzis dixit: Magnes est animæ Sanguis Christi: Mamillæ Verbi, per quas sugimus diuinam dulcedinem.

Te ergo quæsumus tuis famulis subueni, quos pretioso sanguine &c. (mortis.

Salua me fons pietatis. Dele chirographum

Et dederunt ei vinum myrrhatum: aliter nos potat Christus.

VIII.

Post Communionem & Sacrum.

Quid est homo, quia visitas eum, & apponis ad eum cor tuum. *Psal? 8.* (*Luc: 5.*

Exi à me Domine, quia homo peccator sum.

Murmurabant, quòd ad hominem peccatorem diuertisset. *Luc. 19.*

Quanta fecit animæ meæ? *Psal: 65.*

Panem cæli dedit eis, Panem Angelorum manducauit homo. *Psal: 77.*

Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos. *Psal: 80.*

Posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te. *Psal:*

Suscepimus, DEVS, misericordiam tuam in medio templi tui. *Psal: 47.*

Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ, in conspectu eius cadent omnes &c. *Ps.*

Exulta & lauda habitatio Sion, quia Magnus in medio tui Sanctus Israel. *Israel 12.*

Propheta magnus surrexit in nobis, & quia DEVS visitauit plebem suam. *Luc: 7.*

Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, *Prou. 21.*

Et qui

Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. *Eccl. 24.*

Benedicito DEVM inebriantem te ab omnibus bonis suis. *Eccl: 32.*

Confiteantur Domino misericordiæ eius, quia satiauit animam inanem, & animam esurientem sa-satiauit bonis. *Psal: 1. 6.*

Miserator Dominus escam dedit timentibus se *Psal: 110.*

Fecit mihi magna qui potens est, & Sanctum Nomen eius. *Lucæ 1.*

Cibauit illum Pane vitæ & intellectûs, & aquâ Sapientiæ salutaris potauit eum. *Eccl: 15.*

Hodie huic domui salus à DEO facta est. *Luc. 19*

Dic animæ meæ, salus tua ego sum. *Psal: 34.*

Ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montem DEI, *3. Reg. 19.*

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in DEO JESV meo. *Hab: 3.* (*Psal: 31.*

Exultatio mea erue me à circumdantibus me.

Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram, DEVS cordis mei, & pars mea DEVS in æternum. *Psal: 72.*

Hæreditas mea præclara est mihi. *Psal: 15.*

Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus. *Gal: 2.*

DEVS charitas est, & qui manet in charitate, in DEO manet, & DEVS in eo. *1. Ioan: 4.*

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo: Et ipse viuet propter me: Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. *Ioan: 6.*

Operatus est salutem in medio terræ. *Psal: 73.*

Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? *Luc: 12.*

DEVS tuus Ignis consumens est. *Deut: 4.*

Omne aurum in comparatione illius arena est exigua. *Sap: 7.*

Mecum sunt diuitiæ & gloria, & opes superbæ, & iustitia. Melior est fructus meus auro, & genimina mea argento electo. *Prou: 8.*

Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. *Psal: 40.*

Carnes sanctæ auferent à te iniquitatem tuam. *Ierem: 11.*

Qui simul mecum dulces capiebas cibos. *Ps: 54.*

O res mirabilis, manducat Dominum Pauper seruus & humilis. *Hymn.*

Non habet locum vanitas, vbi totum occupauit charitas. *Augustin.*

Vilissimum vermem tuum imples omnibus bonis tuis.

Caro Corpore & Sanguine Christi pascitur, & anima de DEO saginatur. *Tertul.*

Cibus meus Christus est, & ego eius. Totus mihi datus est, totus in meos vsus expensus. *Bernard.*

Ægypto ob Ioseph, Obededoni ob Arcam, Labano ob Iacob, Iosue ob impositionem manuum Moysi DEVS benedixit.

Ossa Elizæi mortuum contactu suscitârunt. quid hic non simile speretur?

§. XLI.

Mora Eucharistica

Post Sacrum & Communionem agitãda.

Quid retribuam Domino pro omnibus &c. Psal.

Psal.: 115. *Quanta fecit anima mea*! Ps. 65.
Scitis, quid fecerim vobis?; Ioan. 13.

P*Rater vsitatos actus internos*, vt Fidei, Adorationis, humiliationis suî, subiectionis & homagij, Amoris, Contritionis, Laudis, Exaltationis & Exultationis & Gaudij de DEO, Gratitudinis, Oblationis, Resignationis, zeli, aspirationis ad intimam cum Christo vnionem & ad visionem beatam, cuius per hæc mysteria pignus accepimus: *Item præter alias* tractationes tanti Hospitis, *tum* quatenus DEI, *tum* quatenus Hominis, *vt* Pastoris, *vt* Medici, *vt* Magistri, *vt* Regis & Domini, *vt* Redemptoris, *vt* Legislatoris, *vt* Patris, *vt* Sponsi, *vt* Iudicis; *Item præter varias postulationes* & tuarum alienarumque necessitatum commendationem: *item præter* inuitationem omnium Creaturarum ad gratias, adorationes & laudes Domini: *Magnificate Dominum mecum: Venite adoremus & procidamus ante DEVM*: Item præter affectus innominatos & alios positos §. 48. sub Nouo modo orandi: *Item præter oblationem* alienorum affectuum & deuotionis in supplementum tuæ ariditatis; *insuper hæc præstabis*.

1mò. Pacta aliqua & fœdera cum DEO renoua & amicitias, de quibus in Face Viæ vnitiuæ. §. XVII.

2. Cùm DEVS Homo sit tunc possessio tua, tibiq; datus; eum *vt rem tuam* cum omnibus, quæ sunt eius, & iã sunt tua, *offer* totaliter Æterno Patri in quatuor fines Sacrificij solennes, & in gustum ac recreationem cordis Diuini. *Vnde* & affectus Christi erga Patrem, velut tuos & tibi cum Christo datos exhibe, & offer cum illo, & per illum. *dixeris etiam* tunc peculiari modo: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me, sunt, Nomini Sancto eius.* at intra te est Christus.

3. Cùm hîc fiat mira Metamorphosis tuî in Christum, qui dicit apud Augustinum: *Non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me*; ideò ceu tot' immutatus in Christum, eius affectus, & virtutes indue, & quasi desine esse is, qui es: *non tantùm* sit intra te Christus, sed sis ipse velut Christus, amore sic transformante: *bine velut* in eum immutatus, eiusque spiritu ac animâ viuens, *elice* actus internos virtutum, *non vt tu*, sed veluti Christus, in quem transiisti, eius spiritu & genio, eius animæ velut tuæ potentijs, illius ad instar, & dignè eliciente Christo: age quasi Theandricè, de quo supra in Face illumin. §. XL.

4. Cùm habeas DEVM, qui est *omnia*; ex illo te locupleta quoad omnia, & in omnibus gratijs ac potentijs: *assume quod vis*, & quo indiges, velut ex tuo iam thesauro tibi & alijs; nam tua sunt omnia. dicit tibi ipse: *fili omnia mea tua sunt.* vide hîc. §. 34.

5. Cùm hîc habeas *omne delectamentum* iuxta dicta §. XXXIII. *delectare in Domino*, & experimentum fac dulcedinis, quam habent de tanto bono tamque delectabili Beati. Hîc ingemina illud: *Ego verò delectabor in Domino, & exultabo in DEO IESV meo*: hîc MARIANAS delibe delicias: *Exultauit spiritus meus in DEO salutari suo.*

6. Cùm hîc habeas *Pignus futuræ gloriæ*, prælibe Visionis beatæ dulcedinem iuxta dicta. §. XXXVI.

7. Cùm hîc fiat specialis tuî vnio cum Christo, ratione cuius dicit: *In me manet, & ego in illo*: Ideò fit tum vnio etiam voluntatum; proinde renoua desponsationem tuæ voluntatis voluntati Diuinæ, vt habes hîc §. XIX. tum vnio cum DEO iuxta § XIII.

8. Cùm te efficiat veluti templum suum: ideò age, quod in templo eius fieri decet: in templo

eius

eius omnes dicent gloriam: fiant oblationes & Sacrificia de teipso rebusque tuis; *Immola DEO Sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua*. Potissimum sit Sacrificium cordis, quod illi dedica & consecra iuxta. §. XIV. & sacrificium Nihili, de quo suprà. §. XXIX.

9. Cùm *nimis avarus sit, cui DEVS non sufficit*; tu iam DEO diues, eiusque possessor, tanto bono contentus, alia omnia à te tuoquè corde dimitte: illi soli toto affectu inhære, qui est super omnia quoad omnia; ita vt dicas: *Quid mihi est in cælo aut super terram?*

10. Cùm Christus dicat: *In me manet, & ego in illo, qui me manducat*: Ideò tu esto illius Palatium, ille tuum. *Igitur* migra in domum hanc tuam, quæ est Christus, & ibi inhabita: *Hæc requies mea, hîc habitabo, quoniam elegi eam.* Vicissim *in teipso* domum vel Palatium erige dignum Christo, eumque illuc solenniter introduc, omnibus exclusis, quæ ibi obuersari nolit Christus.

11. Cùm hîc sit *Panis vivus*, & vita communicetur eadem manducanti; ideò vide, qualis sit vita Christi in Eucharistia, qualis existentia; & vitam Eucharisticam æmulare iuxta dicta. §. XXX.

12. Cùm hîc sis Angelorum commensalis & Beatorum; indue mores & affectus eorundem, tum aliàs in vita, tum etiam nunc, ita te gerendo coram Christo, vt in cælo Angeli & Beati.

13. Cogita hîc tibi à Christo dici: *Do, vt des: dono, vt dones: immolo, vt immoles.* quare fac donationem tuî eidem vicissim totalem, & te sacrifica vnà cum illo, & omnia tua secundùm corpus & animam & alia extra te, omnia ad DEVM propter DEVM referendo, & vota Religiosa innouando, ac iniuriarum condonationem faciendo.

14. Cùm hîc Bonitas Christi sit ita diffusiua sui & nimiùm liberalis in te ac omnes; tu *liberalitatem erga DEVM* innoua, de qua. §. XVI. & eleëmosynas spirituales alijs impertire, vt defunctis, peccatoribus, tentatis &c.

15. Imitatio SS. Eucharistiæ instituenda ac proponenda: nempe *vt* ibi terrena substantia panis & vini perit, sic in te omnis terrena affectio mutetur in Diuinam: *Vt* ibi panis azymus adhibetur; sic sint tua in azymis sinceritatis & puritatis, sine fæce & fermento malitiæ: *sicut* ibi se Christus omnibus communicat, & pascit diuites ac inopes; sic tu omnibus te imperti, omnibus omnia esto: *sicut* ibi se totum dat Christus; sic nec tu quidquam illi de te auferas: *sicut* se replicat in tot particulis & templis; ita tu vbique illius cultor esto & amator: *sicut* ibi DEVS obedit voci hominis seu Sacerdotis consecrantis, etiam mali; sic obediendum est promptè DEO, & DEI locum tenentibus: *vt* ibi latent res eximiæ; sic tua ne iactites; *vt* ibi multa patitur indigna Christus tum ab hæreticis, tum à malè sumentibus, sic & tu patientiam vbique exerce. &c.

16. Cùm Diuus Bernardus dicat: *Cibus meus Christus est, & ego eius* (in me manet, & ego in eo) tracta illum dignè, & ad palatum eius sapidè sit cibus electus ex condimentis selectarum virtutum & sanctarum cogitationum: nil prouocet vomitum ori Dominico: appone, quæ placitura, & ad gustum fore noueris: laua & vnge pedes recumbentis, Magdalenæ pœnitentis affectu: nam cibus eius, pænitentia tua iuxta eundem Bernardum.

17. Varias scenas & spectacula Hospiti exhibe, illumque recreare contende, *nunc* assumendo Personam Petri Christum in nauicula habentis, dicentisque

tisque : *Exi à me, Domine, quia homo peccator sum* : *nunc* Publicani in cælum attollere oculos non audentis : *nunc* Magdalenæ ad pedes Christi affusæ : *nunc* Dauidis coram Arca exultantis : *nunc* Zachæi Matthæiq; Christum conuiuio excipientis : *nunc* ægri ad medicum, rudis discipuli ad Magistrum & Doctorem iustitiæ, mortui ad Dominum vitæ, serui ad Dominum, filij prodigi ad Patrem, mendici ad ianuam diuitis affectus exerce : *nunc* affectibus exardesce vt Seraphinus : *nunc* variarum Hierarchiarum Angelicarum ornamenta, Sanctorum affectus assume : *Item* rogos triumphales accende, in quibus comburas colligationes iniquitatis, & iniuriarum memoriã aboleas. *Euerte idola propriæ voluntatis* &c.

18. Ad Festi occurrentis & Euangelij circumstantias & doctrinas attende, ac proportionatis ad hæc sensibus & affectibus vsui Eucharistiæ accommodatis & postulationibus immorare ; id quod semper adhibe propter gratam varietatem.

19. Imitare tum aliorum industrias sacras in hoc mysterio, tum Sunamitidem hospitam Elizæi, quæ eò quòd Propheta Domini frequenter illuc diuerteret, fecit ei cænaculum paruum, & posuit in eo lectum & mensam, & candelabrum ; vnde audiuit à Propheta : *Ecce sedulò ministrâsti nobis ; quid vis, vt faciam tibi?* Quod etiam te interrogat hîc Christus

20. Vtere benè hâc Christi morâ Sacramentali in te ; siquidem iuxta Theologos salubrior illa mora esse potest pro ratione deuotionis. Item cum hic Dominus, quem recepisti, sit diues in Misericordia, mendicatio hîc renouanda apud eum & attributa eius.

21. Dixi supra de duplici alia Communione mystica adiungenda ; quare congrui affectus ad SS. Triadem excitandi, & speciales ad inhabitantem

in te

in te dulcem Hospitem animæ Spiritum Sanctum.

22. Item ex sententijs Eucharistiçis superiore §. allatis variè ascendere ad singulas species Eucharistiæ: & ex varijs Diuinis ac Christi nominibus, vt Protectoris, Auxiliatoris, Solis iustitiæ &c.

23. Monet Scriptura: *Cùm es in mensa Principis, statue cultrum in gutture tuo.* tu inde trahes gulæ frenum & oris custodiam, ne tibi deinceps inordinatè sapiat aliud, qui alenis DEO; & vt omnia tibi terræ pabula amarescant.

24. Post hæc *offer* deinceps omnia *in grati animi testimonium* pro concesso sacrificandi vsu & Communione Sacra; simulque *in præparationem* ad eadem mysteria Diuina *cras* repetenda. *Item* fugam alicuius defectûs, exercitium alicuius virtutis & mortificationis ex motiuo gratitudinis appromitte, ac ita viuere propone, vt meritò cras & quotidie celebrare possis. *Item* gere te deinceps non vt rem tuam, sed Christi, vel vt immutatum te in Christum. Recedens à loco sacrificij dic ad Dominum: *Conserua, Domine, domum hanc immaculatam* tuam in æternum. *Anima Christi* sanctifica me: Corpus Christi saua me: Sanguis Christi emunda & inebria me: &c. *Magnificat anima mea Dominum* &c. *Nunc dimittis* &c. *Ego verò* delectabor in Domino, & exultabo in DEO JESV meo. *Benedicta Filia tua* à Domino, quia per te fructum vitæ communicauimus. Accommoda & tibi Hymnum: *Quem terra, pontus* &c.

25. Ad extremum succedat examen de sacrificio peracto. *imò.* an antè præmiseris ritè præparationem tùm aliàs per se requisitam, tum supererogatoriam iuxta superiorem & aliorum doctrinam, ac internum lumen. *2dò.* an in decursu sacrificij hic & ab alijs Auctoribus insinuata adhibueris, & quo conatu ac feruore, quomodo te gesseris & quo affectu

ac animi

ac animi sensu in oblatione, Consecratione & Communione, ad quæ tria semper te etiam antecedenter reflecte, ac eadem pro ratione Festi variare, & congruis affectibus ac considerationibus exornare satage & assuesce; sicut etiam proportionato affectui sub tempus sacrificij retinendo pro ratione Festi vel Missæ. 3tiò. quomodo post Communionem te cum interno Hospite, reliquo Missæ tractu; quomodo in recessu ab altari gesseris, an gratiarum actio tum hîc, tum ab alijs præscripta, nec præfestina successerit. Demum fiat oblatio totius sacræ actionis intinctæ in Sanguine Christi in vnione oblationis & meritorum ac affectuum Christi.

§. XLII.

Communio Spiritualis.

Memoriale tuum in desiderio animæ. If: 26. *Panem desiderabilem non comedi* : Dan. 10.

1. QVi rem aliquam deperit, de ea sæpe cogitat, ac eandem desiderat; ideoque *anima* dicitur *magis esse in amato, quàm in amante;* etsi quibusdam auferant res friuolæ, quas depereunt, vt *Ephraim columba seducta non habens cor.* At qui nouit, quantum sit bonum, possidere DEVM, vniri DEO, frui DEO ac nutriri, quomodo ad tantum bonum nocte diuq; non anhelabit? quomodo non dicet: *Anima mea desiderauit te in nocte; sed & in præcordiis meis de manè vigilabo ad te.*

2. *Amor est desiderium boni & pulchri,* vt suprà retuli ex Dionysio Areopagita; at quid DEO melius pulchriusue? si cessas igitur desiderare DEVM, cessas amare hoc *Bonum & Pulchrum,* quod est DEVS. si id amas, desidera: nam amor est desiderium boni &

boni & pulchri. *Quid verò bonum eius & Pulchrum eius, nisi Frumentum electorum, & Vinum germinans Virgines,* ait Zacharias Propheta? si ergo trahit desiderium alia pulchritudo euanida, & dulcedo creata amaritudini permista; an non rapiat potiùs cor, acuatque famem & desideria Bonum hoc & Pulchrum tam præcellens, quod est in SS. Eucharistia, seu in Frumento electorum, & Vino illo admirabili?

3. Effatum est Chrysostomi: *Vnus sit nobis dolor, hâc escâ priuari.* nempe maximus dolor plerisque vitâ priuari; at Cibus hic Vita est & Panis vitæ, nec temporalis, sed æternæ. Item de illo Christus inquit: *Caro mea verè est cibus,* nimirum cibus animæ. si hic *verè* cibus, alij ergo non sunt *verè* cibi, sed cibi ceu apparentes & phantastici; aut falsa alimenta, quæ animam non implent, nec satiant. *Porrò* escâ hâc priuatur, qui nec illam manducat Sacramentaliter & actu; nec spiritualiter & desiderio. Tamen quia priuatio est carentia formæ in subiecto apto; etiam dum escâ hâc doles te priuari, adeoque ad illam aspiras, *esto* subiectum aptum & *dispositum per Gratiam Sanctificantem,* vt cibo hoc spiritualiter degustato alaris: nam mortuum non alit cibus; at *anima, quæ peccauerit,* ipsa morietur.

§. *Praxis Communionis spiritualis varia.*

1. PRænoto quòd *Communio* sit *triplex*; nempe Sacramentalis tantùm, Spiritualis tantùm, Sacramentalis & Spiritualis simul. *In prima* communicans manducat, & non manducatur: quando recipit Sacramentum, & non recipit effectum Sacramenti. *In secunda* communicans non manducat, & manduca-

ducatur: quia non recipit Sacramentum, tamen recipit gratiam. *In tertia* communicans & manducat, & manducatur: manducat, quia *Sa*cramentum recipit cum gratia; manducatur, quia eâdem mediante gratiâ moraliter conuertitur in Christum, qui est in Sacramento, sicut & cibus, qui manducatur, conuertitur in alitum.

Praenota adhuc, quòd Communio Spiritualis, quæ in se dicit desiderium seu votum SS. Sacramenti, debeat includere desiderium viuum, seu animæ in gratia constitutæ: quòd debeat esse efficax & ardens; ac saluberrimum sit, si sit continuum ex motiuis allatis.

2. *Quod attinet* iam *ad Praxim* & modum Communionis spiritualis, *primus sit iste*. Dum es in templo vel alibi, vel Missam audis, vel visitas Ven. Sacramentum, quidquid ad Communionem Sacramentalem præmittis vel præmitteres ex affectibus sanctis & præuia præparatione, præmissâ contritione & Confessione peccatorum coram Christo & Curia cælesti; *hoc idem* breuiter ante Communionem spiritualem præmitte. *Vnde hîc locum habet &* præuius actus fidei, *&* suæ indignitatis non trina, sed millena confessio; *&* amor ardentior, qui te impellat ad amatum: & contritionis actus præuius: *&* desiderium vnionis cum Christo; *&* ardens eius recipiendi in Sacramento desiderium ex motiuis desiderij obiter memoratis *tum* ex Christi suauitate desideratissima, *tum* ex effectibus Communionis, *tum* ex tua necessitate multiplici. *Item* locum habet hîc sacra orexis, fames & sitis Cibi & potûs huius cælestis, & tædium sine Christo. *Accende eadem* desideria *tum* ex aliorum inflammatissimis ad SS. Eucharistiæ vsum desiderijs; *tum* ex varia comparatione Christi, *nunc* cum Oceano gratiarum & omnis

boni omnisque dulcedinis; *nunc* cum Aurifodina & thesauro omnium; *nunc* vt ad Paradisum voluptatis & Hortum deliciarum anhelando; *nunc* vt ad Patrem, *nunc* vt ad Sponsum animarum, *nunc* vt ad Medicum, *nunc* vt ad Aduocatum, *nunc* vt ad solatium in tribulatione, vt Oraculũ & Cõsiliarium in dubijs: *nunc* cum Magdalena pœnitente ad eum accedendo, *nunc* cum conuiuis cælestibus ad Epulum cæleste. *Item fiat hæc communio vniens* tuæ animæ potentias, potentijs Animæ Christi, tuos sensus Corporis eius sensibus, tui totius illi toti ac eius Diuinitati & Humanitati: *fiat communio hæc transformans* te in Christum & similitudinem morum ac indolis Christi, & virtutum eius in te expressiua: *fiat in vnione* amoris, desiderij, dignitatis & affectuum, qui in alijs spiritualiter communicantibus exarserunt. *Præterea* post spiritualem Communionem breuiter exerce, quod post Sacramentalem par sit exercere, & abamantibus hoc mysterium exercetur.

2dò. Cùm elicis actum contritionis vel amoris Diuini, *statue & pacisceri cum DEO*, te velle tunc actu (quod etiam verè in prædictis actibus virtute includitur) omnia, quæ vult DEVS, adeòque eius præcepta & beneplacita implere; *& sic* erit in hoc actu quasi omnis actus virtutis, & præcepti ac beneplaciti Diuini impletio affectiua, eorumque desiderium; proinde *hic actus erit* etiam *Communionis desiderium*, quæ præcipitur illis verbis: *Nisi manducaueritis carnem Filij Hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Erit idem actus etiam Communionis non ex præcepto, sed iuxta beneplacitum DEI percipiendæ; *& sic* toties erit hæc communio affectiua, *quoties* dictos actus *cum illo pacto* elicueris: nam sine pacto est in illis implicitè inclusa, quam ipsam inclusionem si reflexè cogites & approbes, etiam

etiam hæc erit sine pacto communio spiritualis.

3tiò. Potest etiam quis *cum DEO pacisci* de alijs actibus, in quibus non includitur votum faciendi, quidquid D E V S præcipit, vel quidquid illi placet, v. g. supposito statu animæ in gratia, *quoties* talem vel talem actum posuero, puta, adorationis vel obedientiæ, vel quoties gressum facio, vel scribo, legoque; *toties* dignè & ardenter & iuxta primum modum communicare volo, vt Christo vniar.

4tò. Alia solennis ratio communicandi spiritualiter fieri potest, præelicito actu iustificante, si te debeas restituere in statum gratiæ, & præmissis illis, quæ in primo modo hîc sunt insinuata, *quâuis horâ* & quadrante, *quâuis* visitatione Venerabilis Sacramenti, *quâlibet* auditione sacri, *item in fine examinis* conscientiæ, *item post Confessionem*, imò & *ante cibum* corporalem sumendum, vel etiam inter, ne anima etiam tunc sit famelica, dum corpus reficitur: *item quâlibet* reflexione de morte, & *ante somnum* per modum Viatici; *item in qualibet* distributione Venerabilis Sacramenti: *Item potes sic pacisci* cum DEO: *omnia momenta prima, vel secunda, vel decima, per quæ ero in statu gratia, volo esse actualia desideria Sanctissimi* Sacramenti. *Quantò frequentiùs*, tanto salubriùs Alij cibi sine abstinentiæ condimento, vel intemperanter sumpti officiunt, & morbos pariunt: hic autem cibus per continuam spiritualem esuriem, & spiritualem manducationem proficit; nec morbi causa est, sed sanitatis internæ.

3. Sed Communio hæc *non tantùm* sit pia affectio ad SS. Eucharistiam, quin *simul aspiret* ardenti desiderio ad id, cuius est pignus, nempe ad frui tionem beatam D E I. *Item* eadem Communio sit aspiratio ad illud, de quo Paulus: *Communicantes Christi Passionibus, gaudete;* nempe ad similitudinem Christi

pass-

passi in nobis exprimendam. aspirare enim ad SS. Eucharistiam, est aspirare ad Memoriale Passionis Christi: at memoria hæc debet esse Practica, quæ quod meminit fuisse in dilecto, exprimit pariter in amante.

4. *Communio spiritualis noua* adhuc à te instituatur. Hæc autem est sita in desiderio duplici. *Primum desiderium* est attrahendi ad te & in te D E I, seu Diuinæ Trinitatis, vt in te inhabitet. Hæc communio fiet per actum charitatis, cui promittitur; *Et ad eum veniemus*, & mansionem apud eum faciemus. *Secundum est desiderium* attrahendi ad te & in te Spiritûs Sancti: *Et Spiritus Sanctus erat in eo*. Ad trahendum verò in te tantum Hospitem ac incolam iuuat *tum* actus humilitatis: *Super quem requiescet Spiritus meus*, nisi super humilem? *tum* actus cor purificans: quia *non habitabit in corpore subdito peccatis*.

7. Denique Communiones Spirituales, de quibus hîc actum est, fieri possunt etiam nomine & in persona aliorum eas intermittentium.

§. XLIII. Cibus electus, Seu Aliud Animæ Conuiuium.

Non in solo pane viuit homo. Matt: 4.

1. NOn vnus animæ cibus est; sicut in Paradiso præter lignum vitæ etiam aliæ arbores erant ad vescendum. Nec vile obsonium appono, sed cibum solidum, qui regales perfectiorum animas alat. *Primus isque cibus* animæ sapidissimus iuxta Bernardum est *Amor D E I*, dulcis in meditatione, in oratione: dulcissimus in contemplatione, superdulcissimus in beatificatione. Cui cibus hic non sapit, qui eo non vescitur, cadauer est. nam *qui non diligit, manet in morte*. 1. Joan. 3.

2. Alter

2. Alter animæ cibus est *laus Diuina* iuxta Cassiodorum, qui ait: *Laus DEI est animæ refectio, cui nulla similis videtur delectatio*: non tantùm enim est operatio animæ, sed remuneratio (hinc dicitur, *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*) nemo autem de receptione muneris sui mercedisque tædio afficitur. Prælibat cælum, cui cibus hic sapit. *Sapidior* hic tamen debet esse illi, cui & Maior DEI gloria. Et tale conuiuium vocat Augustinus *negotiosum otium*, vbi laus in amore, & amor in laudibus, & omnia in laudem DEI fiunt; semper laus eius in ore, semper in corde, semper & in aduersis.

3. *Christi Cibus duplex.* Inprimis: *Meus*, inquit, *cibus est facere voluntatem Patris mei.* En cibus filiorum DEI! Hoc vescere, sic epulare quotidie *splendidè.* Sanius palatum gerit Christus, scit eligere bonum: comede, *sicut velle* illum *nôsti.* Alter *eiusdem cibus*, de quo Propheta: *Saturabitur opprobrijs*: solidus planè cibus, & rara saturitas. Vnde de Christo quidam: *Saginari appetens voluptate patiendi.* Fruere & tu cibo hoc Regio, cibo Theandrico: *non est enim seruus maior Domino suo.* Senè Marcus & Marcellianus Sancti Martyres tyranno dicebant: *Numquam tam iucundè epulati sumus, quàm hæc libenter DEI causâ perferimus.* Agnouêre hi rationem conuiuij in tormentis & cruciatu.

4. Alios *adhuc* solidos cibos confertim velut in Satyram lancem congero. *Iustitia panis est animæ* iuxta Bernardum, & consonat Euangelium, quod beatos prædicat, qui esuriunt iustitiam: At Gregorio teste, *esca iustorum est conuersio peruersorum*, & ignis qui in iustis huiusmodi ardet, continuò eget pabulo, dicitque semper Affer, Affer. Leonis Magni sententiâ *Ieiunium semper virtuti cibus fuit*: Da-

uidi

uidi *panes lacrymæ die ac nocte fusæ*; & *cinerem tanquam panem manducauit*. en cibus iterum regalis, & pœnitentiæ fructus, optima animæ bellaria. *Denique* feruor in obsequio DEI est cibus Christo etiam sapidissimus: nam tepor illi vomitum ciet. Hactenus Sacræ Epulæ. Sic etiam perpetuò vesci, nulla est ingluuies.

§. XLV.

Ingressus in Delicias DEI, vbi & de Centro Cordis.

Intra in gaudium Domini tui. Matt: 25.

1. SEruo bono & fideli dicitur: *Intra in gaudium Domini tui.* ô felix ingressus, vnde nunquam datur regressus! ô æterna felicitas! Gaudio immergitur & absorbetur seruus, quo fruitur Dominus! Multum est seruo, quòd sit DEI seruus; at illi conceditur, vt sit sicut Dominus eius; nam *similes ei erimus, cùm videbimus eum, sicuti est.* DEVS seipso beatus, sibi ipsi gaudium, extra quod non est maius, nec esse potest; sicut nec DEo quidquam maius meliusué. Id verò gaudium est, ad quod inuitatur, & illi innatare per ingressum iubetur seruus, vt sit æternùm felix beatusque DEO, hoc est, eodem bono, & obiecto gaudij, quo DEVS ipse felix est ac beatus!

2. Aliter tamen his delicijs fruitur DEVS, aliter Creatura. Creatura illas possidet, non tamen illis identificatur: DEVS ipse suæ sunt deliciæ. DEVS item incomprehensibiliter, & sicut DEVS seipso fruitur: Creatura modo quidem ineffabili, sed tamen tantùm, quod datur illi, & prout merita & lumen

men gloriæ exigunt. In Assueri conuiuio *vnusquisque bibebat iuxta suam ætatem.* Ætas DEI, qui *antiquus dierum* dicitur, est æternitas increata sine principio & fine, quæ est ipse DEVS; & hæc est mensura gaudij Diuini, ipse DEVS: tanta hæc est, quantus est DEVS: at Creaturæ beata æternitas, duratio quidem est indefectibilis, sed creata: vnde illa de fonte illo gaudij æterni bibit quidem æternùm, sed tamen iuxta quod conuenit beatificandæ Creaturæ.

3. In has delicias intratur tum per cruciatus, tum per delicias in DEO quæsitas. nam & crux cælum aperit, & qui delicias extra DEVM in terris quærit, æternas non facilè gustabit *non enim bibit alienus ex eis*: at alienus est, qui alias extra DEVM sectatur delicias. Hîc ergo incipe delectari DEO, intra in gaudium Domini, quoad vita hæc patitur; præmitte amori beato seu amori Patriæ amorem viæ; & fruitioni æternæ temporaneam in hac vita. Prælibα has delicias in prædulci Sacramento; prælibα in contemplatione cælestium; prælibα in dulci memoria DEI iuxta illud: *Memor fui DEI, & delectatus sum*: quod credis in cælo & speras, hic desiderio & amore in idem feraris, & ibi cor fixum gere, vbi vera sunt gaudia. Quid tibi cum aqua turbida mundi? quid cum vappa potiùs, quàm generoso cælestis vindemiæ vino, cum felle potiùs, quàm melle? *Maiores in DEO deliciæ per momentum & optabiliores, quàm mundanæ per æternitatem*: quid verò, si eas idem non momentum includat, sed protrahat tota æternitas? Ergo intra in hoc gaudium Domini, hîc intra adhuc in terris, antequam intres ibi, seu in cælis, & nunquam exi per egressum ad amorem terrenæ fæcis.

4. In tua [illegible] nunc est, in quales delicias DEI intres: an in delicias pares Seraphicis, vel alia-

rum Ordinum Angelicorum, an in delicias pares Apostolicis, vel aliorum Cælitum: prout merita attollis vel deprimis, ita maioribus vel inferiori gloriæ delicijs te dignum efficis. Cogita singulorum Ordinum tum inter Angelos, tum inter Cælites delicias; quas ex DEI conspectu hauriunt, ex singulorum attributorum & Naturæ Diuinæ intuitiua & deliciosissima visione, ex æternæ Generationis Verbi, Processionis Spiritûs Sancti clara notitia. Vnicuique dicitur. *Ego tibi ostendam omne bonum*; sed illud omne bonum est, & si ab omnibus possidetur, tamen diuersimodè possidetur. Porrò si, quando in tua manu esset terrena quæuis felicitas, & summæ vel infimæ notæ deliciæ; eligeres felicitatem summam, nec infimas delicias: an non præstat de æternis summum deligere, & ad summum contendere?

5. DEVS, sint tuæ omnes & summæ, vt æternùm, sic & in tempore deliciæ: *DEVS sit Centrum cordis.* In centro rerum quies, suauitas, gaudium, & votorum impletio: sic cordis humani quies in DEO; extra illum afflictio spiritus & inquietudo. Vbi centrum votorum, ibi & centrum cordis; at *fecisti nos Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec perueniat ad te*, velut ad centrum, clamat Augustinus. At quanto impetu quæque res ad suum centrum feratur, ignis sursum, terra & alia grauia deorsum! atqui maius hominis bonum est in DEO, quàm lapidis in centro; quidni ergo maiore conatu & desiderio in DEVM feratur? si lapis perueniat ad centrum suum, libenter inibi quiescit; tota autem ratio satietati appetitûs eius naturalis inde prouenit, quia est in loco suo connaturali: at DEVS finis vltimus hominis est & supremum bonum, ad quod possidendum est conditus; quidni ergo in

eo sup

eo super omnia quiescat; & obtento illo satietur ac exultet? in DEO bonum omne, omnes deliciæ; in DEO sit igitur Centrum Cordis. vide Facis Purgatiuæ. §. 41. 43. 46. & §. 1. Fundamenti ab initio.

§. XLVI.

Præclara Possessio.

DEVS cordis mei. Psalm: 72.

Hæreditas mea præclara est mihi. Psal: 15.

1. DEVS *cordis mei & pars mea DEVS in æternum*, sic Dauid compellat DEVM. Nec tu aliter compella: *habeat id cognomen DEVS*, quòd sit *DEVS cordis tui.* speciale id cordi humano, quòd habeat DEVM, & eligat DEVM in DEVM cordis, seu *in rem suam.* Sed in hoc est totum, vt DEVM *eligat, non Creaturam: DEVM verum, non putatitium* & defectibilem: *DEVM, non DEOS.* Væ, cui DEVS cordis est Creatura, vel Dij multi. Vnus est *DEVS verus.* & talis sit *DEVS cordis.*

2. Quod si DEVS cordis est; & *Cordis possessor* est, & *possessio Cordis.* Idem enim est DEVS cordis, qui & Dominus cordis; proinde possessor est. *Ex altera parte,* quod cordis est, possessio cordis est; sicut quod est Pauli vel Ioannis, Paulus id obtinet possidetque vel Ioannes DEVS ergo cordis, & *possessor* cordis est, & *possessio.* Vnus esto possessor, & Dominus: cordis in solidum, ita vt cor dicere debeat: *Dominus possedit me: Tuus ego sum Domine:* vnum te Dominum recognosco, quia vnus es DEVS, vnus es Dominus. *Vna item* esto *possessio cordis, DEVS*, de qua itidem cor dicat: *Hereditas mea præclara est mihi: Venerunt mihi omnia bona cum ea.*

DEVS meus est, res mea. Hoc dico, cùm dico DEVS cordis mei. Sufficit mihi DEVS, vnus pro omnibus. In Scriptura Sacra, vbi dicitur: *Ego sum DEVS omnipotens*; Hebræi è pro ly *Omnipotens*, ponitur *Sadai*, id est, *qui sufficit*. Idem est DEVS, idem Omnipotens, qui sufficit. Cuius DEVS est, habet, quod illi sufficit. Hîc veriùs quadrat, quod aureo torqui Carolus IX. Rex Galliarum inscripsit: *Qui me habet, nullius eget.* O bene: ô beatè nimium cordi cuius DEVS est DEVS cordis!

3. *Gloriatur* DEVS, quòd sit specialiter *DEVS quorundam*: sic se vocitat DEVM Abraham, DEVM Isaac, DEVM Iacob, DEVM cæli. Nimirum ab illis specialiùs agnitus culitusque; vt & in cælo specialiùs cognoscitur coliturque, & diligitur. *Non minùs gloriatur*, quòd sit DEVS cordis, idq; nomen sibi tribui gaudet. Prout cor DEVM cognoscit, colitque, diligit & glorificat; in tantum dulce est etiam DEO, esse DEVM cordis. Gloriosum id DEO gloriosum & cordi *DEO*; quia in hoc gloria extrinseca DEI sita est vel maximè: *cordi*, quia vt illi nil infamius est, quàm alij inhærere, non DEO: ita decôrum, non vili cæno vel nihilo, sed DEO cognito cor affixum gerere, quod dicat: *Mihi autem adhærere DEO bonum est: qui enim adhæret DEO, vnus spiritus est cum eo.* Tanti est DEVM esse DEVM cordis!

4. Sed DEO cordis erigatur Ara cordis, Ara intus. *In templo Salomonis* fuit tum Altare holocausti, tum Altare thymiamatis. In illo cruentæ hostiæ immolatæ, concrematæ in sacrificium: in hoc verò thymiama & suauissimi odores adolebantur. *In Corde*, DEO cordis Aram excitet Amor: hîc ignis totum exurat, totas medullas sinusque cordis penetret, ac holocaustificè concremet: alioquin sà-

iterum *cordi*, quod DEVM non diligit ex toto. *Potiſſimi affectus cordis* ſunt amor & timor, deſiderium, & gaudium, & his contrarij: voluntas item & omnis cupiditas ad cor pertinet. *hæc omnia* immolare DEO, & in DEVM transferre, *Cordis Sacrificium* eſt. Idem holocauſti Altare fuit æneum; *fortis enim eſt dilectio*, dura etiam perfert, nec ſeparatur ab amato. *Altare thymiamatis* aureum & coronâ aureolâ per gyrum fuit circumdatum, in quo ſuffitus ſuauiſſimi excitari manè & veſperi. *Nec* odoratiſſimum hoc Sacrificium deneget *Cor*, DEO Cordis: quæuis bona, quæuis optima ſunt in hoc thymiamate. Vnio cum DEO, miſtura ſuauiſſima eſt: Virtutis omnigenæ actus inſignes ex amore & in amore exerciti, dabunt thymiama ſuauiſſimum DEO cordis. Denique in Corde ſacrifica DEO te totum & tua omnia, nulla re omnino exemptâ, quam non honori amoriqué immoles. Nil ſit in Corde tuo, quod non ſit Diuinum, DEOque holocauſticè immolatum. *Quare* in corde præcipuos affectus, Amorem, deſiderium, Gaudium, & omnes penitus in DEVM transferes, eique conſecrabis: DEVS ſit tui amoris vnicum obiectum, DEVS deſideriorum meta, DEVS gaudij materia. Inſcribe in hac Ara cordis: *Soli DEO* certè Non *Ignoto DEO*.

§. XLVI.

Phænix Amoris,

Seu Mori multipliciter ex amore, aut ex charitatis Diuinæ vehementia.

Fortis vt mors dilectio. Cant. 8.

1. NOn eſt Mors ſuauior, quàm ex amore DEI

mori. Vulnꝰ suaue infligit cordi amor, & ex hoc vulnere languor; vnde anima dicit: *Amore langueo*: qui languor ita etiam corpus debilitat, vt ferendæ amoris vehementiæ impar extingui cogatur dicatq; amans anima: *Cupio dissolui*. Qui sic moritur, de illo stupentes dicunt Cælites: *Quæ est ista anima, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum?*

2. *Mors & Amor mutàrunt iacula*, vt docet apologus. Sed non est iam hæc fabula. nempe & amor vulnerat, amor extinguit: quia in corde vulnus infligit: *Vulnerâsti cor meum*. at cordis vulnus lethale est. *Amoris item indicium* est mors quandoq; cùm nulla sit maior dilectio, quàm mori ob amatum.

3. Certum est in amore & gratia obijsse, quos cælum recepit, sed non pauci, qui in actu amoris Diuini, & ex eiusdem amoris vehementia mortui. Sic B. Virgo, sic præter alios, Beatus STANISLAVS Kostka, Sancta Catharina Senensis, Sancta Teressia, de qua hymnus: sed te *manet suauior mors, pœna poscit dulcior: Diuini amoris cuspide, in vulnus icta concides*. Item *Martyrium adulti* est actus imperatus charitatis; vnde meritò dicas Martyres ex amore mori. *Quamuis autem* extaticus ille amor, ex quo aliqui mortui, non sit omnium, vt nec iste alter Martyrum: tamen licet inprimis ad vtrumque aspirare, & saltē Martyrium incruentum, de quo in prima Face, subire. *Iuuat item* omnia operari ex amoris Diuini eliciti impulsu, etiam minima, & hoc se frequentiùs per diem exercere semper, vt sicut dum viuis, dicere potes: *Quia diligo, ideò operor*; sic in agone etiam dicere possis: *Quia diligo, morior*: nil enim vnquam & nullum vitæ punctum secreui ab amore.

4. Amoris etiam est actus velle frui amati præsentiâ.

sentiâ, eumq; videre. *Et non videbit me homo, & vivet*, dicit Dominus. Quod si *oculi sunt in amore duces*; certè in beato amore maximè, quem Visio beata prouocat. Quare sic in amore cresce, & dilatare, sic amore sensim inardesce, vt in hoc rogo & incendio amoris nouus ac beatus Phœnix, nouum amoris holocaustum comburaris; & cor tantæ flammæ impatiens inter hos ignes in cælos exsiliat. ô ergo in amore viuere! ô ex amore mori! ô DEVM videre; ô æternùm frui amato super omnia DEO!

§. Sed non minùs *Mystica mors ex amore* hîc tibi suadetur. nam non sine causa in Epithalamio Diuini Amoris dicitur esse *vt Mors dilectio*. Nempe *dilectio facit multipliciter mori*: in Martyre cruento Physicè, in Martyre amoris mysticè. Nam vt mors est separatio animæ à corpore; sic quantò magis quis à sensibilibus & sensuum illecebris animo est alieno propter DEVM super omnia dilectum, moritur mysticè, estquè hæc *pretiosa mors sanctorum*: nam & hæc separatio quædam est à corpore, seu corporeis. Porrò non vnicum genus est Mysticæ mortis ex amore sanctissimo. Nam *mori* amori mundano, & his, quæ mundus amat ac deperit: *Mori* amori proprio. *Mori* suis cupiditatibus: mori voluntati & iudicio proprio: *mori* omni oblectationi terrenæ: *mori* peccato, sunt mortes variæ; & tamen dum Diuinus Amor sic mori iubet ac enecat, Mors hæc est ex amore, adeoquè etiam hæc *vt mors est dilectio*. Hinc quando *Amor* dicitur quandoque *facere extasim*, & separationem à sensibus, parum id est dicere de Amore hoc: nam in extasi adhuc viuitur; potius amor separat ab omni eo, quod sensû delinit ac oblectat; & aufert penitùs amorem sensibilium atque boni commutabilis, eumquè transfert in bo-

num

dum incommutabile. Talis *mors est dilectio*. Quod si dilectio hæc in fatalem sensibilibus rogum te perpetuò inijciat, ac flammâ cælesti violenter exurat continuatâ vsque ad instans Physicæ mortis; o ne tu fueris nouus Phœnix Amoris!

§. XLVII.

Coronis Asceticæ Facis.

Ad Coronidem Facis duo adijciam, quæ etiam in libello *Noua omnia* inscripto insinuaui.

I.

Nouus Orandi Modus.

VArijs affectibus & motibus in DEVM, sed non ordinarijs hic modus constat, quorum plerique & ad B. Virginem ac alios Cælites excitari possunt.

1. *Per Affectus Innominatos orare.*

SVnt aliqui Affectus, vt etiam *Contractus Innominati*. Nomine carent, sed non ratione sancti affectus. Scit se tunc anima intimè DEO affici, nec laborat discernere, quomodo affectus vel motus ille in DEVM vocetur; vel an vnus sit, an plures. Verbo: hi affectus sunt, quos DEVS approbat, etsi homo non nôrit: fiunt sine verbis etiam internè dispositis, solo affectu ardente ac expedito in quæuis ex apprehensione rara DEI, vel magnalium aut beneficiorum eius, sui nihili & ruditatis agendi cum DEO. *Primò* ergo exhibebis illi omnes huiusmodi affectus, quoscunque DEVS approbet

veluti

veluti se dignos, etsi illos non nôris ipse: Id verò potest fieri in quauis circumstantia, cuiuscunque negotij, loci, temporis. 2dò. Idem potest elici erga B. Virginem & Sanctos. 3tiò. ad eosdem Affectus innominatos pertinent Affectus hîc sub numero sequenti 2. 3. 4. 5. 6. 9. positi; quod etiam in his numeris intellige proportionatè de affectibus ad B. Virginem & Sanctos.

2. *Sanctos Affectus Scientiâ Diuinâ comprehensos exercere velle.*

INtelligo hîc affectus, *quos DEUS nouit* per Scientiam Visionis & simplicis Intelligentiæ ac Scientiæ mediæ; nempè *à te vel à quocunque* sanctè elicitos, eliciendos, elici possibiles, & qui elicerentur sanctè, positâ quâcunque conditione vel circumstantiâ. Dupliciter hos affectus elicies. *Primò* cuique particulari actui virtutis alicuius id accommodando. V. g. *Gratias tibi, Domine,* & laudes pro tuis beneficijs refero, quascunque per Scientiam tuam simplicis Intelligentiæ nôsti possibiles, & per Scientiam visionis exstituras vel extitisse. Similiter actui amoris Diuini, & aliorum in particulari idem accommoda. *Secundò* idem vniuersaliùs fiet hoc vel simili actu in qualibet actione honesta aut etiam indifferenti: *Volo tibi Domine,* per hanc & omnem actionem exhibitum, quidquid per Scientiam tuam Diuinam comprehensiuè nôsti, & sanctè ac dignè à te exhibitum aut exhibendum, vel exhiberi scis tibi posse.

3. *Sanctos Affectus voluntate Diuinâ comprehensos excitare velle.*

HI affectus in eo consistunt, vt *quâuis actione & momento vitæ velis* actum à te exhibitum DEO,

quid-

quidquid illi secundùm substantiam & modum agendi placet iuxta totam latitudinem voluntatis Diuinæ & bonæ, & beneplacentis, & perfectæ. seu breuiùs: *Velis, quidquid vult, quia vult, & sicut vult.* Hoc est agere, *sicut velle me nôsti*, ait DEVS.

4. *Sanctos Affectus, Omnipotentiâ comprehensos exercere velle.*

HI affectus sic elici poterunt: *Quicunque in Omnipotentia DEI* Auctoris Gratiæ continentur actus & affectus, Creaturæ rationali adiutæ per gratiam possibiles, DEO gratissimi, hos omnes à me alijsque exhibitos semper fuisse & esse volo, & cuiuis meæ & alienæ actioni inclusos.

5. *Sanctos affectus intra Diuinæ Dignitatis latitudinem comprehensos excitare velle.*

EXcellens motiuum & modum perfectè agendi offert *Dignitas DEI inexhausta.* Monet ad sic operandum Apostolus, dum nos vult ambulare *dignè DEO.* Porrò nihil sanctè elici potest, quo non sit dignus DEVS, & adhuc superualebit eius Dignitas. Quare non satis est hîc dicere: *Ago id patiorué, quia DEVS dignus est* vt patiar agamque; *nec satis est* velle agere & re ipsâ agere dignè DEO; *sed insuper volo, vellemque semper* agere quiduis *iuxta latitudinem dignitatis Diuinæ, adæquatè ad dignitatem & excellentiam DEI mei.* Quare *laudo & laudare illum laudarique* summopere *desidero iuxta omnem laudabilitatem eius*, seu *iuxta quod dignus est*, & maior omni laude. *Amo & adoro eundem*, nec non amare atque adorare desidero *iuxta amabilitatem & adorabilitatem DEI*, seu *iuxta quod dignus* est *amore* & adoratione. *Et sic de* cæteris affectibus: *Dignus est Agnus, qui occisus* est,

est, accipere honorem & gloriam, & *iuxta quod dignus est*, eundem *illi honorem exhibeo & exhibitum semper volo*, &c.

6. *Indulgere piis affectibus iuxta totam capacitatem tuam & vires gratiæ.*

AGe & afficere DEO *iuxta totam capacitatem tuam, & adæquatè ad vires gratiæ, secundùm totum & vltimum posse*. Id videtur præcipi in mandato de dilectione DEI *ex totis viribus*, adeoque *te tote, totâ latitudine tuâ, totâ intentione, extensione, intensione*: *quascunque* vires impertit tibi gratia, *quascunque* DEVS videt in te, eas illi impende, & superimpende: age iuxta habitum gratiæ, & eundem superare desidera.

7. *Dare quandam immensitatem ac æternitatem sibi piisque affectibus.*

DEVS immensus ac æternus est per naturam; *tu esto* per piam affectionem voluntatis. *Vbiq; te statue*, vbi DEVS est, & dignis DEO affectibus ibidem pro te alijs exardesce. *Statue te in omni temporis mensura*, in quauis ætate & sæculis æternis, in æternitate à parte antè, & pòst; & singula momenta imple pijs in DEVM ac Cælites affectibus. *Quin etiam* eandem æternitatem ac immensitatem opta, & quoad potes, impertias ijsdem sanctis affectibus & *tuis*, & *alienis*: *opta*, vt semper ac vbique fuerint, ac sint, vbi, & quando fuit, est, eritque DEVS. Tam tuos quàm alienos replica voto & affectu.

8. *Reproducere Sanctos cum eorum actis insignibus, meritis & Sanctis in DEVM affectibus.*

ETiam *hoc miraculi genus audet pia in DEVM affectio,*

affectio, audet *reproducere*, aut optat maximos quosuis DEI seruos è triplici lege, Naturæ, scripta, & Gratiæ: *A quatuor ventis*, seu orbis terræ partibus, *Surgite maximi serui DEI, & magnificate Dominum mecum.* Sed *hac reproductio illorum fiat* cum omnibus eorum meritis, & actibus insignibus; in illis complacendo, eos DEO repræsentando & offerendo ac gratulando, optando eosdem æmulari, & pro viribus æmulando eosdem vbique replicando; & quod illis de maiori intensione defuit, supplendo. Id etiam erga B. Virginem & Sanctos exercebis.

9. *DEVM colere per Alphabetum.*

OMnis oratio & affectus exprimi per verba potest vel scripturam. Hanc *alphabetum* componit, ex quo tot linguæ & vocum combinationes in laudem DEI redundantes. Hinc *nonnemo alphabetum recitabat coram DEO supplex*; vt DEVS ipse literarum combinator optimus, ex illis acceptissimam sibi laudem, orationem, & affectus aptos per verba exprimi contexeret. *Et tu imitare hunc Abecedarium:* imitare *Prophetam* in prima alphabeti litera hærentem: *A, a, a, nescio loqui.* Imò DEVS ipse alphabeti vocabula in nomen Diuinum assumit: *Ego sum Alpha & Omega.*

10. *Substituere vnum actum pro omnibus.*

POtest *substitui actus vnus pro pluribus* vel omnibus gratissimis & cuiusuis meriti. *Tripliciter id fiet*: *vel actum vnum* virtuosum ponendo pro omnibus indiuiduis eiusdem speciei actuum: V. g. vnum actum amoris Diuini volendo substitutum pro omnibus ardentissimis actibus eiusdem amoris; & sic de cæteris. *Vel actum vnum* ponendo pro omnibus

bus actibus cuiusuis speciei virtutum tibi congruarum: *vel certè actum* disparatum ac indifferentem ponendo pro actibus pluribus virtutis vnius vel plurium specierum, v. g. ambulationem & singulos gressus, scriptionem, vel lectionem, recreationem & negotia distractiua volendo sic esse substituta, & velut signum aut exercitium illius virtutis plurimum. *Age, qui sapis*; & hoc modo auctior meritis euades.

II. *Actus Compensatiuos elicere.*

COmpensatiui actus multiplices sunt. *Alij compensatiui actuum malorum* à nobis vel alijs elicitorum: *Alij compensatiui bonorum actuum* vel omissorum, vel imperfectiùs exercitorum, nostrorum itidem vel alienorum. *Alij compensatiui actuum* statui vario, varijsque ætatibus & officijs proportionatorum. V. g. fuisti antea sæcularis, deinde Religiosus, deinde Sacerdos, tùm Superior, vel huic aut illi muneri applicatus: in ætate puerili, iuuenili, virili, senili: Quidquid defuit singulis quoad pios motus in DEVM & exercitia virtutum, compensa. *Alij compensatiui æternitatis* dæmonum & damnatorum. *Alij compensatiui temporum*, per quæ cessatum est ab omni fere actu bono libero; vt in somno, & in infantia, vel inter acta indifferentia, nec ad finem supernaturalem directa; vel cùm DEVS non fuit ita agnitus, vt in prima pueritia, nec proinde pro debito cultus; item in plurimorum paganismo, hæresi, Iudaismo, peccato habituali. *Alij compensatiui actuum* bonorum, à quibus eliciendis sancti, & iusti vel morte naturali, vel violentâ impediti per eos, qui abstulerunt labores eorum. *Denique compensatiui actuum*, qui eliciti sanctè fuissent in quauis circumstantia, vel conditione aut suppositi-

positione; & quicunque fuissent possibiles. *In hoc ergo omnes* sese affectus reflectat; vt cùm ponit actionem sanctam, in vnione meritorum Christi, B. Virginis & Sanctorum; vel cùm ponit actionem sacrificam in Missa; *velit* esse compensatiuam omnium prædictorū modo placitissimo Diuinæ Maiestati &c. Iidem actus compensatiui fient B. Virgini & Sanctis suo modo.

12. *Ad quatuor Partes orbis conuersa oratio.*

IVuat, vt quidam faciebat, *ad quatuor Orbis partes conuerti*, Deoque & Cælitibus exhibere *in quauis illarum & pro quauis*, quod par sit, exhibere, *seu* supplendo earum defectum, *seu* pro ijs interpellando; *seu*, quod in ijs sanctè actum aliquando est, approbando. *Idem fiat* per conuersionem tuî ad omnia regna mundi, vrbes & oppida, pauperum tabernas, Regumque turres. *Daniel captiuus* ad Hierosolymæ templum se vertebat orabatque.

13. *Cælites colere per parem, vel similem.*

MAior cultus est, *cùm maior vel par saltem te colit*; vt Rex Regem. *Sic* maximus DEI *cultus per Christum*, seu quo Patrem Æternum coluit; quia Persona Verbi Incarnati æqualis est Patri. *Sic etiam*, qui vellet colere B. Virginem, quali cultu ipsa coleret, vel coluisset DEI Matrem; *vel* quali coleret, qui paris eminenter dignitatis esset; coleret, quasi per parem aut similem. Similiter de cultu aliorum Sanctorum.

14. *Effusio cordis coram DEO.*

14. EFfundite coram illo corda vestra, monet Regius Psaltes. Etsi autem *iuxta Basilium effundere cor*, sit *euacuare cor à vitiis*, affectibus malis, peruersis, co-

ſis cogitationibus; *iuxta Auguſtinum* cogitationes noſtras & affectus in DEO defigere & transferre: tamen *poteſt latiùs hæc effuſio fieri, tum* quoad affectus amoris & zeli, in DEVM totaliter conuerſos; *tum* quoad deſideria ſanctiſsima & Diuinæ gloriæ accommoda; *tum* quoad poſtulata, & fiduciæ plenam repræſentationem omnium noſtrarum neceſsitatum & miſeriarum, vt in tribus his effuſiſsimè te geras.

15. *Inſerere ſeſe varijs hominum Claſſibus.*

INſere te Cælitibus, & age congrua cælo. *Inſere* te animabus Purgatorij, & miſericordiâ motus eaſdem adiuua. *Inſere* te afflictis, & leni oratione dolorem. *Inſere* te moribundis, & actum contritionis ac felicem mortem illis precare: *Inſere* Potentibus mundi, & diuitibus: atq; ab illis illud Propheticum auerti poſtula: *Potentes potenter tormenta patientur*, diuitibus illud poſtula: *Sic tranſeant per* bona temporalia, vt non amittant æterna. *Inſere* te tentatis & ne vincantur, ſupplica: voluptuarijs & heluonibus, & qui bibunt iniquitatem tanquam aquam; & illis apprecare: *Vtinam intelligerent*, ac nouiſsima prouiderent! *Inſere* Religioſis ac iuſtis, cum ijſq; & pro illis DEVM benedic, & incrementa iuſtitiæ ac perſeuerantiam illis efflagita. Inſere te Cæleſtibus, terreſtribus, infernis, & pro illis ac cum illis DEVM glorifica, adora, exulta, appretia, dilige.

16. *Accuſatores tui varios audire & confundi ac compungi.*

AVdi contra te *querimonias cæli*: Item *querimonias temporis*, quod abieceris: *Beneficiorum*, quorum ingratus exiſtis; Item *querimonias tui ſtatus*, cui non ſat congruè viuis. Item *querimoniam Angelorum &*

rum & Sanctorum: Seraphini in te accusent extinctum pœnè amorem erga DEVM & proximum: Cherubini insipientiam cordis: Throni cor inquietes & impacatum, & sic de alijs. *Vulnera Saluatoris te accusent*, quòd illa dilatâris, addiderisque super dolorem vulnerum. *Vulnera pedum*, affectus tuos accusent: facta arguant *vulnera manuum*: cogitationes, *caput* vepribus compunctum, &c. *Attributa Diuina* te arguant; Omnipotentiæ & concursûs Diuini abusus ad crimina: Immensitas effrontem arguat &c. *Hinc* confusio, compunctio: Patrocinij postulatio, oblatio actuum oppositorum Christi & Sanctorum, &c.

17 *Vota quædam noua*, præter Religiosa, si Religiosus es, *elice vel renoua* per modum sacrificij vel donationis ac munerum. v. g. *votum faciendi omnia* ex latria & amore DEI, ex hyperdulia & amore DEIParæ, ex dulia & amore Beatorum Cælitum. *Votum item faciendi & patiendi omnia* pro conuersione peccatorum, paganorum, hæreticorum, schismaticorum, ex zelo gloriæ Diuinæ & Animarum: *Votum cessionis omnium satisfactionum* pro animabus Purgatorij. *Votum defendendi* piam sententiam de Immaculata Conceptione: &c. &c.

18 *Mendicationem Cælestem* apud Sanctos quoslibet & Choros Angelicos, apud B. Virginem, Christum, SS. Trinitatem *institue*. vt dictum in Face Purgatiua. §. 24.

19 *Ex prædictis in hac Face selige quàm plurima*, quæ ad hunc modum nouum orandi adiungas: hæc autem ex titulis positis in Indice libri excerpe: vt est, *sacrificium nihili*: item *desponsatio tuæ voluntatis cum Diuina*: item *Dedicatio Cordis DEO*. *Permutatio cordis cum Diuino*: item *Pacta cum cœlo & DEO renoua*. item *consolatio DEI tot mundi sceleribus in dies & horas*

horas vbique offensi. Item *Purgatorium triplex:* item *experimentum mortis vitale.* item *Digni fructus Pœnitentiæ:* item *Praxis Communionis spiritualis:* Item *Amor Seraphicus* &c.

II.

Praxis & modus Intentionis sublimioris.

PVchra est Praxis in Prouisione senectutis apud R. P. GASPAREM Druzbicki *parte 2. prouis. 3. & prouis. 6.* Hæc tamen praxis, quæ sequitur, fortasse sufficiet, etsi aliquæ actiones particulares præter hanc Intentionem communem, poterunt habere insuper alias sibi congruas & proprias, vt patet vg. in ieiunio, quod offerre licet tum in memoriam Christi ieiunantis, aut felle & aceto potati, tum ex virtute temperantiæ; tum ad victoriam suî aut carnis rebellionem compescendam: tum ad implendum præceptum vel consuetudinem Ecclesiæ quoad ieiunium; tum ad condemnandas hæreses ieiunia condemnantes &c. Idem censendum de aliarum actionum particularibus intentionibus, vt ante sacrificia diuersorum festorum ante confessiones audiendas vel faciendas, ante conciones, ante cibi sumptionem, ante somnum, ante cultum MARIANVM.

Sublimior intentio Operum.

1. OMnipotens & æterne, optime & Maxime DEVS, *Ego minimus seruorum tuorum* coram te & Curia cælesti vniuersa Offero omnes actiones meas & alienas, internas & externas, immanentes & transeuntes, deliberatas & indeliberatas, liberas & necessarias, omnes item earum partes & circumstantias ac momenta: 2. Offero, inquam *in vnione* similium & aliarum actionum Sanctissimarum Christi

Domi-

Domini ac B. Virginis & iustorum omnium; & eorundem affectu & sublimitate intentionis: 3. *ex voto* multiplici (insinuato proximè sub numero 19. in nouo modo orandi) 4 *Ad maiorem* tuam gloriam, *ob* amorem & beneplacitum tuum, *ad* tuæ voluntatis Diuinæ adimpletionem, Bonitatis dilectionem, Dignitatis exaltationem, tui gustûs recreationem: *In* protestationem & profundam adorationem supremæ excellentiæ & Dominij tui. 5. *Quia mihi* places, vt placeam & seruiam Diuinæ bonitati tuæ propter seipsam & eximia beneficia tua, non ob spem præmij vel pænæ metum: quia tibi id placet, ac vt placeat, vt placeam: 6. *in honorem* & cultum, gloriam & exaltationem B. Virginis Sanctorum, Cælitum Omnium: 7 *in gratiarum actionem* pro beneficijs Sanctissimæ Humanitati Christi Domini & nobis per illam collatis, pro beneficijs B. Virgini, SS. Angelis & omnibus Cælitibus, pro beneficijs nobis præstitis communibus & particularibus, nec non alijs Creaturis: 8. *in satisfactionem* pro peccatis meis & alienis, ac ad te nobis & toti mundo propitiandum: in satisfactionem pro animabus Purgatorij: 9. *in impetrationem* mihi & alijs cælestium gratiarum, auxiliorum, benedictionis, virtutum eximiarum, donorum & fructuum Spiritûs Sancti, protectionis, præseruationis à peccatis, victoriæ tentationum, conuersionis peccatorum, ethnicorum, & hæreticorum, perseuerantiæ & augmenti iustorum: in bonum & totius vniuersi auxilium: 10. in dispositionem mei ad gratias actuales efficaces, copiosas & finales: 11. *Ex amore summo*, & latria erga te DEVM meum: ex hyperdulia & amore erga B. Virginem, ex dulia ac amore erga Sanctos Cælites: 12. *Item ex* omni motiuo tibi acceptissimo & affectu omnium tibi placi-

placitissimarum & mihi congruarum virtutum: 13. *cum omni* intensione, intentione, & extensione: iuxta intentionem tuam & Christi, ac B. Virginis & Sanctorum: 14. *In persona* & suppositis omnium creaturarum: 15. *adaquatè* ad habitum gratiæ & auxiliorum, & cum conatu agendi supra habitum, cum conatu & desiderio agendi adæquatè ad tuam dignitatem & amabilitatem, & adæquatè ad & obligationē meam & ad vires meas adiutas auxilio tuo, adeoque iuxta omne & vltimum posse meum. 16. *ex toto*, toto me, toto te, toto vniuerso, super omnia, 17. gratis & liberaliter, ac totâ effusione affectûs: 18. magis quàm vnquam aliàs, & cum maiori semper feruore & amore: 19. *dignè Te*, dignè beneficijs tuis, dignè vocatione meâ: 20. *Holocausticiè*, sacrificatiuè ac immolatiuè: 21. *Compensatiuè* iuxta proximè dicta: 22. *Substitutiuè* pro debitis & placitis tibi obsequijs quibuscunq;. 23. *Suppletiuè* pro me & alijs quoad omne tibi debitum & subtractum obsequium. 24. *Appretiatiuè* & prælatiuè tuî super omnia. 25. *Compassiuè* super tot tuî per mundum offensis, & retractatiuè earundem. 25. *Zelatiuè* pro tua gloria & animabus. 26. *electiuè & coronatiuè tui: homagialiter* & tributariè: omnium ætatum, locorum, temporum ac creaturarum nomine; 27. *Et affectu triplicis* Creaturæ, Cælestis, terrestris & infernæ: 28. *Congratulatiuè* tibi de tuo bono Diuino & gloria Nominis tui: 29. *animo exultandi* tui super omnia, & te exhilarandi. 30. *per hanc actionem* tum ratihabendo & approbando omnia obsequia ab alijs tibi præstita: 31. *tum optando* reproduci sanctissimos tuos cultores cum inflammatissimis erga te affectibus, & eosdem mecum vbique locorum replicari. 32. *& per singula* momenta & atomos augeri proportione maiori Geometricâ: 33.

câ 33. *omnisanctè*, omniplacitè, omnicreatè, omnibeatè, omniseraphicè omni meliori modo, omnipossibiliter, MARIAnè, Christiformiter quasi Theandricè, Diuinè & Imitatiuè tuî ac Christi. 34. *semel pro semper*, in æternum & vltra. 35. eum abyssali immensitatis ac præsentiæ tuæ amore & reuerentia. 36 *omni denique affectu* & modo, & motiuo digno tuâ Maiestate, excellentiâ & beneficentiâ, & quo tu id & omnia fieri velis, quo fieri ad mensuram amabilitatis & comprehensos in scientia tua modos possit: Tibi gloria in sæcula, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Concludo

Inprimis altissimo sēsu de DEO *ex Eccl:* 14.

IPse enim Omnipotens, super omnia opera sua: Terribilis Dominus, & Magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius: *Glorificantes Dominum, quantumcunque potueritis; superualebit enim adhuc,* & admirabilis magnificentia eius. *Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantùm potestis: Maior est enim omni laude.* Exaltantes replemini virtute, ne laboretis: *non enim comprehendetis.* Quis videbit eum, & enarrabit? *Et quis magnificabit eum*, sicut est ab initio? *Multa abscondita sunt maiora his:* pauca enim vidimus opera eius: omnia autem Dominus fecit; & piè agentibus dedit sapientiam. *Hæc Ecclesiasticus, qui cap. 1. dixerat:* Dilectio DEI, honorabilis est sapientia.

Concludo

Insuper ex Sancto Bonauentura, qui illud cæleste Canticum. *Apoc:* 7.

Benedi-

Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo DEO nostro in sæcula,

Sic Christo accommodat:

Tibi, CHRISTE, sit *benedictio* in Incarnatione, *claritas* in Natiuitate, *sapientia* in prædicatione, *Gratiarum actio* in Passione & SS. Eucharistiæ institutione, *Honor* in Resurrectione: *virtus* in Ascensione, *Fortitudo* in Iudicij consummatione: B. Virgini Matri tuæ & toti Curiæ cælesti laus & gloria.



(†)

FACVLTAS.

R. Patris Prouincialis Societatis IESV per Poloniam.

OPusculum, cui Titulus: *Fax Ascetica, à Patre Ioanne Kwiatkiewicz Societatis Nostræ Sacerdote conscriptum, & ab aliquot eiusdem Societatis Theologis Romæ recognitum atque approbatum, vt in hac Polona Prouincia typis mandetur, permitto; si ijs ad quos spectat, ita videbitur. In cuius rei fidem has manu meâ & sigillo officij munitas dedi. Iaroslauiæ,* Die 12. Iulij, 1677.

Stanislaus Branicki.



APPROBATIO.

C*Omponendo interiori homini, vitaq; Spirituali ad absolutum Christianæ perfectionis exemplar instituendæ; admodum vtilem & proficuum librum hunc, cui titulus est, Fax Ascetica, à Reuerendo Patre Kwiatkiewicz Societatis* IESV *Presbytero elucubratum, dignum luce publicâ censeo, & imprimendi potestatem libens concedo.* An: Domini, 1677. Die 1. Mensis Septembris.

M. ANDREAS KUCHARSKI, Sacr: Th: Doct. & Profes: Eccl: Cathedr: Crac: Eiusdemq; Diœces: Liber: Censor Ordinarius.

mpp.

INDEX

INDEX
FACIS ASCETICÆ
Fundamentum.

Seu Fax præambula via triplici.

FAX
ASCETICA.

Ad Viam Purgatiuam.

FAX
ASCETICA
Viæ Illuminatiuæ.

Pars Prima de vita Christi & modis quærendæ sanctitatis.

PARS

PARS ALTERA.

Facis Illuminatiuæ.

FAX ASCETICA.

Ad Viam Vnitiuam.

A. M. D. G. B. V. I. C. H.

ERRATA.

Pag. 555. quæ omiſit Typographus in verſu 27. poſt illa verba: *vel poſtulando*, (adde) *illis* (ſcilicet Animabus defunctorum) *gratias accidentales, ſi iam ſint in cælis: vel vt alij &c*

Pagina 552. paulò ante finem error contra ſacram politiem, vbi ponitur *Gaſpare Druzbicki & P. P. Thoma;* vtrique meritò præponi debuit *R. P. Gaſpare* &c. *& R. P. Thoma.* Alia errata ſeu menda typi prudens Lector emendabit.

